UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

urn:nbn:de:hbz:466:1-66091

Visual Library

Tl. 5178.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA
ECCLESIASTICA
LATINE REDDITA
ET NOTIS ILLUSTRATA
A
R. P. BRUNONE PARODE
ORD. S. BEN. IN MONASTERIO ETTALENSI
PROFESSO p. t. SUBPRIORE & BIBLIOTHECARIO.

TOMUS X.
AB ANNO CHRISTI 726. USQUE AD ANNUM 813.

Collegii Paderani Soc. Jesu 1762.



Et Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam. Matth. XVI.

Cum Approbatione & Consensu Superiorum.

AUGUST. VIND. & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO.

Lector Benevole!

Prosequimur Versionem Fleurii nostri, qui Historiam, nobis Doctrinam, mores & Disciplinam, Ecclesiæ Or-

thodoxæ perſpicue, ut promiſerat, exhibentem ſummo labore & mira arte contexuit.

S. Bonifacius

Hoc Eccleſiæ ævo, S. Bonifacio Germaniæ Apoſtolo nemo extitit illuſtrior, *qui*, teſte Guilielmo Cave (nam laus ab hoſte ſuſpicioni minime obnoxia eſt) ad annum 723. *tredecim annorum juvenis in Monaſterium Exonienſe ſeceſſit, ex quo poſtea in Monaſterium Nuiſcellenſe migravit, & Wimberti ſive Wigberti Abbatis diſciplinæ ſe commiſit, a quo politiori literatura inſtitutus inter primores ævi ſui eruditos locum tenuit . . . per Bojariam, Thuringiam, aliosque Germaniæ fi-*

nes

nes, Evangelii lucem longe lateque propagavit . . . anno 723. *a Gregorio Papa Romam evocatus prid. Cal. Dec. Episcopus Germanorum ordinatus est . . . multa Ethnicorum ad fidem conversorum millia Sacro Lavacro tinxit, Monasteria & Ecclesias passim fundavit . . . . omnia & Apostoli & Episcopi munia sedulo peregit . . . . Hæreses pullulantes compescuit . . . . ab irruentibus autem tumultuaria vi Paganis apud Doccomium Frisiæ olim Orientalis vicum interfectus anno* 754. *die* 5. *Junii Martyrii palmam reportavit.* Hactenus Cave, vir Ecclesiæ Romanæ ita infensus, ut nemo magis.

Nihilominus in Hiſtoria Literaria O. S. B. Part. III. Cap. II. hæc leguntur: *Etſi vero Gloria geſti in Germania Apoſtolatus ornatiſſimus eſſet Bonifacius, Caſpar Sagittarius tamen in Antiquitatibus Gentilismi & Chriſtianismi Lib. II. quamvis non eat inficias, quod S. Bonifacius puram Evangelii Doctrinam prædicarit primitus, poſtmodum tamen Decretis Papalibus plusquam Verbo Divino inhæſiſſe ſcribit, multasque adeo Traditiones, ad quas juramento adſtrictus fuerat, in Germanam Eccleſiam invexiſſe; effeciſſe etiam, ut Sacerdotes ſibi non obſequentes anathemate Papali ferirentur, prohibuiſſe etiam*

etiam esum carnium, orasse pro mortuis, & Sacrificium Missaticum in Thuringiam introduxisse &c. atque adeo Bonifacium non Sanctum, sed magnum fuisse peccatorem, multosque adeo Christianos factos non tam convertisse quam pervertisse. Ita Sagittarius. Sed quam perversa hæc est argumentandi ratio! nam ita potius, si saperet, argumentaretur Sagittarius iste: S. Bonifacius maximus Germaniæ Apostolus, a Sacra Sede Romana missus, & qui haud dubie ex singulari Dei Gratia & Providentia Fidem Christi in Germania prædicavit, docuit abstinentiam a carnibus, orandum esse pro mortuis, Sa-

crificium Missæ, Invocationem Sanctorum, & inprimis tenendam cum Sede Romana Apostolica Communionem: Ergo necessarium est, ut, qui Orthodoxus esse cupit, ejusdem Ecclesiæ Romanæ Doctrinam & Communionem recipiat. Sagittario illud solum opposuisse sufficit, quod Cave itidem Protestans loco paulo ante memorato testatur: *Bonifacius omnia & Apostoli & Episcopi munia sedulo peregit.* Nec plane sine singulari Dei Ordinatione Gentes a Prædicatoribus, quos S. Romana Sedes plerumque immediate aut certe mediate misit, ad Fidem Christi conversæ sunt; ut inde nimirum

rum præter alia argumenta Ecclesiæ Romano-Catholicæ per JEsum Christum fundatæ Auctoritas, Unitas, Universalitas, ac eo ipso etiam Veritas comprobaretur.

Sicut enim inter omnes gentium per orbem universum dispersarum errores in veteri Testamento Religionis Judaicæ & in nova Lege Fidei Christianæ Veritas semper eluxit, ita etiam inter Sectas ex spiritu privato natas a tempore Simonis Magi usque ad nostram ætatem Veritas Doctrinæ Romano Catholicæ in oculis omnium, ejus Auctoritatem & Antiquitatem serio ac libera mente pensantium, emicuit. Ridiculum vero viris eruditis se ipsum facit

Christophorus Heumannus, qui, ut in eadem Historia Rei Lit. Ben. lego, S. Bonifacio Doctrinæ laudem detrahit. Hic Protestans iterum nullius alterius testimonio melius retundi potest, quam alterius Protestantis Guilielmi Cave dicentis, ut supra vidimus, *Bonifacius politiori literatura institutus inter Primores ævi sui eruditos locum tenuit.*

Concilium Generale VII.

Hac etiam Ecclesiæ ætate, nempe toto ferme octavo Sæculo, famosa de cultu Imaginum controversia vehementissime agitata, earum Defensores in Oriente gravissime vexati, & tandem in Concilio Niceno II. Universali VII. quæstio definita.

Guiliel-

Guilielmo Cave quidem in Conſpectu Sæculi Iconoclaſtici præplacet Conciliabulum ſub Conſtantino Copronymo anno 754. Conſtantinopoli celebratum, illudque Synodum VII. Oecumenicam appellat. *Ubi*, inquit, *Epiſcopi habito cauſæ per ſex fere menſes examine ex Sacra Scriptura, ratione, Sanctorumque Patrum teſtimoniis tandem unanimi conſenſu decreverunt, imagines* προσκυνήσεως *cauſa non eſſe conſtruendas, neque eo fine nec in Eccleſia, nec in domo privata collocandas; quod quidem rem vanam &* διαβολικὴν μεθοδείαν *non ſemel diſerte vocant.* * In hunc modum ſcribit Proteſtans de Concilia-

* *In Conſp. Sæc. Iconocl.*

ciliabulo, cui nullus Patriarcha, nemo Romanæ Sedis, nemo Alexandrinæ, Antiochenæ, Jeroſolymitanæ Eccleſiarum nomine interfuit; cui ne quidem Patriarcha Conſtantinopolitanus præerat, nam ille in ultima Actione, non populi, Clericorum aut Epiſcoporum ſuffragiis, ſed a ſolo Imperatore Copronymo intruſus eſt. * Sacram Scripturam & rationem omnes Hæretici in auxilium fruſtra vocarunt; quod omnibus ab Eccleſia Romana alienis millies inculcandum. Quod autem S. Epiphanius aliique Patres huic Conciliabulo ſuffragentur non probatur, imo in Concilio Oecumenico VII. Doctrina

* *Fleur. Lib. XLIII. §. 7.*

ctrina contraria nempe Catholica ex SS. Patrum Auctoritate dilucide demonstratur. Et tandem istud Concilium per multa Sæcula usque ad Lutheri tempora pro nullo habitum.

Dicunt Episcopi in eodem Conventiculo *: *Dæmon pulchritudinem Ecclesiæ exosus sensim Idololatriam revexit, eoque adduxit homines, ut tanquam Deum adorent opus hominum, cui JEsu Christi nomen datur.* Næniæ! nisi Hypocrita sit Caveus, simpliciſſimus est, & præjudiciis occæcatus.

* Conc. tom. VII. p. 401.

Econtra idem Scriptor Concilium Oecumenicum VII. Nicenum II. sugillat: *Tandem anno 776. conjuge prius veneno sublato,*

lato, & Constantino filio adhuc impubere, Irene Imperatrix, impotens plane ac effrænis fœmina, ne pejora dicam, in imaginum cultum satis prona, assumpto in Concilium Tarasio, ex Laico nuper Patriarcha facto Synodum Nicææ indixit, in quam convenerunt, si Diis placet, præsules 350. *trium Patriarcharum Orientalium* τοποτηρηται, *miselli utique monachi Patriarcharum nomina splendide ementiti. Ipsi enim Patriarchæ Saracenorum jugo oppressi, de hac Synodo forsan nec verbulo quidem, tunc temporis inaudiverant.*

Hic dissimulat Cave, hanc Synodum ab initio ex consilio & nutu Romani Pontificis fuisse convo-

convocatam. * Irenis autem Imperatricis ambitio, etsi omnia vera essent, quæ affert Cave, hic nihil ad rem. Porro consensus Patriarcharum Orientalium adfuit, quantum adesse potuit, & tandem accedens Ecclesiæ Universalis Auctoritas decreta confirmavit. Subdit deinde Cave: *Transmissis in Occidentem hujus Concilii Actis Synodum* 300. *Episcoporum Francofurti convocat Carolus Magnus anno* 794. *qua decretum est, Imagines non esse adorandas, quin & Acta Nicænæ Synodi rescissa & refutata libris* 4. *Carolinis eum in finem in lucem editis.* Resipuerunt autem Galli, si tamen aliud ac Romani quoad quæstionis illius Summam sentiebant,


* *Tom. VII. Conc. p.* 32.

bant, & nec tunc, ideo sibi licere recedere ab Ecclesiæ Romanæ Communione, existimarunt; quorum exemplum si tempore Lutheri Angli Germanique Protestantes secuti fuissent, funestum Schisma, in quo nulla Salus, devitassent.

Imperium translatum.

Tandem, Lector Benevole! ex hac Historiæ Ecclesiasticæ Parte disces in Oriente luctuosam admodum rerum faciem, & inclinatis Imperii viribus plurima a Saracenis occupata, in Occidente autem Imperium a Græcis in Francos translatum. Lege, & nævos tam typi quam meos liberaliter dissimula.

CON-



CONSPECTUS
TOMI DECIMI.

LIBER XLII.

§. 1. Leo Imperator Imagines perſequitur. Pag. 1
§. 2. S. Germani Conſtantinopolitani Epiſtola Apologetica pro Imaginibus. 3
§. 3. Epiſtola Papæ ad S. Germanum. 12
§. 4. Germanus pellitur. Anaſtaſius Patriarcha. 15
§. 5. Conſtantinopoli multa vi adhibita aguntur. 19
§. 6. Seditio in Italia. 22
§. 7. Gregorii II. obitus. Gregorius III. Papa. 27

§. 8. Epiſtola prima ad Imperatorem. 33
§. 9. Secunda Papæ ad Imperatorem Epiſtola. 38
§. 10. S. Bonifacius Archiepiſcopus. 42
§. 11. Eccleſia Anglicana. 45
§. 12. Epiſtola Bedæ ad Egbertum. 48
§. 13. Venerabilis Beda. 52
§. 14. Alia Bedæ Opera. 54
§. 15. Saraceni in Francia. 60
§. 16. Martyres in perſecutione Saracenorum. 64
§. 17. Alii in Francia Sancti. 68
§. 18. Concilium Romanum pro Imaginibus. 71
§. 19. Perſecutio Imaginum cauſa. 72
§. 20. S. Joannes Damaſcenus pro Imaginibus calamum ſtringit. 73
§. 21. Sermo ſecundus & tertius. 87
§. 22. Epiſtola S. Bonifacii. 90
§. 23. S. Bonifacius tertio Romæ. 94
§. 24. Sancti Willibaldus & Wunebaldus. 97
§. 25. Epiſcopatus in Bavaria. 101
§. 26. Papa a Carolo Martello auxilium petit. 103
§. 27. Caroli Martelli obitus. 107
§. 28. Gregorii III. obitus. 109
§. 29. Leonis obitus. Conſtantinus Copronymus Imperator. 113
§. 30. Patriarchæ Antiocheni & Alexandrini. 115
§. 31. Martyres in Oriente. 118
§. 32. Alphonſus Catholicus. 120
§. 33. Zacharias Papa. 122
§. 34. Novi Epiſcopatus in Germania. 125
§. 35. Zachariæ Papæ Epiſtolæ. 128
§. 36. Concilia in Germania. 132
§. 37. Epiſtola S. Bonifacii ad Cutbertum. 136
§. 38. Concilium Liptinenſe. 139
§. 39. Concilium Sueſſionenſe. 142
§. 40. Papa Exarcho præbet auxilium. 146
§. 41. Concilium Romanum. 148
§. 42. Regis Luitprandi obitus. 150

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 43. Conſtantinus Imperator reſtituitur. 152
§. 44. Eccleſia Orientalis. 153
§. 45. Opera S. Joannis Damaſceni. 156
§. 46. Initia S. Sturmii. 163
§. 47. Monaſterium Fuldenſe fundatur. 166
§. 48. S. Lioba. 168
§. 49. Baptiſmus in nomine patria. 171
§. 50. Gervilio Epiſcopus depoſitus. 172
§. 51. Epiſtola ad Regem Merciorum. 173
§. 52. Adalbertus & Clemens Hæretici. 175
§. 53. Concilium Romanum contra Adalbertum & Clementem. 178
§. 54. Epiſtola Papæ ad S. Bonifacium. 183
§. 55. Concilium Cloveshovienſe. 186
§. 56. Carolomannus Mundo valedicit. 189
§. 57. Rachis Rex Monachus. 192
§. 58. Epiſtolæ Zachariæ Papæ in Franciam datæ. 194
§. 59. Reſponſa S. Bonifacio data. 197

LIBER XLIII.

§. 1. Pipinus Rex Franciæ. 205
§. 2. Concilium Vermerienſe. 208
§. 3. Zachariæ Papæ obitus. 209
§. 4. Stephanus II. Papa. 211
§. 5. Monaſterium Nonantulanum. 214
§. 6. Califæ Abbaſidæ. 216
§. 7. Concilium Iconoclaſtarum. 219
§. 8. Imagines damnantur. 225
§. 9. Papa Francos advocat. 229
§. 10. Papa in Longobardia. 232
§. 11. Papa in Francia. 233
§. 12. Conventus Cariſiacenſis. 235
§. 13. Papa ægrotat. 238
§. 14. Pipinus ſecundo ungitur. 239
§. 15. Bellum in Longobardia. 240
§. 16. Obſidio Romæ. 244
§. 17. Epiſtola nomine S. Petri data. 246
§. 18. Donatio Pipini. 248

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 19. Eccleſia Ultrajectenſis. 251
§. 20. Lullus Archiepiſcopus Moguntinus. 253
§. 21. S. Bonifacii Martyrium. 256
§. 22. S. Bonifacii Libri & Diſcipuli. 260
§. 23. Concilium Vernenſe. 263
§. 24. S. Othmari calumniatores. 265
§. 25. Deſiderius Rex Longobardorum. 268
§. 26. Conſtantinus Catholicos perſequitur. 269
§. 27. Perſecutio ſub Arabibus. 272
§. 28. Stephani Papæ obitus. Paulus Papa. 274
§. 29. Concilium Compendienſe. 276
§. 30. Pauli Papæ ædificia. 278
§. 31. Epiſtolæ Pauli Papæ ad Pipinum. 281
§. 32. Perſecutio in Oriente. S. Stephanus Auxentianus. 284
§. 33. Anna traducta. 288
§. 34. Georgius Pſeudo-Monachus. 292
§. 35. Epiſcopi ad Stephanum miſſi. 296
§. 36. Exilium S. Stephani in Proconeſo. 300
§. 37. Regula S. Chrodegangi. 303
§. 38. Alimenta & veſtimenta. 310
§. 39. Pœnitentia. 313
§. 40. Miracula S. Stephani Auxentiani. 316
§. 41. S. Stephanus coram Imperatore Fidem confitetur. 319
§. 42. Perſecutio necdum ceſſat. 321
§. 43. Concilium Gentiliacenſe. 324
§. 44. Pauli Papæ obitus. Conſtantinus intruditur. 325
§. 45. S. Stephanus in carcere. 328
§. 46. Alii Martyres. 330
§. 47. S. Stephanus in carcere, ultimo vitæ tempore. 333
§. 48. S. Stephani Martyrium. 336
§. 49. Conſtantinus Patriarcha Conſtantinopoli degradatus & capite plexus. 340
§. 50. Necdum Perſecutionis finis. 343
§. 51. Conſtantini Antipapæ litteræ. 345
§. 52. Conſtantinus ejectus. 347
§. 53. Stephanus Papa. 350

§. 54.

§. 54. Pipini obitus. Carolus & Carolomannus Reges. 353
§. 55. Ecclesia Hispaniæ. 355
§. 56. Capitulare primum Caroli. 356
§. 57. Concilium Romanum. 358
§. 58. Michael in Sedem Ravennatensem intrusus. 364
§. 59. Papæ Epistola adversus Longobardos. 367
§. 60. Desiderius Christophoro & Sergio perniciem affert. 368

LIBER XLIV.

§. 1. Hadrianus Papa. 371
§. 2. Pauli Aiartæ exitus. 374
§. 3. S. Virgilius Salisburgensis. 376
§. 4. Desiderii perfidia. 379
§. 5. Carolus Romæ. 380
§. 6. S. Ambrosius Autbertus. 385
§. 7. Persecutio in Oriente. 388
§. 8. Constantinus obit. Leo Imperator. 392
§. 9. Almanzor moritur. Mahadi Calisa. Ibid.
§. 10. S. Gregorii Ultrajectensis obitus. 394
§. 11. S. Lebwinus. 397
§. 12. Saxones convertuntur. 400
§. 13. Capitulare anni septingentesimi septuagesimi noni. 402
§. 14. Sturmii pars vitæ ultima. 404
§. 15. S. Willehadii initia. 407
§. 16. Leo decedit. Constantinus & Irenes Imperatores. 409
§. 17. Secunda Caroli Regis profectio Romana. 412
§. 18. S. Willehadii fuga. 415
§. 19. S. Ludgeri pueritia. 416
§. 20. S. Witichindus convertitur. 419
§. 21. Episcopi in Monasteriis. 421
§. 22. Falsæ Decretales. 423
§. 23. Capitulare Theodulfi. 428
§. 24. Paulus obit. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus. 437

§. 25. Concilium apparatur. 441
§. 26. Delegati ex Oriente. 446
§. 27. Mahadi e vivis abit. Muſa & Aaron Califæ. 449
§. 28. Initium Concilii Conſtantinopolitani. 451
§. 29. Concilium Nicenum II. Univerſale ſeptimum. 454
§. 30. Epiſcopi pœnitentes recipiuntur. 457
§. 31. Regula de recipiendis Hæreticis. 462
§. 32. Seſſio ſecunda. Epiſtolæ Papæ. 466
§. 33. Seſſio tertia. Epiſtolæ ex Oriente. 468
§. 34. Seſſio quarta. Patrum Auctoritas. 472
§. 35. Seſſio quinta. Conferuntur Iconoclaſtæ cum Hæreticis. 481
§. 36. Seſſio ſexta. Concilium Conſtantinopolitanum refellitur. 488
§. 37. Objectio ab Evchariſtia petita. 492
§. 38. Seſſio ſeptima. 496
§. 39. Seſſio ultima. Conſtantino & Irene præſentibus. 500
§. 40. Canones ſeptimæ Synodi. 502
§. 41. Concilium Calcutenſe. 508
§. 42. Carolus tertio Romam proficiſcitur. 511
§. 43. Paulus Diaconus. 515
§. 44. S. Willehadii obitus. 516
§. 45. Capitulare in Saxonia. 519
§. 46. Capitulare Aquisgranenſe. 522
§. 47. Libri Carolini. 525
§. 48. Nuptiæ Conſtantini & Mariæ. 531
§. 49. Conſtantinus ſolus imperat. 533
§. 50. Felicis & Elipandi Hæreſis. 535
§. 51. Beatus & Etherius Elipando reſiſtit. 537
§. 52. Concilium Narbonenſe. 541
§. 53. Concilium Forojulienſe. 543
§. 54. Alcuinus in Francia. 548
§. 55. Alcuinus contra Felicem ſcribit. 552
§. 56. Alii contra Felicem & Elipandum Libri. 556
§. 57. Concilium Francofordienſe. 559
§. 58. Canones de Imaginibus. 563
§. 59. Reſponſum ad Libros Carolinos. 565

§. 60. Reliqui Canones Francofordienſes. 569
§. 61. Capitulare Italiæ. 575

LIBER XLV.

§. 1. Conſtantinus Theodotam ducit. 577
§. 2. S. Platonis initia. 581
§. 3. S. Theodorus Studita. 586
§. 4. Hadriani Papæ obitus. 589
§. 5. Leo III. Papa. 593
§. 6. Eccleſiæ in Anglia. 598
§. 7. Conſtantini fata. Irene imperat. 600
§. 8. Alphonſus caſtus. 603
§. 9. Felix Urgellitanus Romæ damnatus. 604
§. 10. Vis contra Leonem Papam adhibita. 605
§. 11. Leo ad Carolum proficiſcitur. 607
§. 12. Eccleſia Paderbornenſis. 608
§. 13. Felicis Urgelitani Retractatio. 610
§. 14. In facinus Paſchalis & Campuli inquiritur. 612
§. 15. Arno Archiepiſcopus Salisburgenſis. 614
§. 16. Alcuini Tractatus contra Elipandum. 616
§. 17. Alcuini virtutes. 618
§. 18. Scholæ in Francia. 620
§. 19. Alcuini Opera. 622
§. 20. Papa cauſam defendit. 626
§. 21. Carolus Imperator coronatur. 628
§. 22. Legati ex Oriente ad Carolum miſſi. 632
§. 23. Nicephorus Imperator. Irenis obitus. 633
§. 24. Res Eccleſiaſticæ in Forojulio. 636
§. 25. Chorepiſcopi tolluntur. 637
§. 26. Epiſcopi a militia immunes. 640
§. 27. Iter ſecundum Papæ ad Carolum. 644
§. 28. Eccleſiæ in Saxonia. 645
§. 29. S. Ludgerus Monaſterienſis. 646
§. 30. Epiſcopatus Monaſterienſis. 648
§. 31. S. Ludgeri virtutes & obitus. 651
§. 32. Concilia Cloveshoæ. 653
§. 33. Taraſii obitus. Nicephorus Patriarcha. 654
§. 34. De rebus Franciæ. 658

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 35. Translatio S. Cypriani. 660
§. 36. Leidradus Archiepiſcopus Lugdunenſis. 661
§. 37. S. Benedictus Anianenſis. 664
§. 38. Benedictus Monaſteriorum Reformator. 673
§. 39. Monaſterium S. Guilielmi de deſerto. 675
§. 40. Monaſteria in Aquitania. 682
§. 41. Schiſma Conſtantinopolitanum. 684
§. 42. Epiſtola S. Theodori Studitæ. 688
§. 43. Concilium contra Platonem & Theodorum convocatum. 697
§. 44. Quando liceat diſpenſare. 700
§. 45. Quæ Plato & Theodorus paſſi fuerint. 705
§. 46. Secundæ Nuptiæ. 707
§. 47. Theodori Epiſtolæ ad Papam. 709
§. 48. Collatio cum Papa ob vocem Filioque. 712
§. 49. Smaragdus & Adalardus. 718
§. 50. Caroli Imperatoris Teſtamentum. 722
§. 51. Capitulare Interrogationum. 724
§. 52. Nicephori fata. Michael Curopalata. 729
§. 53. Nicephorus Patriarcha Papæ ſcribit. 735
§. 54. Manichæi in Oriente. 737
§. 55. Pauliciani. 742
§. 56. Res Chriſtianorum in Oriente. 747
§. 57. Quæſtio an Bulgari transfugæ remittendi. 752
§. 58. S. Platonis obitus. 753
§. 59. Michael deponitur. Leo Armenus Imperator. 756
§. 60. Theophanis initia. 760

HISTO-

S. Bonifacius Germaniæ Apostolus.



HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XLII.

S. GREGORIUS II. PAPA.
LEO III. IS. IMPERATOR. LUITPRANDUS, REX LONGOBARDORUM.

§. I.

Leo Imperator Imagines persequitur.

Cum ageretur annus a reparata Salute septingentesimus vigesimus sextus, Indictione nona, Sæcul. VIII. A. C. 726.

Sæcul. VIII. A. C. 726.

nona, ſpiſſiſſimo fumo tanquam ex fornace ardente ex fluctibus inter Inſulas Archipelagi Theram & Therasiam erumpente, mare æſtuans pumices undequaque in vicinas Aſiæ & Europæ oras ejaculabatur, & prope Inſulam Hieram nova Inſula ante nunquam viſa apparuit. Quamvis vero hæc raro adeo non acciderent, nihilominus Leo Imperator hunc eventum prodigiis æquiparavit, & irati Numinis indicium eſſe pronunciavit; quod JEſu Chriſti & Sanctorum Imaginibus honor indebitus exhiberetur. Quippe a Muſulmannis hauſerat opinionem, hunc cultum Sanctorum eſſe Idololatriam. Haud parum in iſto errore confirmatus eſt a quodam nomine Beſer, Syro, parentibus Chriſtianis nato, qui ab his Infidelibus captus eorum Religionem ſuſceperat turpis Apoſtata, & deinde libertate recuperata ad Romanos redierat. Hunc hominem Imperator propter eximias corporis vires, & mutuum in errore conſenſum magni faciebat. Item Conſtantini Epiſcopi Nacolienſis in Phrygia eundem errorem foventis adulatio acceſſit.

Theoph. an. 10. p. 338. S. Niceph. p. 37.

Theoph. an. 7. p. 336.

Ergo anno Regni ſui decimo, JEſu Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo ſeptimo, convocato populo, publice edixit; Imagines facere, eſſe Actum Idololatriæ, unde ſequeretur, non eſſe adorandas.

vit. S. Steph Jun. c. 1. Anal. Græc. p. 412.

Hæc

Hæc dicente Imperatore ingemuit populus, & ille plura tunc addere non ausus, etiam in alium sensum verba sua detorquere conabatur; at erroris principio generosum pectus opposuit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, coram Imperatore affirmans, Christianos semper habuisse imagines, seque ad earum defensionem mori paratum esse. Sæcul. VIII. A. C. 727.

§. II.

S. Germani Constantinopolitani Epistola Apologetica pro Imaginibus.

Sanctus Germanus nihil non egit, ut eos Episcopos, qui Imperatoris errori consentiebant, præsertim Constantinum Episcopum Nacolienſem, hujus Hæresis Auctorem, ad sanam Doctrinam reduceret. Tres habemus epistolas, quas Germanus de hac materia scripsit. Prima ad Joannem Episcopum Synnadensem in Phrygia Constantini Metropolitam data est, in qua dicit: *Tarasius Patricius reddidit mihi epistolam tuam, in qua de Episcopo Nacolienſi mentionem facis. Itaque certiorem te facio, quod antequam illam accepissem, cum Episcopus iste ad me venisset, de Imaginibus conferre cœperimus, & ego ipsius mentem examinaverim (jam enim eum fama mihi suspectum reddiderat) hæc autem in defensionem suæ opi-* *Conc. 7. Act. 4. tom. 7. p. 290.*

Sæcul. VIII. A. C. 727.

nionis attulit, ut omnia tibi ordine referam. Cum ergo, inquit, audiviſſem illa Scripturæ verba: non facies tibi Sculptile, ut adores illud, nec ſimilitudinem omnium, quæ in Cælo ſunt deſuper, & quæ in terra deorſum. Dixi, opera hominum non ſunt adoranda; ſed credimus, S. Martyres omni honore dignos eſſe, & eorum Interceſſionem imploramus. Reſpondi: Fides Chriſtiana, ejusdem cultus & adoratio in Deum ſolum referuntur, ſicut ſcriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies. In Deum ſolum Doxologia noſtra & Cultus noſter dirigitur. Doxologia eſt illa oratio, qua Eccleſia frequentiſſime utitur, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Tum S. Germanus proſequitur: *non adoramus creaturam, avertat Deus! nec reddimus Servis nobis ſimilibus Cultum ſoli Deo debitum.* (*) *Quando coram Imperatoribus & Principibus terræ proſternimur, id non fit in eum finem, ut eos adoremus, ſicut adoramus Deum. Nathan Propheta in terram proſtratus eſt coram Davide, qui utique homo erat; nec ullibi legimus Prophetam ideo reprehendi. Et quando Imagines fieri permittimus, non ideo quidquam*

Deut. 5. 8.

(*) Teſtimonium adverſus Proteſtantes præclarum ab Oriente & ex ore Patriarchæ Conſtantinopolitani productum!

quam perfectioni Cultus Divini demptum volumus; nullam enim facimus ad exhibendam Divinitatem inviſibilem, quam nec Angeli capere valent. (*)

Sæcul. VIII. A. C. 727.

Cum vero Filius Dei pro noſtra Salute homo fieri dignatus ſit, Humanitatis ipſius ſimulacrum exhibemus ad roborandam fidem noſtram, atque ut demonſtremus, Filium Dei Naturam noſtram non fiƈte, ſicut aliqui veteres Hæretici docuerunt, ſed vere & re ipſa aſſumpſiſſe. Hac mente Imagines ejus ſalutamus, & honorem cultumque congruum exhibemus, ut ſcilicet Incarnationem ejus in memoriam revocemus. Imaginem S. Matris ejus quoque pingimus, ut confiteamur, cum fœmina eſſet, & ejusdem, ac nos ſumus, naturæ, eam Deum Omnipotentem concepiſſe & peperiſſe. Admiramur etiam, & magni facimus Beatos Martyres, Apoſtolos, Prophetas & omnes Viros Sanƈtos, qui vere Dei Servi fuerunt, bonis ſuis operibus, veritatis prædicatione, & patientia in adverſis probati, qui Dei amici ſunt,

S. Germani Epiſtola.

(*) Ex his S. Germani verbis cognoſcimus, illa ætate necdum morem fuiſſe pingendi Sanƈtiſſimam Trinitatem, quia id, quod inviſibile eſt, capi non poſſet. At hodie etiam tres Perſonas Sanƈtiſſimæ Trinitatis exhibere licet; ſed ſub illa ſolum ſpecie, ſub qua in S. Scriptura hominibus aliquando apparuiſſe leguntur. Epiſt. Dogm. Bened. XIV. 1744.

Sæcul. VIII. A. C. 727.

& magna apud eum gratia valent. Pingimus eorum Imagines, ne fortitudinis eorum, & gratissimi obsequii Deo præstiti memoria pereat. Non vero dicimus, eos Naturæ Divinæ esse participes, nec eis honorem, & adorationem Deo competentem tribuere intendimus, sed affectum, quo ipsos prosequimur, ostendimus, & conspectu picturæ veritatem rerum, quas auribus percepimus, confirmamus. Nam quia carne & sanguine constamus, opus est, ut usu oculorum animam nostram de quarumdam rerum veritate certam reddamus.

S. Germanus epistolam claudit in hunc modum: *hæc omnia exposuimus præsente Nacolio Episcopo, qui hanc Doctrinam recepit, & coram Deo professus est, quod hæc credat, nec quidquam dicturus aut facturus esset, quod populis scandalo esse possit. Igitur Episcopos Provinciæ tuæ fatigare noli, & cave, ne res ista tibimetipsi scandalo sit; sed voca eum, hanc epistolam prælege, & compelle, ut consentiat.*

Constantinus Episcopus Nacolienſis hujus epistolæ ipsemet gerulus secreto retentam Metropolitæ suo non reddidit.

Taras. Conc. p. 295.

Hinc Germanus Patriarcha ad ipsum Constantinum scripsit in hunc modum: *Scripsit mihi Joannes Synnadensis Metropolita, epistolam meam a te sibi redditam non fuisse. Doleo vehementer, quod te*

nec

Sæcul. VIII. A. C. 727.

nec timor Dei, nec charitas, nec honor, quo JEsu Christi membra se mutuo prosequuntur, moveat. Jam autem præcipio tibi, ut tu ipse sine cunctatione priorem epistolam meam Metropolitæ tuo reddas, eidem juxta Hierarchiam Ecclesiasticam obedientiam præstes, & in proposito, quod professus es, Doctrinam nostram tenendi, abjecto proprio judicio, perseveres; Non enim, ut arbitror, tibi exciderit, quod me rogaveris, ut reciperem abdicationem Episcopatus tui voluntariam sub prætextu, quod aliqui seditionem in te commoverent, objicientes crimen, cujus tibi conscius non esses. Affirmasti apud me, te nec dicto nec facto Domino Nostro aut Sanctis ejus in causa Imaginum ipsorum contumeliam intulisse, sed solummodo Doctrinam Scripturæ exposuisse, honorem Divinum Creaturæ neutiquam esse tribuendum. Prælegi tibi, quæ ad Metropolitam tuum scribebam; dixisti, te consentire; & alterum hujus epistolæ exemplum tibi tradidi. Cave igitur, ne innocenti populo scandalum crees, & memento, terribile Judicium Dei in Auctores scandali futurum. Ceterum scias, me tibi, donec epistolam meam Metropolitæ tuo reddideris, in Nomine Sanctæ Trinitatis omnes Episcopi functiones interdicere. Malo enim aliquo rigore uti, quam me ipsum coram Deo reum facere.

Sæcul. VIII. A. C. 727.

Germanus Patriarcha ad Thomam quoque Episcopum Claudiopolitanum, in Imagines bellum moventem, dedit Epistolam. In ea dicit præter alia: *Diu apud nos fuisti, in una domo versabamur, interdum Quæstiones ex S. Scriptura afferebas; at nunquam vel unico verbo de Imaginibus Sanctorum, JEsu Christi, aut S. Matris ejus mentionem injeciſti. Altissime de hac materia siluisti. Nunc vero delatum est ad me, quod in Civitatem tuam reversus Imagines auferri jusseris, simulans, id communi consensu, & firmo Decreto fuisse statutum. Vix id a te fieri potuisse, mihi satis persuadeo; meum tamen est, ut quid de hac Quæstione sentiam, tibi aperiam. Inprimis memineris, semper quidem Episcopis Doctrinam novam esse vitandam, tunc vero summopere, quando exinde occasio scandali populo fideli nasci potest, & illud novum Consuetudini ab antiquis temporibus in Ecclesia stabilitæ adversatur. Præterea Episcoporum est calumnias, quas Infideles adversus Ecclesiam congerunt, refutare, & demonstrare, quod nostra Doctrina non solum sublimis & Divina, sed etiam immutabilis sit. Porro non hodie primum Judæi & veri Idololatræ id nobis exprobrant, non alio sane consilio, quam ut Fidelibus famam eripiant. Non enim ipsis curæ est, nos a cultu hominum abstrahere, ipsis, inquam, qui*

to 1. Conc. p. 298.

p. 299.

S. Germani Epistolæ.

qui nihil nisi homines colunt, præter res sensibiles nihil agnoscunt, qui Naturam Divinam omnibus, quibus possunt, modis deprimunt, dum eam uni loco affigunt, & simulacris corporeis repræsentant. Quod spectat ad Saracenos seu Musulmannos, illis lapidem nigrum quadratæ Domus Meccensis, præcipuam peregrinationis eorum causam, exprobrat. Sæcul. VIII. A. C. 727. *vid. Bibl. Orient. p. 97.*

Deinde S. Germanus fusissime differit de puritate Religionis Christianæ, cujus Actus Adorationis in nullam aliam rem, quam in Deum invisibilem, atque inaccessibilis Gloriæ Regem dirigitur. *Econtra*, inquit, *Idololatræ credunt, se Deum facere, qui prius non existebat, & si destruatur, credunt, se non amplius Deum habere, nisi alium similem faciant. Honores, quos Diis suis exhibent, satius turpitudines dixeris, verba proferuntur obscœna & actus perpetrantur, qui nequidem honeste nominentur. Verum enimvero Sanctorum Imagines, quæ in domibus Christianorum sunt, unice ad virtutem excitant, eo ferme modo, quo piorum virorum sermonibus ad devotionem invitamur; nam Imagines sunt Historiæ compendium, & omnia ad Cœlestis Patris gloriam referuntur. Quando Imaginem JEsu Christi adoramus, non adoramus colores ligno illitos, sed Deum invisibilem, qui est in Sinu Patris, in Spiritu & veritate adoramus.* *p. 301.* *p. 302.* *p. 303.* *p. 306.*

Sæcul. VIII. A. C. 727.

Et infra: *Ubi perſecutionum finis fuit, celebrata fuere Concilia Oecumenica, in quibus Canones conditi de rebus longe minoris momenti, quam Doctrina de colendis Imaginibus. Hæc tamen omnino maturo examini ſubjicienda fuiſſet, ſi hæc antiqua conſuetudo nos contra præceptum Sacrarum Litterarum in Idololatriam induceret, & a Deo averteret. Nam qui promiſit Apoſtolis, futurum ſe cum ipſis usque ad conſummationem Sæculi, idem etiam promiſit Epiſcopis, poſt Apoſtolos Eccleſiam recturis.* (*) *Porro qui dixit, ſe in medio duorum vel trium in Nomine ejus congregatorum futurum, ſine dubio tantam Epiſcoporum frequentiam ex amore veræ Religionis congregatam ſuo lumine non deſtituiſſet, præſertim cum mos colendi Imagines non in minoribus, aut paucioribus civitatibus, ſed ferme in omnibus Provinciis, primis, & illuſtriſſimis Eccleſiis invaluerit.*

Imagines ex antiquo more colendæ,

Poſtea reſpondet ad objectionem ex Sacra Scriptura depromptam, ubi Deus prohibet, ne Judæi facerent ſimilitudinem omnium, quæ in Cœlo vel ſuper terram ſunt; *ſenſus præcepti*, inquit, *manifeſte*

Exod. 20 4. *Deut.* 5. 8.

(*) S. Germanus hic clare edicit ſuam ſententiam; nempe cui a JEſu Chriſto Aſſiſtentiam Spiritus Sancti & Infallibilitatem promiſſam fuiſſe crediderit.

nifeſte patet, nimirum Naturam Divinam Sæcul. VIII.
eſſe inviſibilem & incomprehenſibilem. A. C. 727.
Nec quisquam putet, Deum aliquid cum imaginibus corporeis habere commune. Nam poſtquam dixit Dominus: non vidiſtis aliquam ſimilitudinem, in die qua locutus eſt vobis Dominus in monte Horeb, Deut. 4.
ſtatim addidit: ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, & reliqua &c. tum ut in eis memoriam vituli aurei revocaret, tum ut a moribus Agyptiorum, quos noverant, abſtraheret. Id ipſum dicit S. Paulus ad Athenienſes; Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut operi hominum, Divinum eſſe ſimile. Act. 17. 29.
Porro unum Deum agnoſcimus, ipſum ſolum adoramus, & ipſi ſoli Sacrificium per JEſum Chriſtum offerimus. Item: Chriſtiani nullum cultum aut honorem exhibent imaginibus parentum, aut amicorum ſuorum; ſed cum aſpicimus imaginem Viri Sancti, Gloriam Deo damus. Item: nemo ſcandalizetur, ſi Imagines Sanctorum accenſis cereis, p. 311.
vel odoribus honorentur, nam virtutum Symbola ſunt, quibus Sanctorum lumen Spirituale, & inſpiratio Spiritus S. ſignificantur. Et infra: *Tandem, non exigui momenti argumentum eſt, quod Deus ſæpe in Imaginibus miracula patraverit; multa ejusmodi prodigia referuntur, quale eſt liberatio a morbis, quod nos ipſi experti* p. 314.
ibid.
ſumus,

Sæcul. VIII. A. C. 727.

sumus, tum maleficia sublata, & apparitiones in somno. Illud vero extra omne dubium, & nemine reclamante certum, quod Imago S. Virginis, quæ erat Sozopoli in Pisidia, manu sua picta odorem liquidum effuderit; cujus rei plures testes adsunt. Ceterum S. Germanus non de aliis loquitur nisi de Imaginibus plana superficie pictis, nec aliæ secundum morem Græcorum, quem hodieque servant, in Ecclesiis conspiciebantur. Hinc loquens de Statua ænea, quam Hæmorrhoissa in honorem JEsu Christi posuerat, addidit: *quod non ideo memoramus, ac si mens esset affirmare, faciendas nobis esse statuas æneas.* Hæc mihi in tribus epistolis S. Germani memoratu digna visa sunt.

p. 315.

Sup. l. XV. §. 10. *ibid.*

§. III.

Epistola Papæ ad S. Germanum.

Cum S. Germanus rem gravissimi momenti ad Gregorium Papam detulisset, respondit ille data prolixa Epistola, in cujus initio gratulatur Patriarchæ, quod vigore Sacerdotali Doctrinam Ecclesiæ defendat. *Deinde Ecclesia*, inquit, *quamquam non nulli id somnient, nunquam fallitur, & huic Traditioni cum Paganorum moribus nihil commune est. Ex Intentione, non Actione judicabimur. Si Prophetarum oracula per Incarnationem*

Conc. 7. Act. 4. p. 282. 283.

nem Filii Dei impleta necdum fuerunt, Sæcul. VIII.
pingendum non est, quod nunquam factum; A. C. 727.
cum vero re vera omnia consummata fuerint, cum Dei Filius natus sit, Miracula patraverit, passus sit, & resurrexerit, utinam Cœlum, Terra, Mare, omnia animalia, & omnes plantæ mirabilia Dei verbis, scriptura, aut pictura satis enarrare possent!

Idola appellantur imagines illarum rerum, quæ nihil sunt, & non nisi in fabulis inficetis aut in cerebro delirantium Infidelium existunt. Sed nihil Ecclesiæ & Idolis commune. Avertat Deus! nunquam vaccas adoravimus, aut vitulum aureum, nec unquam creaturam Dei loco habuimus, nec Sacris BEELPHEGOR *initiati sumus. Si quis vero Judæorum obtrectationem imitans propter venerandas Imagines Ecclesiam Idololatriæ accusat, non majorem hominis rationem habebimus, quam canis, rabie supervacua latrantis, (*) eique id ipsum respondebimus, quod Judæis: utinam Israel ad Salutem suam usus fuisset rebus sensibilibus, quas præceperat* p. 287.

(*) Dieses alles hat unser Lutheraner, welcher öfters in seinen Anmerkungen, wenn eine Meldung von Verehrung der Heiligen vorkömmt, mit den Worten: Aberglaube, abgöttisch und der Ehre JEsu Christi verkleinerlich, um sich wirfet, richtig

Sæcul. VIII. A. C. 727.

perat ei Dominus, ut eundem ad se traberet! utinam plus Sanctum Altare, quam vaccas Samariæ, Virgam Aaron, quam Astartem, (*) *& Petram, unde aqua fluxerat, quam Baal amasset!* In hunc modum Ecclesia Romana & Constantinopolitana consentiebant.

Theoph. an. 10. p. 339. hist. misc. lib. 21.

Leonis Imperatoris contra Imagines molitio Seditioni populorum Græciam & Cycladas incolentium occasionem præbuit. Hi Religionis amorem obtendentes, & quemdam nomine Cosmum, quem Imperatorem coronaturi erant, secum ducentes, classe exornata Constantinopolim versus vela fecerunt, Agaliano Græciæ Præfecto & Stephano Ducibus. Deinde decimo octavo Aprilis, Indictione decima anno 727. navale prœlium committere ausi Rebelles ingentem cladem passi sunt. Agalianus, ut erat arma-

richtig in seiner Mutterſprache überſetzet. Die Geduld, oder vielmehr die Unempfindlichkeit dieſes Mannes (wenn ihm nicht etwan alle Religionen gleichgültig ſind) iſt unbegreiflich. Denn ſolche Dinge, welche ein Proteſtant nicht ohne Beſchämung überſetzen kann, lieſet man im Fleury auf allen Seiten.

(*) Sidoniorum Dea, cui Salomon, ut uni concubinarum ſuarum obſequeretur, Altaria condidit. 1. Reg. 15.

armatus, in mare profiliit, Cosmus & Stephanus capti, atque capite plexi. Sæcul. VIII. A. C. 727.

§. IV.

Germanus pellitur. Anastasius Patriarcha.

Tanta victoria Leonis Imperatoris animum multo vehementius contra Catholicos accendit; novos tamen conatus adhibuit ad pertrahendum in suam sententiam Germanum Patriarcham, qui ex Imperatoris partibus contra rebelles aperte steterat. Is ab Imperatore accersitus, & blandissime compellatus dixit: *fama perceperamus, editum olim vaticinium, futurum, ut Sanctæ Imagines tollerentur; sed non te Imperatore.* Tunc Imperator urgere, ut illius Imperatoris nomen ediceret, & Germano tandem respondente, id sub Conone futurum, Leo reposuit: *verum est; e Baptismi fonte Co- nis nomen accepi.* Et Patriarcha: *Bonus Deus tantum malum prohibeat, Princeps! ut te regnante prædictum nefas impleatur! quicunque enim impleverit, Præcursor est Anti-Christi, & Mysterii Incarnationis Eversor.* Sentiens postea Imperatorem hoc sermone offendi, meminisse jussit, quid, cum coronaretur, promisisset, nempe Deum Testem invocasse, nihil se de Traditione Ecclesiæ mutaturum

Theoph. an. 13. p. 341.

Frag. epist. in Græco cod. Orient. canonum.

Sæcul. VIII. A. C. 727.

rum. His dictis Imperator nihil movebatur, sed colloquium cum Patriarcha diutius protrahens sperabat, se posse ex eo verba injuriosa elicere, quo ansam nanciscceretur Virum Sanctum tanquam læsæ Majestatis reum deponendi. Instigabat Principem ad indignum facinus Anastasius Patriarchæ Discipulus & Syncellus, cui secum in errore consentienti Imperator promiserat, se eum ejecto Germano in Sedem Constantinopolitanam evecturum. Sancto Patriarchæ Anastasii perfidiam non ignoranti satis fuit eundem sapienter & leniter tanti facinoris arguere; verum cognoscens, quod a scelere revocari non posset, cum quadam die Palatium Cæsareum intrarent, & Anastasius Patriarchæ vestigia sequens ejusdem dependentem togam calcasset, dixit: *noli festinare; ad hippodromum enim pervenies, priusquam voles.* Hæc vox S. Viri Anastasium aliosque audientes non parum turbavit, & vera prædixisse Patriarcham eventus post lapsum annorum quindecim docuit, cum Constantinus Imperator Anastasium anno 744. probrose deposuit. Quippe id, quod referimus, anno 729. contigit. Ergo Imperator exinde Germanum Patriarcham pessime aversatus omnes Imperatores, omnes Episcopos & omnes Christianos Idololatriæ accusabat, quippe homo rudissimus

mus

mus Cultus *Relativi* & *Abſoluti* diſcri- Sæcul. VIII.
men capere non poterat. (*) Præterea A. C. 730.
non modo imaginum venerationem damnabat, ſed etiam Sanctorum Interceſſionem rejiciebat, eorumque reliquias horrebat.

Sub initium anni ſequentis 730. Indictione decima tertia, ſeptimo Jan. Imperator, ſuis ad conſilium advocatis Decretum contra Imagines condidit, & Patriarcham ad ſubſcribendum cogere voluit; at Sanctus Senex nefas jubentem fortiter repulit & Dignitate ſua ſe abdicare maluit. Pallium ſibi ipſi detraxit, atque inter alia verba Doctore Eccleſiæ digna hæc protulit: *non poſſum, Auguſte! non poſſum, ſine Auctoritate Concilii Oecumenici contra Fidem quidquam innovare.* Poſtquam receſſiſſet, Imperator iræ impotens in Palatium Patriarchale armatos immiſit, qui Antiſtitem octogenarium impactis pugnis inſigni contumelia ejicerent. Ipſe in domum paternam ſe recepit, loco qui *Platania* dicebatur, vitam ducturus Monaſticam, civibus Conſtantinopolitanis cariſſimi Paſtoris jacturam lamentantibus, poſtquam illam Sedem *Theoph. an. 10. p. 340.*

(*) En iterum Elogium, quod in noſtrum Interpretem Proteſtantem cadit, quotiescunque Catholicos Idololatriæ arguit!

Sæcul. VIII. A. C. 730.

Sedem annis quatuordecim, menſibus quinque, & tribus diebus tenuiſſet. S. Germanus in ſeceſſu ſuo ſanctiſſime vitam clauſit, ejusque memoriam Eccleſia duodecimo Maji celebrat. Eodem die Græci colunt Stephanum Abbatem, quem S. Germanus ex Palæſtina advocaverat, ut collapſam Monachorum Diſciplinam Conſtantinopoli reformaret. Deinde die vigeſimo ſexto Junii Græci colunt etiam memoriam Joannis Epiſcopi Gothorum ultra Pontum Euxinum, quem populi illi electum ad S. Germanum miſerant ordinandum. Sed Vir Sanctus veritus, ne commercio cum Hæreticis inficeretur, eum in Iberiam remiſit, conſecrandum ab illius Regionis Epiſcopis, quibus viri indoles moresque perſpecti eſſent. S. Germanus Auctor fuit operis, quod non amplius ſupereſt, in quo defendebat S. Gregorium Nyſſenum contra adverſarios, qui eum Hæreſis Origeniſtarum accuſabant. Eidem aliqui Libri tribuuntur, quos melioris Notæ Critici alterius Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani illo antiquo non minus quingentis annis junioris opera eſſe exiſtimant.

Mart. Rom. 12. *Maji.* *Boll. to.* 14. *p.* 155. *Menol. Baſil.* 12. *Maji.* 26. *Jun.*

Phot. Cod. 233. *p.* 904. *V. Dupin. to.* 7. *p.* 28.

S. Germano expulſo, protinus vigeſimo ſecundo ejusdem menſis Jan. anno 730. Anaſtaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus ordinatur, & ope armatorum in poſſeſſionem mittitur. Is omnem po-

teſta-

testatem Ecclesiasticam in Imperatorem contulit, qui tanta Auctoritate munitus cunctos ad observandum Decretum suum contra Imagines editum vi adhibita compellere cœpit. Sæcul. VIII. A. C. 730.

§. V.

Constantinopoli multa vi adhibita aguntur.

Magnum Constantinopolitanæ urbis Palatium ingressuris transeundum erat per vestibulum, quod Græci *Chalce* appellabant, quia laminis æneis tectum erat, & forum, dictum *Chalcopratea*, id est, forum cupri, contingebat. In hoc vestibulo erecta erat Imago JEsu Christi e cruce pendentis, quam cuncti veneratione singulari prosequebantur. Hanc Constantinus Magnus affigi jussisse ferebatur, memor Crucis prodigiosæ, sibi olim in Cœlo conspicuæ, multaque ibi edita miracula narrabantur, inter quæ & istud locum habet. Quidam mercator, cui nomen Theodorus, rebus suis omnibus naufragio exutus, a Judæo, nomine Abraham, quinquaginta libras auri mutuas acceperat & JEsum Christum, in illa Imagine repræsentatum, vadem obtulerat. His, profectione auspicato susceptа, opes recuperavit, & Judæus se convertit; unde illa Imago *Antiphonetes*, id est, *vadem se præbens*, appellata.

V. Cang. C. P. Chr. lib. 2. p. 114. &c. & lib. 4. n. 9. p. 85.

Narrat. de Antiphon. to. 2. Auct. Bibl. PP. Combef. p. 611.

Sæcul. VIII. A. C. 730.

Nullam prius quam hanc Imaginem deletam cupiens Leo Imperator misit Prætorianorum unum, nomine Jovinum, qui eam destrueret. Quædam mulieres forte præsentes Jovinum, imperata facere parantem, summis precibus flectere nitebantur, ne tanto Sacrilegio se polluere vellet, cumque ille spretis fæminarum precibus scalam applicitam conscendisset, & ter securi effigiem in facie percussisset, mulieres subtracta scala Jovinum terræ afflictum, & fœde dilaniatum, in ipso loco interimunt. Nihilominus dejecta illa imagine, & flammis tradita, Imperator Crucem vacuam reponi jussit, cum Inscriptione indicante, Imaginem fuisse ablatam. Nam Iconoclastæ Crucem venerabantur, si modo Crucifixus abesset, & illas solum deletas volebant imagines, quæ figura erant humana. Tum mulieres Jovini interfectrices ad Palatium Patriarchale procurrunt, saxa injiciunt, clamantes: *Anastasi! veritatis inimice turpissime! num ideo Sacerdotium invasisti, ut res Sacras perderes?* Anastasius contumeliis excitatus ad Imperatoris conclave festinanter se proripit, obtinetque, ut hæ mulieres ultimo supplicio afficerentur. Cum eis etiam alii, numero decem, viri octo & duæ fæminæ necantur, quos Ecclesia Græca Martyrum numero adscriptos nono die Augusti

Greg. ep. 1. to. 7. Conc. p. 19.

vit. S. Steph. p. 415.

Cang. lib. 2. p. 116.

vit. S. Steph. p. 413.

Menol. Mart. Rom. 9. Aug.

gusti colit. Multi Christiani ex Occidente, qui Roma, ex Francia, ex Regione Vandalorum, ex Mauritania, ex Gothia advenerant, horrendi spectaculi testes adfuere, & novæ rei tristissimum nuncium in patriam detulerunt. Sæcul. VIII. A. C. 730. *Theoph. an. 10. p. 339.*

Leo Imperator scientiarum omnium ignorantia laborans præ ceteris in viros doctos furere cœpit, & scholas, a Constantini Magni temporibus florentes, in quibus Sacræ litteræ docebantur, sustulit. Constantinopoli prope Palatium Cæsareum Bibliotheca erat ab Imperatoribus fundata, in qua ultra triginta voluminum millia visebantur, ejusque Præfectus, nomine Lœcumenicus vir præclaris meritis conspicuus. Habebat duodecim alios sibi subordinatos, qui suos Discipulos gratis in Religione & Scientiis profanis erudiebant. Porro ea erat apud omnes de viris istis sapientiæ opinio, ut iis inconsultis rem magni momenti moliri Imperatoribus vix liceret. Leo Imperator eos tum minis tum pollicitationibus aggressus, ut in suam sententiam de rejiciendis imaginibus pertraheret, cum tandem desperaret, se id a constantissimis viris impetrare posse, circa totum Bibliothecæ ædificium ligna arida, & materiam, quæcunque ignem facile conciperet, subjici, atque unacum libris omnes illos, qui eos custodiebant, concremari jussit. *Constant. Manas. p. 87. v. Cang. C. P. Chr. lib. 2. n. 3. p. 151.*

Sæcul. VIII. A. C. 730.

juſſit. Tandem vel blandis inſidiis, vel vi aperta, omnes Civitatis Conſtantinopolitanæ incolas compellere conatus eſt, ut omnes Imagines JEſu Chriſti, Sanctæ Virginis, aliorumque Sanctorum, ubicunque eſſent, in foro Civitatis comburerent, & omnes Eccleſiarum parietes picturis ornatos dealbarent; multi vero obedire detrectantes, alii capite plexi, alii alia corporis parte truncati. Multi denique in hac perſecutione Clerici, Monachi, Laici Martyrium paſſi.

Anaſt. in Greg. II. Theoph. an. 13. p. 343.

§. VI.

Seditio in Italia.

Inexſpectato perſecutionis nuncio in Italiam delato, Imperatoris Imagines dejiciuntur, pedibus ſeditioſorum calcantur, & Longobardi captata occaſione in Pentapolim movent. Jam ante hæc omnia cum Longobardi Indictione undecima, id eſt, anno 728. Sutrium in Hetruria occupaſſent, Papa miſſis epiſtolis tum hortatu tum donis a Rege Luitprando obtinuit, ut urbem, ut ut expilatam, redderet. Verum poſtea Rex initis cum Eutychio Exarcho fœderibus, arma cum Romanis jungere ſtatuit, ut ipſe Duces Spoleti & Beneventi ad præſtandam ſibi obedientiam compellere, Exarchus vero Romam ad deditionem cogere, & contra Papam jam pridem ſibi mandata exequi

qui posset. Ergo duobus Ducibus ad of- Sæcul. VIII.
ficium reductis, exercitum urbis portis A. C. 730.
admovet, unde Papa egressus Regem oratione usque adeo efficaci cohibuit, ut ad pedes ejus se demittens promitteret, innoxium fore exercitum, imo arma posuerit & in urbem admissus, ante Corpus S. Petri pallium suum, balteum, gladium cum manubrio aureo, & Crucem argenteam dona obtulerit. Peractis precibus rogavit Papam, ut etiam Exarchum in pace reciperet, & Papa annuente recessit Luitprandus, Eutychius autem Exarchus urbem intravit.

Exarcho Romæ commorante, Tiberius cognomento Petasus commota in Hetruria Seditione summam potestatem ambibat, urbesque tres Mandubrium, Lunam & Bledam ab Imperatore deficientes in fidem receperat. Cum nascentes motus Exarchum, Evnuchum, & alias timidæ mentis hominem, vehementer terrerent, Papa animos addidit, eique & exercitui comites dedit Clericorum suorum præcipuos. Ubi Mandubrium pervenerunt, occisus est Petasus, & perduellis caput Constantinopolim missum. Nihilominus offensus Imperatoris animus Romanis reconciliari non potuit. Sed exinde editum contra Icones Decretum Romam misit, promittens se Papam, si consentiret, omnibus, quæ facta fuerant, *Anast. in Greg. II.*

Sæcul. VIII. A. C. 730.

oblitteratis, in gratiam recepturum, addita comminatione, deponendum esse, si suis mandatis obsisteret. Sed Papa ad impia mandata exhorrens, Imperatori resistere tanquam Ecclesiæ hosti constituit, datisque ad omnes Fideles litteris admonuit, ut a novo errore sibi caverent. Pentapolis populi & exercitus Venetorum, rejectis Imperatoris mandatis, se Pontificis causam strenue tuituros edixerunt, Paulum Exarchum Ravennatem, eumque, a quo missus esset, id est, Imperatorem, eosque, qui ab ipso imperata facerent, anathematizantes. Tum copiis Duces delegerunt, tandemque communi deliberatione consensit tota Italia, ut alius eligeretur Imperator, & Constantinopolim deduceretur. At Papa necdum desperans, fore, ut Leo converteretur, prohibuit, ne quæ in deliberationem venerant, executioni darentur.

Interim Exhilaratus Dux Neapolitanus cum Adriano filio suo, cum in Campania rebus potiretur, illius Provinciæ populos eo adduxit, ut Imperatori morem gerere, & Papam interficere sibi proponerent; verum Romani Patrem Filiumque captos necarunt, & Petrum Romanæ Civitatis Ducem, quem accusabant, quod ad Imperatorem contra Papam litteras dedisset, ejecerunt. Ravennæ

Gregorius II. Papa.

næ divisus erat populus, his pro Impe- Sæcul. VIII.
ratore, aliis pro Catholicis & Papa stan- A. C. 730.
tibus. Ergo ad arma ventum, atque Paulus Patricius & Exarchus Ravennatensis interfectus. Multæ urbes Æmiliæ & Auximensis Regionis in Pentapoli (*) Longobardis se dediderunt. Tandem Longobardi ipsam Ravennam in suam potestatem redegerunt; quod ex una epistola Gregorii II. Papæ ad Ursum Ducem Venetiæ seu potius cujusdam Provinciæ Ravennatensis, quæ Venetia dicebatur, data apparet, nam in ea dicebat: *Cum ad castiganda peccata nostra factum sit, quod Civitas Ravennatensis in manus infamis nationis Longobardorum devenerit, & Exarchus in Venetia, ut ad nos relatum est, agat, conjunge vires tuas, & cum eo pugna pro nobis, ut Ravenna Imperio, & Dominorum nostrorum Leonis & Constantini Ditioni restituatur.* Econtra Eutychius Patricius Evnuchus olim Ravennæ Exarchus ab Imperatore Neapolim missus fidissimorum aliquem Romam deferre mandavit epistolam, qua Papa & Primores Civitatis necari jubebantur; re autem mature detecta Romani ipsum Patricium, nisi Papa fortissi-

(*) Pentapolis erat Ditio urbis cujusdam in Hetruria, nunc excisæ. Locus hodie *Straccia cappe* nominatur.

Sæcul. VIII. A. C. 730.

me obſtitiſſet, vita privaſſent. Igitur Eutychium Patricium cuncti, ſummi, infimique, anathematizare, & jurejurando ſe obſtringere, mortem potius ſubituros, quam paſſuros, ut Papa, qui Fidem tanto zelo defenderet, læderetur. Tum Eutychius Patricius miſſis ad Regem Luitprandum & Duces Longobardorum Legatis magnam pecuniæ vim pollicebatur, ſi a Papa deficerent; ſed illi cognita fraude, cum haud ſincere amicitiam peteret, Romanis juncti ad Papæ defenſionem ejusdem juramenti fide ſe obligarunt. Gregorius vero, Deum Eccleſiæ ſuæ propitium redditurus, eleemoſynas largiter ſpargebat, jejunabat, orabat, & inter ſupplicationes publicas quotidie procedebat. Porro quamvis magis a Deo quam ab hominibus ſperaret auxilium, populo tamen pro impenſa ſibi charitate gratias agebat, hortabatur leniter Fideles, ut in via virtutum proficerent, fidem ſervarent, nec tamen amorem & fidelitatem Romano Imperio debitam abjicerent. His non obſtantibus Græci Gregorium II. Papam accuſarunt, quod Italiam Imperatoris poteſtati ſubtraxiſſet; ſed in hac cauſa illi potius Scriptores fidem merentur, qui in Italia res geſtas ſcripſerunt.

§. VII.

Sæcul. VIII.
A. C. 731.

§. VII.

Gregorii II. Obitus. Gregorius III. Papa.

Cum ex Epistola Synodica novi Patriarchæ Constantinopolitani Anastasii ad se missa Gregorius II. Papa cognosceret, quod Iconoclastarum Hæresim tueretur, credidit, tanquam Fratrem non esse recipiendum, sed data Epistola monuit, nisi ad Fidem Catholicam rediret, Sacerdotio esse privandum. His Gregorius Papa haud diu superstes fuit, sepultusque est ad S. Petrum decimo tertio Febr. Indictione decima quarta anno 731. postquam S. Sedem tenuisset annis quindecim octo mensibus & totidem diebus. Cum quinquies ordinasset, & quater mense Sept. Presbyteros triginta quinque, Diaconos quatuor & centum quinquaginta Episcopos creasset. Calicem aureum gemmis distinctum triginta librarum, & Patenam auream viginti octo & mediæ librarum obtulit. Clero & Monasteriis bis mille centum & sexaginta solidos aureos, & S. Petri luminaribus bis mille donavit. Ecclesia eundem Sanctis adscriptum decimo tertio Februarii colit. (*)

Anast. in Greg.

Theoph. an. 13. p. 343.

Mart. Rom. 13. Febr.

Seden-

(*) Der Herr Mosheim in seiner Vorrede zu der

Sæcul. VIII. A. C. 731. Sedente Gregorio II. lis inter Episcopos Forijulienſem & Gradenſem orta eſt.

der Geſchichte der Schlangenbrüder hat ſich nicht geſchämet hinzuſchreiben auf der 25. Seite. Es ſind wenige Päbſte unter denen, die von dem achten Jahrhundert an regieret haben, die nur einen mittelmäßigen Ruhm der Gerechtigkeit, der Vernunft, und der Leutſeligkeit hinterlaſſen haben, viele die nur wegen ihrer Laſter, wegen ihrer Gewaltthätigkeit, Grauſamkeit, Geldſucht, Argliſtigkeit berühmt geworden ſind, faſt keine, die ſich ein Gewiſſen gemacht haben ihre Gewalt durch verbotene Mittel und durch Sünden zu ſteigern, und die aufrichtigſten und frömmeſten Seelen zu kränken, die in ihre hochmüthigen Abſichten nicht willigen wolten.

In dieſer Vorrede entſchuldiget der Herr Mosheim alle Ketzer, denn er iſt der Meynung, es ſey bis dieſe Stunde noch keine unpartheyſche Ketzergeſchichte an das Licht getreten; Nun aber frage ich einen Wahrheit liebenden Leſer, ob man nicht durch dieſe wenige Worte des Herrn Mosheim überführet werde, daß er ſchlechterdinges unfähig ſey eine unpartheyſche Schrift entweder von der wahren oder falſchen Religion zu verfaſſen. Die Gebrechen einiger Päbſte müſſen immer zur Probe dienen, daß die Römiſche die wahre Kirche Chriſti nicht geweſen. Es können aber die Herren Proteſtanten nichts ſchwächers wider

uns

est. Cum Serenus Episcopus Forijulien- Sæcul. VIII.
sis quædam jura Donato Patriarchæ Gra- A. C. 731.
densi

uns bringen; denn so wäre auch die lasterhafte Synagoge die wahre Kirche im alten Testamente nicht gewesen. Und wenn auch die Laster, Gewaltthätigkeit, Grausamkeit, Herrschsucht, Argistigkeit eben so groß gewesen wären als es Herr Mosheim hinschreibet, so folget nichts destoweniger nichts anders daraus, als daß die Christenheit, und sonderlich die grossen Fürsten sich diesem Uebel durch alle erdenkliche Mittel hätten widersetzen sollen, nicht aber daß man die Gemeinschaft mit der Römischen Kirche gar aufheben, und also die von JEsu Christo gestiftete und gebotene Einigkeit habe zerreissen können. Es ist auch augenscheinlich, daß der Herr Mosheim alles dasjenige, was die Päbste gethan, wann sie die ihnen von JEsu Christo als Nachfolgern Petri verliehene Gewalt in der ganzen Kirche ausgeübet, für Hochmuth und Ungerechtigkeit ausgiebt; Allein dieser Fehler rühret daher, weil der Herr Mosheim von Göttingen den wahren Sinn der heiligen Schrift und der Worte JEsu Christi, die er zum heil. Peter gesprochen, ob sie schon klar sind, nicht versteht, ja auch ohne Zeugniß und Auslegung der wahren Kirche nicht verstehen kann.

Ferner, saget er auf seiner 23. Seite von den Fraticellern, daß sie wider die Römischen Päbste behauptet, daß kein Römischer Bischoff bemächtiget wäre die göttlichen Gesätze

Sæcul. VIII. A. C. 731.

denſi competentia uſurpaſſet, Gregorius II. Papa data ad eum anno 729. Epiſtola, in memoriam reducit, quod ipſi Pallium a Rege Longobardorum rogatus conceſſiſſet, ea conditione, ut jure, quod usque ad illud tempus poſſediſſet, contentus viveret, & nullius alterius privilegia aut prærogativam læderet. Jubet

Ep. 14. to. 6. Conc. p. 1450

ſätze und Ordnungen umzuſtoſſen, und jemanden von der Erfüllung derſelben loszuſprechen. Wir können uns nicht enthalten dieſe Lehre zu loben ꝛc. Wer hat iemal gelehret, daß ein Pabſt GOttes Gebot umſtoſſen könne? Allein der Herr Mosheim will einmal zu der Zahl derjenigen gehören, welche mit offenbaren Unwahrheiten und Hirngeſpinſten wider die Römiſche Kirche aufgezogen kommen. Endlich heißet es öfters in dieſer Vorrede: Die ſogenannten heiligen Väter, der *Bonifacius* ein ſogenannter Apoſtel Deutſchlandes. So ſchreiben nur erbitterte Tadler, welche das Vorurtheil blind gemacht. Und man könnte hier etwas ähnliches mit gutem Grunde ſagen, was der Herr Mosheim aus Unwiſſenheit deſſen, was die Katholicken eigentlich lehren, in einem andern Orte hinſchreibet, nämlich, hat der Heiland zugelaſſen, daß Bonifacius, der vom Römiſchen Stuhle geſchicket war, ein ſogenannter, das iſt, ein falſcher Apoſtel geweſen, ſo hat er dem ganzen Deutſchland eine ſchlechte Gnade erwieſen, wenn ſolches aus dem Heydenthum nur in die Kirche des Antichriſtes iſt überſetzet worden.

Jubet ergo, ut intra hos limites se con- Sæcul. VIII.
tineat, & in Ecclesiis Ditioni Longobar- A.C. 731.
dorum subjectis nihil moliatur. Scripsit *ep. 15. p. 1451*
quoque Papa Donato Patriarchæ Gradensi, Episcopis, Duci Marcello populisque Venetiæ & Istriæ, monens, ut caverent, ne Longobardi arrepta tricarum istarum inter Episcopos exortarum occasione, in terras ipsorum irrumperent. Serenus erat Patriarcha Aquilejensis Forojulii residens, & Donatus itidem Patriarcha Aquilejensis Gradæ in Ditione Romanorum residens. Sereno defuncto *Paul. Diac.*
Calistus Vir nobilis Archidiaconus Tar- *VI. Hist. c. 45*
visinus Patriarcha Aquilejensis Forojulii favente Rege Luitprando ordinatur. Is, cum Forijulii proprius illius Civitatis Episcopus esset, tunc nomine Amator, & Patriarchæ Longobardis subdito Forijulii residere non liceret, quia ab in- *ibid. c. 51.*
cursionibus Romanorum tutus non fuisset, sed Cormonæ habitare cogeretur, generis nobilitate inflatus ferre non potuit, quod Episcopus ille cum Duce & Longobardis Forijulii, quod erat hujus Provinciæ Caput, resideret, dum interim ipse inter plebejos habitaret. Nulli ergo labori pepercit, donec, Amatore ex Urbe Forijulienſi expulso, ipse ejecti domum occupasset. Pemmo illo tempore Episcopi A-
Dux Forojulii hac re offensus, & multis quilejenses.
Longobardorum operam jungentibus,

Calli-

Sæcul. VIII. A. C. 731.

Calliſtum Patriarcham captum, in Arcem, quæ Poncia dicebatur, in littore maris poſitam, abſtraxit, inde Epiſcopum in mare præcipitaturus. Satis tamen ei fuit Antiſtitem in carcerem detrudere, in quo eidem præter panem nihil præbebatur. Verum hoc facto ad Regem Luitprandum delato, is ira commotus Ducatum Pemmoni ereptum Rachi filio tradidit.

Anaſt. in Greg. III.

Gregorio II. Papa fatis functo Sacra Sedes non ultra triginta quinque dies vacavit; nam dum ejus exequiæ celebrantur, omnis populus Romanus ſubito veluti cœlitus admonitus in Gregorium Presbyterum manus injicit, & Papam eſſe compellit. Erat Gregorius natione Syrus, Vir leniſſimus, ſapientiſſimus, & in Sacris Scripturis apprime eruditus. Pſalmos ex memoria recitabat, eorumdem ſenſum occultum ſcrutari ſolitus. Linguæ Græcæ & Latinæ gnarus, facundia pollebat, ita ut, cum ad populum diceret, dubium crearet, moveretne magis, an delectaret. Pauperes diligebat, de cetero omnium virtutum exempla ſingulis præbens. Sacram Sedem annis decem & novem menſibus tenuit, ab antiquis Scriptoribus ſæpe Gregorius junior dictus; quem etiam aliqui, præſertim Græci, ab Anteceſſore ſuo imperite non diſcernunt.

§. VIII.

Sæcul. VIII. A. C. 731.

§. VIII.

Epistola prima ad Imperatorem.

Gregorius III. Papa sub initium Pontificatus sui datis ad Leonem Imperatorem litteris respondit ad Epistolam vel sibi, vel Gregorio II. datam. Has litteras Papa exorditur in hunc modum: *Accepimus Indictione decima quarta Regni tui, Epistolam Majestatis tuæ ejusdem Indictionis, item Indictionis quintæ decimæ anni primi Regni tui & sequentium usque ad annum nonum.* Leone imperante Indictio decima quarta incidit in annum 731. sed Indictio decima quinta & novem sequentes, ad decem annos priores Regni ejus referendæ sunt, quo tempore Catholicus esse videbatur. Tum Papa prosequitur: *Epistolas tuas & Antecessorum tuorum in Ecclesia S. Petri diligenter conservamus. Quia in his Epistolis Sigillo tuo munitis, quibus manu tua cinnabari usus subscripsisti, Sanctam Fidem nostram in tota sua puritate confiteris, & anathematizas omnem hominem, quicunque Patrum Decretis adversari ausus fuerit. Quid igitur jam animum tuum in transversum agit, postquam annis decem recto tramite incessisti? Toto hoc elapso tempore sacrarum Imaginum mentionem nunquam feciisti. Nunc vero dicis, eas Idolorum*

Anast. to. 7. Conc. p. 7.

p. 10.

Sæcul. VIII. A. C. 731.

vices subire, & qui eas adorant, esse Idolatras. Imagines penitus aboleri jubes, & Dei judicium non times, dum tam Fidelibus quam Infidelibus scandalum ponis. Quare, cum Imperator, & Christiani orbis Caput sis, in re tanta viros doctos & in rebus ad Religionem spectantibus versatissimos non interrogasti? Hi causam te docuissent, cur Deus prohibuerit, ne opera hominum adorentur. Patres, Magistri nostri, & sex Concilia hanc ad nos Traditionem transmiserunt, & tu illorum testimonium non recipis. Quia vir rudis es & illiberalis, cogimur tibi scribere sermones duros, at bono sensu & Dei veritate plenos. Obtestamur te, ut dimissa præsumptione & superbia tua nos humili mente audias.

Olim ita locutus est Deus propter Idolatras, qui in terra Promissionis habitantes adorabant animalia aurea, argentea, & lignea, aves quoque & omne genus creaturarum, dicentes: Hi sunt Dii nostri, & alii non dantur. Ideo Deus prohibuit construi opera hominum, noxia, abominanda, & a Dæmone inventa. Sunt tamen aliqua, quæ Deus ad honorem suum fieri præcepit, nimirum, Legis Tabulas, Arcam, & Cherubinos. An non hæc quoque erant opera hominum? In

p. 115.

novissimis temporibus misit Deus Filium suum, qui carnem assumpsit, quem Jerosoly-

solymitæ conspexerunt, qui multos Actus sensibiles exercuit. Itaque, qui ipsum viderant, talem, qualem viderant, pinxerunt. Pari modo depicti fuere S. Jacobus Domini nostri secundum carnem propinquus, S. Stephanus & alii Martyres. His Imaginibus in universum orbem delatis, cessarunt homines adorare Dæmonem, ut eas adoravent, non Cultu Latriæ, sed Cultu Relativo. Et infra: *Quare Patrem JEsu Christi non pingimus? Quia nimirum Natura Divina repræsentari non potest. Si Patrem vidissemus, pari modo ac Filium pingeremus; tu vero diceres, esse Idolum. Insimulas nos, quod adoremus saxa, muros, & asseres. Non ita est, Auguste! sed in memoriam reducimus illos homines, quorum imagines sunt, & nomina gerunt, tum mentes nostras humi repentes atque rudes ad cœlestia elevamus. Non Icones, Deos esse, censemus, absit horrendum malum! nec in imaginibus spem nostram ponimus. Si autem sit Imago Domini Nostri, dicimus: Domine JEsu Christe, Fili Dei! adjuva nos! salva nos! si sit Imago S. Matris ejus, dicimus: S. Mater Dei, ora Filium tuum, ut salvet animas nostras! si sit Imago Martyris, S. Stephane! qui pro JEsu Christo sanguinem tuum fudisti, qui apud eum plurimum potes, tan-*

Sæcul. VIII. A. C. 731.

Imaginum Cultus.

Sæcul. VIII. A. C. 731.

quam Princeps Martyrum, ora pro nobis!

p. 115. Iterum inferius: *Potuissemus, potestate & Auctoritate S. Petri prædíti pœnas in te statuere, sed cum te ipsum anathematizaveris, anathema sis.* Rursus: *Præstaret, te Hæreticum nominari, quam persecutorem, & Sacrarum Imaginum destructorem; sed tibi Hæretici nomen non convenit, quia veritatem oppugnas luce meridiana clariorem. Habebas maximæ Auctoritatis Episcopum, Fratrem nostrum, Dominum Germanum, quem te tanquam patrem consulere oportebat, Virum tam in causis Ecclesiæ quam Reipublicæ versatissimum hodie annos vitæ numerantem octoginta quinque, cujus opera tot antea Patriarchæ, tot Imperatores usi fuerant. Hunc tu expulisti, ut impium & insanum istum Ephesinum Apsimari filium audires, aliosque hujus farinæ homines, qualis est Theodosius Episcopus Ephesinus, inter Iconoclastarum principes non postremus.* Deinde Papa refert exemplum Constantini Pogonati, qui sextam Synodum convocari jussit, & se ipsum primo submittens Patrum Decreta observari mandavit. Et subjungit: *Hinc vides, Princeps! non Imperatorum esse, sed Episcoporum Res Ecclesiasticas definire. Sicut igitur Episcopi, Ecclesiis præfecti, a negotiis Reipublicæ abstinent,*

Conc. 7. *Act.* 1. *p.* 55. *Sup. Lib. XL. §.* 11. 27. *p.* 18.

nent, ita etiam Imperatores Quæstiones Ecclesiæ non decidant, sed ea, quæ ad se pertinent, administrent. Verum Imperatorum Episcoporumque concordia, utraque potestas in unam coalescere videtur, quando in pace & charitate omnia tractantur. Sæcul. VIII. A. C. 731.

In litteris tuis petiisti a nobis, ut Concilium Oecumenicum convocaremus; id nobis jam non videtur. Tu es ille, qui Imagines persequeris. Contine te, & quiesce; Mundus erit in pace, & cessabunt scandala. Ponamus enim congregari Episcoporum Concilium, at nullum habemus Imperatorem, qui pro more consideat, quem pietatis amantem venerari possimus, qui bene docentes remunerari, & a veritate aberrantes cohibere velit. Tu enim ipse es rebellis Ecclesiæ filius, & Barbarorum more Fideles persequeris. An non vides, tua in Sacras Imagines molimina seditionem esse, & turpis superbiæ fructum? Tranquilla pace fruebantur Ecclesiæ, cum tu pugnas excitasti, gravissimo omnium scandalo. Insanire desine, tunc nullo Concilio erit opus. S. Gregor. III Epistola ad Leonem III.

Deinde narrat Pontifex, totum Occidentem ab ipso defeciisse, ex quo allatæ essent litteræ, quod ad delendas Imagines vim adhibuisset. *Imagines tuæ*, inquit, *direptæ, in lutum projectæ, & pedibus plebis calcatæ fuere.* p. 19. Sup. n. 6. *Longobardi,*

Sæcul. VIII. A. C. 731.

Sarmatæ, aliique populi, qui ex Septentrione advenerunt, in Decapolim, miseram profecto te Imperatore Provinciam! irruperunt, Ravennam Metropolim occuparunt, & ejecto tuo Magistratu, suos Præfectos immiserunt. Jam vero Civitatibus nobis proximis & Urbi eandem sortem minitantur. Roma perit, nec tu ille es, qui servare eam possis. Hos fructus nobiles tua insipientia peperit.

Terrere nos vis, dicens, mittam Romam, qui Imaginem S. Petri comminuant, jubebo, Gregorium Papam vinculis onustum abstrahi, sicut olim Con-
† Constans. *stantius † Martinum. Scito Papas esse Conciliatores pacis, ejusdemque inter Orientem & Occidentem Arbitros. Non est, cur minas tuas timeamus; si enim in*
Baudr. Lex. *locum non plus una Leuca Roma, qua Campaniam spectat, distantem recedimus, securi sumus.* Decapolis, cujus hic Gregorius III. meminit, illa ipsa est Provincia, quæ frequentius Pentapolis nominabatur, & cujus Caput Ravenna habebatur.

§. IX.

Secunda Papæ ad Imperatorem Epistola.

to. 7. Conc. p. 23.

Cum Leo Imperator iterum Papæ scripsisset, is respondit in hunc modum: *Litteras tuas Rufinus Legatus tuus mihi red-*

reddidit. Jamque usque adeo crescit dolor meus, ut ipsam vitam fastidiam, cum videam, quod non modo præteritorum te nulla pœnitentia subeat, sed pervicacius in errore perseveres. Dicis: Imperium teneo, & Sacerdotium. Id quidem Antecessores tui de se dicere potuissent, illi nimirum, qui fundarunt, & ornarunt Ecclesias, easdemque juncta cum Episcopis opera contra Adversarios defenderunt. Tu vero quas inveniſti magnifice p. 26. *ornatas, spoliasti & deformasti. Quid sunt Ecclesiæ nostræ, nisi opera hominum? lapides, ligna, calx, arenatum? At Imaginibus Historiisque JEsu Christi, & Sanctorum ornantur. Ad Ecclesias sic decorandas Christiani bonorum suorum partem impendunt, patres matresve parvulos suos neo-baptizatos brachiis complexi, iisdem, aut juvenibus, aut Gentilibus conversis digito illas monstrant, hac industria ad pietatem formant, eorum intellectum & cor ad Deum elevant. Ab bis tu simplicem plebis animum abstraxisti, ut otio torperet, jamque cantilenas, lyræ tibiæque sonos, aliasque id genus nugas, in locum Gratiarum actionis & Laudis Divinæ substituisti.*

Sæcul. VIII. A. C. 731.

Postea Papa Imperii & Sacerdotii diversitatem ostendit his verbis: *Quemadmodum Episcopo non licet res Palatii curare, & Dignitates hujus mundi con-* p. 26.

Sæcul. VIII. A. C. 731.

ferre, ita Imperatoris non est in officia Ecclesiæ se ingerere, Clericos eligere, consecrare aut administrare Sacramenta vel etiam eorum sine Presbytero participem fieri. Quilibet ex nobis intra Vocationis suæ limites se contineat. 1. Cor. 7. 20. *Intelligis jam, Auguste! quid discriminis inter Episcopos Principesque sit? Si quis in te peccavit, ædes ejus Fisco tuo adscribis, rebus omnibus spolias, in exilium mittis, aut etiam capite plectis. Non ita Episcopi. Verum si quis peccavit, & peccatum suum confitetur, non strangulant reum, aut caput amputant, sed collo ejus Evangelium & Crucem injiciunt, in loco, quo thesaurus Ecclesiæ asservatur, aut in Diaconia, aut in Secretario Catechumenorum incarcerant, jejunia, vigilias, preces injungunt, postquam deinde satis castigatum & emendatum censent, ei Sacrum Corpus & pretiosum sanguinem Domini Nostri tribuunt, atque jam in oculis Dei purum & immaculatum dimittunt.*

Sane Papa hic, sicut & Antecessor suus, ad Imperatorem in hunc sensum scribens longissime aberat a proposito eidem potestatem sæcularem auferendi. (*)

Tum

(*) Hæc Fleurii Reflexio ad ea, quæ ætate S. Gregorii VII. facta sunt, collineare videntur.

Tum Papa prosequitur: *Tyranni dem tuam per manus militum patimur, & armis corporis nos persequeris. Nos vero nudi sumus, & exermes. Non habemus terrestres exercitus, sed invocamus JEsum Christum, creaturarum omnium Caput, omnibus Cælestium Virtutum exercitibus superiorem, ut te Satanæ tradat ad salvandam animam tuam secundum Apostoli dictum.* Et infra: *Quæris, cur in sex Conciliis nulla de Imaginibus mentio fiat. Respondeo, in illis nec de eo mentionem occurrere, an expediat homini manducare panem & aquam potare. Accepimus Imagines antiqua Traditione, ipsi Episcopi Imagines ad Concilia detulerunt, & nemo illorum, qui Deum amabant, sine Imaginibus iter faciebat.* Sæcul. VIII. A. C. 731. an. p. 27. Epistola ad Imperatorem.

Gregorius III. Papa hanc & priorem Epistolam ferendam tradidit Georgio Presbytero, qui usque adeo timido animo fuit, ut Epistolam Imperatori reddere non auderet. Ergo Romam revertitur, & culpam coram Pontifice fatetur. Is vehementissime increpitum coacto Concilio deponere volebat; verum rogantibus Episcopis satis ei fuit Georgio pœnitentiam injungere, quem deinde cum iisdem Epistolis deferendis remisit. Imperator his litteris in Sicilia retineri jussis, noluit concedere, ut Georgius eas ad se Constantinopolim afferret, *Anast. in Greg. III.*

Sæcul. VIII. A. C. 732.

ret, & virum anno prope integro in exilio degere coegit.

§. X.

S. Bonifacius Archiepiscopus.

vit. Wilib. c. 8. per Othl. lib. 1. c. 26.

In Germania S. Bonifacius, cum Gregorii III. Papæ Ordinationem percepisset, missis Legatis cum Epistolis eidem obedientiam promisit, prædicationis suæ rationem reddidit, & quarumdam quæstionum difficilium resolutionem petiit. Papa non modo Sacræ Sedis Communionem & amicitiam, quam exoptabat, sed etiam Pallium & Archiepiscopi Titulum concessit. Missis quoque Reliquiis, aliisque donis Epistolam ad eundem dedit, in qua, postquam explicavit quantam ei Dignitatem tribuat, subjungit: *Et quia nobis affirmasti, per Dei Gratiam, tantam populorum multitudinem fuisse conversam, ut iis erudiendis solus non sufficias, jubemus, ut juxta Canones & Sacræ Sedis Auctoritatem in illis locis, in quibus numerus Fidelium auctus est, Episcopos constituas; id tamen semper cavendum memento, ne Episcopatus vilescat, & in consecratione unius duo tresve alii semper advocentur. Quod spectat ad illum Presbyterum, qui anno superiore ad nos venit, & a criminibus suis absolutum fuisse se dicit, scito, ipsum nullam apud nos Confessionem deposuisse,*

to. 6. Conc. p. 1486. epist. 1.

c. 9.

nec

nec ullam accepisse absolutionem. Solummodo Epistolam commendatitiam ad Filium nostrum Carolum a nobis petiit. Sæcul. VIII. A. C. 732.

Qui a Gentilibus baptizati fuere, iterum in Nomine Sanctæ Trinitatis baptizentur. Item baptizati a Presbytero, qui Jovi sacrificat, & immolatas carnes comedit, aut qui ipse dubitat, an rite baptizati fuerint. c. 1. c. 4. Credere debemus, Baptismum ab his Gentilibus secundum formam ab Ecclesia præscriptam non fuisse collatum, nam Quæstiones, a S. Bonifacio missas, unde casuum propositorum circumstantias scire possemus, non habemus.

Prosequitur Papa: *Offerre possumus pro mortuis, vere Christianis, sed non pro impiis. Consanguinitatis gradus in contractu Matrimonii usque ad septimam generationem observentur. Et si potes abstrahe viros a quartis nuptiis.* c. 3. Nimirum, Ecclesia Nuptias quartas nec approbat, nec absolute damnat. *Parricidæ Communionem solum in morte & per modum Viatici accipiant, toto vitæ suæ tempore a carne & vino abstineant, diebus Lunæ, Martis & Veneris jejunent.* c. 6. *Qui mancipia sua Infidelibus venumdant, ea Diis in Sacrificium immolaturis, eandem pœnitentiam ac homicidæ subire cogantur.* c. 7.

Neo-

Sæcul. VIII. A. C. 732.

c. 2.

Neophytos tuos, quantum poteris, cohibebis, ne carnes equinas (*) comedant, ipsisque pœnitentiam injunges.

Constat, hanc Epistolam ante annum 732. non fuisse scriptam.

Hæc Summi Pontificis Epistola stimulos addidit, ut Prædicationis Officio ferventissime incumberet. Exinde S. Bonifacius duas ædificavit Ecclesias, alteram Fritislariæ ad honorem Sanctorum Petri & Pauli, alteram Hamanaburgi ad honorem S. Michaelis, & utrique numerosum junxit Monasterium. Fritislariense Cœnobium situm erat in Hassia ad Ederam amnem, in illo loco, qui hodieque nomen retinet, habuitque primum Abbatem S. Wigbertum Monachum gente Anglum ex Westsaxonia, qui jam Presbyterio initiatus in Germaniam venerat, cum S. Bonifacio operam junctu-

vit. to. 4. Act. SS. Be. p. 674. ep. 52. inter Bonif. c. 8.

rus, vir accurate Regulam observans, qui ad audiendam alicujus Fidelis confessionem vocatus, nemini in itinere colloquebatur, aut non nisi sermonem de rebus spiritualibus afferebat. Obiit anno 747. ejusque memoriam decimo tertio

Mart. Rom. 13. Aug.

Augusti Ecclesia colit.

§. XI.

(*) Non facile dispicitur, cur S. Pontifex ex animalibus immundis a solius equi carnibus abstinere Germanos jubeat, nisi forte quod equos Diis suis sacrificare solerent.

Sæcul. VIII.
A. C. 732.

§. XI.

Eccleſia Anglicana.

Sancto Bonifacio continuum litterarum commercium intercedebat cum Eccleſia Anglicana, unde non exigua ei veniebant auxilia. Hujus vero Eccleſiæ ſtatum ſub finem Hiſtoriæ Bedanæ anno 731. legimus. Brithualdus Archiepiſcopus Cantuarienſis eodem anno nono Januarii, cum Sedem tenuiſſet annis triginta ſeptem, ſex menſibus, & diebus quatuordecim, fatis functus, Succeſſorem habuit Tatuinum, in Provincia Merciorum natum, antea in Monaſterio Briodunenſi Presbyterum. Conſecratus eſt Cantuariæ a Daniele Vintonienſi, Adulpho Roſenſi aliisque duobus Epiſcopis Die Dominico decimo Junii eodem anno 731. Vir erat Tatuinus ſingulari prudentia ſpectabilis, & in Sacris Litteris eruditiſſimus. Pallium accepit a Gregorio III. & beato fine quievit trigeſimo Sept. anno 734. poſtquam Eccleſiam Cantuarienſem tribus annis rexiſſet. Succeſſor ejus fuit Northelmus Monachus & Presbyter Londinenſis.

Bed. V. Hiſt. c. ult. to. 3. Act. SS. Be.

Adulphus Epiſcopus Roſenſis in hac Sede ſucceſſerat Thomæ anno ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto fatis functo. Is erat doctiſſimus Theodori Archiepiſcopi, & Adriani Abbatis Diſcipulus. Linguam Græ-

Sæcul. VIII. A. C. 732.

Græcam & Latinam æque ac patriam callebat, Scientiis Eccleſiaſticis profanisque inſtructiſſimus. In Nordhumbria Wilfridus II. Sedem Eboracenſem tenebat Succeſſor Joannis, qui S. Wilfrido ſucceſſerat. Joannes S. Theodori Cantuarienſis Diſcipulus, Monachus Strenes-halenſis in Epiſcopatu Haguſtaldenſi ſucceſſit Eatæ, qui ibi S. Wilfrido expulſo Epiſcopus fuerat conſtitutus. Idem Joannes anno ſeptingenteſimo quarto ſucceſſit etiam Boſæ, poſt S. Wilfridum pulſum in Sedem Eboracenſem intruſo, eamque lubens Viro Sancto poſtliminio reſtituto reddidit. S. Wilfrido poſt hæc vita functo, anno ſeptingenteſimo nono ſuccedens Joannes Eccleſiæ Eboracenſis Regimen denuo reſumpſit. Tandem elapſis exinde annis octo ſenectute fractus Wilfrido, ex Clericis ſuis Presbytero in Sedem ſuam Epiſcopo ordinato, in Monaſterium Beverlejenſe a ſe fundatum receſſit. Ibi exactis annis quatuor poſt annum ſeptingenteſimum vigeſimum ſecundum ſeptimo Maji, quo die Eccleſia ejusdem memoriam celebrat, bona morte quievit. Beda de eo plura & eximia narrat prodigia, & teſtatum facit, illo tempore, quo ſuam Hiſtoriam clauſit, nempe anno ſeptingenteſimo trigeſimo primo, Inſtitutum Monaſticum favente pace in Provincia Nordhumbriæ eximie

Act. SS. Beto. 3. p. 433.

Sup. L. XL. §. 3.

Mart. Rom. 3. Maj. Lib. V. hiſt. c. 2. 3. 4. 5. 6.

eximie floruisse. Hanc Historiam continuare Beda defuncto nemini curæ fuit, hinc per aliquot Sæcula accuratam rerum in Anglia gestarum scientiam non habemus. Sæcul. VIII. A.C. 732.

Wilfridus junior Monachus fuerat in Abbatia Streneshalensi, deinde Vicedominus & Abbas in Ecclesia Eboracensi. Imo illi Ecclesiæ, sicut & aliis plerisque Ecclesiis Cathedralibus in Anglia, Monachi ministrasse creduntur. Ecclesiam suam Wilfridus vasis pretiosis ornavit, populum suum maxima cura erudivit, & pauperes paterne fovit. Postquam Ecclesiam Eboracensem annis quindecim scilicet ab anno 717. usque ad annum 732. rexisset, voluit Egbertum sibi in Successorem ordinari; ipse vero recessit, ut in oratione & quiete reliquum vitæ tempus transigeret. *Poet. an. to. 4 Act. SS. Be. p. 5. 560.* *p. 561.*

Egbertus Regis Egberti tunc in Nordhumbria regnantis frater, a puero in Monasterio educatus, Ecclesiæ Eboracensi annis triginta quatuor præfuit, cui, paulo post quam Episcopatum suscepisset, id est, anno septingentesimo trigesimo quinto Gregorius III. Papa Pallium misit, eumque Dignitate Archiepiscopali decoravit. Ipse itaque secundus fuit Archiepiscopus Eboracensis, nam Paulinus primus habetur.

§. XII.

Sæcul. VIII. A.C. 732.

§. XII.

Epistola Bedæ ad Egbertum.

Venerabilis Beda tunc temporis adhuc-dum in vivis agens ad Egbertum Episcopum dedit Epistolam, monumentum luculentissimum, quam arcto amicitiæ vinculo huic Præsuli jungeretur, & quanto ardore Ecclesiæ utilitatem quæreret. Anno præcedente, nimirum ex quo Egbertus Episcopus erat, secundo, cum Beda per aliquot dies in Monasterio Eboracensi commoratus juniores erudiisset, rogaverat eum Episcopus, ut anno sequente rediret; sed prohibitus gravi morbo, quo ipsum extinctum fuisse, verisimile est, scripsit Epistolam in hunc modum: *Inprimis*, inquit, *vana devites colloquia, sed meditationi Sacrarum Scripturarum, præcipue Epistolarum S. Pauli ad Timotheum & Titum, Libri Pastoralis S. Gregorii, ejusque Homiliarum in Evangelia incumbas. Sicut enim nefas est, vasa sacra ad usus profanos adhibere, ita etiam nullatenus decet Episcopum, servitio Altaris consecratum, si ex Ecclesia exierit, in sermones vel actus Sacerdotali eminentia indignos effundi. Semper tecum habeas viros, qui te juvare consilio, & in periculis labendi confirmare possint exemplo. Noli quorumdam Episcoporum mores imitari, qui vitæ*

p. 46. edit. Paris. 1666.

vitæ ſocios ſibi deligunt voluptati & gu- Sæcul. VIII.
læ deditos, & quorum ſcurrilitate ab- A.C. 732.
ſtrabuntur a rebus ſeriis. Et infra:

Cum Diœceſis tuæ tanta ſit amplitu- p. 50.
do, ut eam ſolus peragrare, etiam inte-
gri anni ſpatio, non poſſis, neceſſarium
eſt, ut in ſingulis pagis Presbyteros con-
ſtituas, qui plebem doceant, & Sacra-
menta præbeant. Hi præcipue curam
gerant, ut omnes & ſinguli Symbolum
& Orationem Dominicam memoria te- Epiſtola
neant, & illi, qui linguæ Latinæ ignari V. Bedæ.
ſunt, lingua vulgari ſive Laici, ſive Cle-
rici, ſive Monachi ſint, Symbolum cum O-
ratione Dominica decantent. Ideo quip-
pe ea in Linguam Anglicam tranſtuli, ut
quibusdam Presbyteris rudibus ſervirem.
Ajunt, in montibus inacceſſibilibus mul-
tos eſſe noſtræ nationis colonos, qui ibi
nunquam viderunt Epiſcopum Officio Sa-
cerdotali fungentem, aut quemquam a-
lium rudes informantem, & nihilominus
ab omnibus illis pagis exigi, ut penſiones
Epiſcopo debitas ſolvant. Ita vero non
modo ſecundum Domini Noſtri præceptum
gratis non prædicamus, ſed etiam pecu-
niam, quam peti vetuit, non prædicantes
accipimus. Et iterum:

Melius remedium ad reparandas Eccle-
ſias noſtras non occurrit, quam ſi augea-
tur Epiſcoporum numerus. Quis enim
non videat, utilius eſſe cunctis, intolera-

Sæcul. VIII. A. C. 732.

bile onus in multos dividere, quam unum solum obrui? Hinc S. Papa Gregorius scribens ad Augustinum Archiepiscopum jusserat institui Episcopos duodecim, quorum Metropolita esset Eboracensis. Cuperem, ut Rege consentiente duodecim Cathedras Episcopales erigeres (tunc autem rerum potiebatur Ceolulfus Rex Nordhumbriæ piissimus) prosequitur Beda: *Scio Regum priorum partim negligentia, partim prodigalitate factum, quod vix locum vacantem ad erigendam Cathedram Episcopalem invenire sit; hinc utilissimum fore existimo, si quædam Monasteria in Episcopatus mutarentur, atque ut querelis Abbatis Monachorumque aliquid daretur, concedendum ipsis, ut ex gremio suo Episcopum eligant, aut ex Regione novæ Diœcesis assumatur. Id eo facilius effectui dari poterit, quod plurimæ sint congregationes, quæ immerito admodum Monasterii nomen gerunt, etiamsi in iis Disciplina Regulæ Monasticæ neutiquam observetur.*

p. 55. Greg. XII. epist. 15. Sup. Lib. XXXVI. §. 37.

p. 59.

Non ignoras, quosdam homines nullo ordine initiatos, sine ulla experientia, & nullo vitæ Monasticæ amore captos, Regibus pecuniam dare, & agros coemere sub prætextu fundandi Monasteria, quorum fundorum proprietatem Regiis Litteris, Episcoporum consensu confirmatis, hæredibus suis asserunt. In illis locis licentia

centia & libertate vivendi gaudent, uxores liberosque retinent, & sub inani Monachorum nomine congregant homines, qui, quia refractarii, ex aliis Monasteriis ejecti fuere, item quos seducere potuerunt, quos per Provincias vagabundos reperiunt, aut Vasallos suos, quibus habitum dant, & petunt, ut obedientiam sibi promittant. Hi uno abusu Abbates, Provinciarum Rectores, & Regis Præfectos esse se jactant, & uxoribus suis similia Monasteria fœminarum regenda committunt. Maximo igitur Rei Christianæ Bono tot Ditiones in usum meliorem converterentur, occupatæ ab hominibus, scandalum creantibus, aut saltem tum Ecclesiæ quam Reipublicæ inutilibus. Observavimus, quod jam in Sæculo superiore in Hispania ejusmodi pseudo-Monasteria reperire fuerit, de quorum perversitate S. Fructuosus querebatur.

Sæcul. VIII. A. C. 732. V. Beda. p. 57. *Sup. Lib. XXXIX. § 23. Reg. S. Fruct.*

Dicit Beda, hunc abusum in Anglia ab annis ferme triginta irrepsisse, tum monita ad Egbertum Episcopum cumulans hortatur, ut populum in Fide & moribus erudiri sollicite curet. Doceat, quam salutaris sit frequens Communio, secundum consuetudinem quæ in Italia, in Gallia, Africa, Græcia & in toto Oriente invaluerat. *In nostra vero Provincia*, inquit, *tantum absunt ab hac Devotione Laici ferme omnes, ut*

c. 1. 2. *p.* 60. *p.* 64.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

omnium piissimi non nisi in Nativitate Domini, in Epiphania & in Paschate Communionem accipiant, etiamsi plurimi utriusque sexus & omnis ætatis dentur, qui vitam immaculatam ducunt, & nulla re obstante singulis diebus Dominicis, in Festis Apostolorum & Martyrum, ad S. Communionem accedere possent, sicut vidisti optimos Christianos Romæ accedere. Conjuges quoque Sacram mensam frequentarent, si quis esset, qui eos continentiæ modum doceret. Id est, modum illum, quem ipsos servare oportet, quando Sacramenta recipiunt.

§. XIII.

Venerabilis Beda.

Beda in lucem editus anno sexcentesimo septuagesimo tertio in extremo Nordhumbriæ angulo, qua Scotiam contingit & Ditione duplicis Monasterii Viremuthani & Jarovienſis*, septennis huic Monasterio alumnus traditur, & primo Viremuthi sub Disciplina S. Benedicti Biscopii, qui illud fundaverat, fuit, postea vero Jarovii sub Regimine S. Ceolfridi, ubi totum vitæ exegit tempus, quo Sanctus Vir nihil antiquius habuit, quam Scientiarum & Sacræ Scripturæ studium (istud enim dimisit nunquam) non ideo tamen ab exercitationibus Monasticis, id est, a Psalmodia & manuum labore, cujus

*Aliter Girvvensis.

Act. SS. Ben. to. 4. p. 534. 539.

cujus rei Disciplina in illo monasterio maxime vigebat, aberat. Monasterio nunquam pedem efferens linguam latinam, græcam, latinos versus scribere, Astronomiam, Arithmeticam, atque ut verbo dicam omnia, cunctas Scientias didicit. In explicatione Scripturæ Sacræ præter alios Magistrum habuit Trumbertum Monachum S. Ceaddæ Episcopi Lichtfeldensis Discipulum. Cantum autem doctus est a Joanne Archidiacono Romano, quem S. Benedictus Biscopius in Angliam adduxerat. Beda præterea Magistros auscultavit S. Theodori Cantuariensis & Adriani Abbatis Discipulos.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

Sup. lib. IV. hist. c. 3.

Annos natus novemdecim Diaconus ordinatus est, quamvis Canones ad recipiendum hunc ordinem annum vigesimum quintum præscriberent. At non nunquam merita supplebant, quod ætati deerat. Anno vitæ trigesimo JEsu Christi 702. Sacerdotio initiatur. Utrumque Ordinem suscepit e manibus Joannis tunc Episcopi Hagulstadensis, deinde ad Sedem Eboracensem translati, & jubente S. Ceolfrido Abbate suo, quippe Monasterium Jarovience ad Diœcesin Hagulstadensem pertinebat. Ex quo Beda Presbyter ordinatus fuit, in Sacram Scripturam commentari cœpit. Primo explicationem brevem in Epistolam S. Joannis scripsit, & deinde explicationem

Act. p. 555.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

Apocalypsis Huberto, cognomento Eusebio, postea Abbati suo dedicatam. Tum commentatus est in Acta Apostolorum, eum laborem sibi præcipiente Acca, qui ab anno septingentesimo nono Episcopus Hagulstadensis fuit. Explicavit deinde Evangelium S. Lucæ, tum triginta Quæstiones in Libros Regum rogatus a Northelmo, tunc Presbytero Londinensi & postea Archiepiscopo Cantuariensi. Tum edidit Commentarium in Samuelem, cujus librum tertium S. Ceolfrido Abbate jam defuncto, id est, anno septingentesimo decimo sexto scribere cœpit. Explanationem in S. Marcum diu, postquam in S. Lucam commentatus fuerat, vulgavit. Commentatus est etiam in S. Paulum, & in Epistolas Canonicas non sine magno labore ex operibus S. Augustini collectas. Librum de sex Mundi ætatibus anno nono Leonis Isauri Imperatoris, id est, anno septingentesimo vigesimo quarto absolvit.

§. XIV.

Alia Bedæ Opera.

Bedæ Opus de Mundi ætatibus quibusdam imperitis admodum offensioni fuit, usque adeo ut Hæreticum appellarent, & in eum cantilenas cuderent; dicentes, ipsum negare, quod Dominus Noster in Sexta Mundi ætate fuerit incarna-

carnatus. Hujus vero calumniæ occa- Sæcul. VIII.
sio fuit, quod Beda cum S. Hieronymo A. C. 732.
Hebraicum Authenticum verſioni ſeptuaginta interpretum præponens pauciores quam quinquies mille annos usque ad Adventum JEſu Chriſti numeraret. Itaque illa ipſa erat Judæorum objectio, abhinc annis ferme quadraginta *Sup. l. XI.* a S. Juliano Toletano refutata. Non *§. 40.* æquo animo tulit Beda, quod Hæreſis *§. 94.* accuſaretur, data epiſtola apologetica ad Monachum, cui nomen Plegowinus, *p. 12.* ſuam Chronologiam doctiſſime defendit, demonſtrans, nullum eſſe fundamentum opinionis vulgaris, tunc a rudibus agitari ſolitæ, Mundum ſexies mille annis duraturum, & abſolute nulla conjectura inquirendum eſſe in tempus Mundi noviſſimum, quod Deus hominibus voluiſſet eſſe occultum.

Præterea Beda vitam ſcripſit quinque *p. 17.* Abbatum, qui hucusque duobus Monaſteriis Viremuthano & Jarovienſi præfuerant, nimirum S. Benedicti Biscopii, S. Ceolfridi, Eſterwini, Sigefridi, & Witberti, quæ etiam iſtorum Monaſteriorum hiſtoriam complectitur. Tandem ſcripſit Hiſtoriam Eccleſiaſticam Anglorum, quæ inter poſtrema ipſius Opera numeratur. Ad hanc Hiſtoriam ſcribendam *ep. ad Reg. Ceol.* eum plurimum excitavit, adjuvitque Albinus Abbas S. Theodori & Adriani Discipulus;

Sæcul. VIII. A. C. 732.

cipulus; is enim, cum omnia facta ad Ecclesiam Cantuariensem & Regiones vicinas pertinentia sibi essent notissima, utilissimos commentarios Bedæ transmisit per manus Northelmi Presbyteri Londinensis, qui præterea multa alia viva voce retulit. Northelmus exinde Romam profectus, obtenta a Gregorio III. Papa licentia, Ecclesiæ tabularia lustravit, multasque inde excerptas S. Gregorii aliorumque Pontificum epistolas ad Bedam attulit, Historiæ suæ inserendas. Daniel Episcopus Vintonienſis aliquot Commentarios de Historia Ecclesiastica Provinciarum Saxoniæ Occidentalis & Meridionalis atque Insulæ Owictensis eidem suppeditavit. Conversionem Merciorum & Saxonum Orientalium prædicantibus Episcopis Ceddi & Ceadda ex ore Monachorum Lestingenensium didicit. Eli Abbas Bedam Historiam Angliæ Orientalis edocuit. Porro gesta in Nordhumbria, patria sua, plurima ipse noverat, reliqua autem a Monachis Lindisfarnensibus, aliisque viris, accepit. Ita ipse Beda Regi Ceolulfo, cui Historiam suam inscripsit, rationem reddit, ex quibus Auctoribus hauserit, quæ scripsit. Hanc vero Historiam in quinque Libros divisit, & in primo Rerum gestarum initium ducit ab adventu Julii Cæsaris in magnam Britanniam, & in Obitu S. Gregorii

V. Bedæ Opera.

gorii desinit. Quatuor Libri sequentes omnia ea continent, quæ exinde & præsertim ad Religionem pertinentia contigerunt; unde, quæ videbantur notatu præ ceteris digna retuli. Sæcul. VIII. A. C. 732.

Beda Historiæ suæ addidit Epitomen seu Compendium, in quo factis celebrioribus dies & annus apponuntur. Id quoque ad annum septingentesimum trigesimum primum finitur, nam quæ sequuntur, posteriore tempore adjecta fuere. Tandem subjunxit Beda vitæ suæ Epitomen & Catalogum Operum suorum, quos ad hunc usque annum ætatis suæ quinquagesimum nonum in lucem ediderat. Sunt vero Explanationes in plerosque Scripturæ Libros ex Operibus Patrum maxime S. Augustini excerptæ. Tractatus de Die bis sexto & æquinoctio ad dilucidandam Quæstionem de Rationario Diei Paschalis, cui ob errorem Britonum & Hibernorum impensius studuerat. Martyrologium, aliquorum Sanctorum vitæ, ejus Historia, & quædam alia minora opuscula, quorum pleraque habemus. Verum aliqua etiam, quæ ipsius non sunt, ei tribuuntur. S. Beda vitam ducens innocentissimam omnes vires ad utilitatem Ecclesiæ impendit, semper legit, semper scripsit, vel alios viva voce docuit. Obiit in suo Monasterio Jarovienſi anno septingentesimo

Sæcul. VIII. A. C. 732.

trigesimo quinto annos natus sexaginta tres. Unus Discipulorum ejus, Cuthbertus, post hæc Abbas Jarovienſis, mortis ipsius adjuncta litteris mandavit in hunc ferme modum:

Act. p. 537.

Diebus ferme quindecim ante Festum Paschæ, Beda ægrius spirare cœpit, quamvis nullum sentiret dolorem. Reliquum exinde tempus usque ad Ascensionem Domini, diem 26. Maji, in gaudio & Gratiarum actione transegit, singulis diebus & præstitutis horis Discipulos suos docens, & reliquo tempore atque etiam maxima noctis parte Psalmos decantans.

V. Bedæ obitus.

Sæpe etiam Textus ex Scriptura sibi ægrotanti convenientes recitabat, & aliquot ejusmodi Textus in carmen lingua Anglica coegerat. Illis diebus ultimas corporis animique vires duobus impendebat opusculis, nimirum versioni Evangelii S. Joannis in linguam Anglicam, & excerpendis textibus ex Libro S. Isidori Hispalensis notis conscripto. Quædam ipso Ascensionis Festo adhuc dictavit, & tempore, quo Nona recitari solet, ad Cuthbertum ait: *habeo quædam pretiosa in arcula mea, piper, sudariola, odores. Vade cito, & adduc ad me Monasterii nostri Presbyteros, ut eos munusculis, quæ dedit mihi Dominus, decessurus donem.* Tunc singulos affatus rogavit, ut Missas celebrarent, & preces pro se persolverent,

rent, moxque in pavimento cellulæ suæ prostratus, cantans *Gloria Patri* &c. plenus fiducia & gaudio animam efflavit. Ecclesia Bedæ memoriam vigesimo septimo Maji honorat, & veteres eidem Sancti nomen tribuere non hæsitarunt. Posterioribus temporibus datus est ei titulus: *Venerabilis Beda*, cujus rei alia ratio reddi non potest, quam quod Sancti Monachi hoc nomine nuncuparentur. Opera ipsius illa ætate maximi æstimabantur, quæ ipso defuncto S. Bonifacius ab Egberto Archiepiscopo Eboracensi, ab Huberto, & deinde a Cuthberto Abbate Jaroviensi sibi transmitti petiit, quod ea sibi, Prædicationis officio incumbenti, utilissima fore crederet.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

V. Bedæ obitus. *Martyr. R.* 27. *Maji.* *V. Mabill. to.* 3. *Acta p.* 554. *n.* 25. *Bonif. ep.* 8. 85. *q.* 150.

Ceolulfus Rex Nordhumbriæ, cui Beda Historiam suam inscripserat, perlecto hoc Opere eo pietatis ardore accensus est, ut relicto Regno, cui annis novem præfuerat, Institutum Monasticum in Monasterio Lindisfarnensi sub Disciplina S. Cuthberti amplexus fuerit. Illi Monasterio quidem opes suas contulit & aliquot fundos donavit, sed non nihil Disciplinæ rigorem laxavit, quippe ipsius tempore permissum fuit Monachis vinum bibere & cerevisiam, cum prius nil nisi aquam, vel lac biberent. Cum annis viginti duobus in Monasterio versatus fuisset, obiisse creditur anno septingente-

Act. SS. Ben. to. 4. *p.* 174.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

genteſimo ſexageſimo decimo quinto Januarii, atque inter Sanctos colitur.

§. XV.

Saraceni in Francia.

Eccleſia Franciæ illa tempeſtate incurſionibus Arabum Muſulmannorum vexabatur; illi enim ſubacta Hiſpania, eas quoque Ditiones, quæ ultra Pyrenæos montes poſitæ Gothis parebant, in ſuam poteſtatem redegerunt. Jam anno ſeptingenteſimo decimo nono, æra ſeptingenteſima quinquageſima ſeptima, Duce Zama, qui imperata ſibi a Califa Yezido faciebat, Narbonam ad deditionem compulerunt, impoſueruntque præſidium. Anno deinde ſeptingenteſimo vigeſimo primo, ex quo Hiſpaniam invaſerant, nono, cum Zama Toloſam obſideret, opem attulit Odo Dux Aquitaniæ, Zama interfectus, & Muſulmanni profligati. Rediere tamen anno ſeptingenteſimo vigeſimo quinto Abderama Duce, nec non favere fortuna initiis videbatur, quippe aliquas urbes occupare licuit; at ſecundo a Francis ſub Odonis auſpiciis pulſi ſunt atque uno die trecenta ſeptuaginta quinque millia Saracenorum cæſa in epiſtola Odonis, ad Gregorium II. Papam data, legebantur. Addebat, non plures quam mille quingentos Francos in illo prœlio fuiſſe deſideratos. Item ſe militi-

Iſid. Hiſp. p. 15. Roder. hiſt. Arab. c. 2. Annal. Nazar. & Patan. Coint. an. 725. n. 8. Anaſt. in Greg. II. V. Coint. an. 725. n. 16.

militibus suis distribuisse tres spongias, anno præcedente a Papa sibi missas, quales ad mensam Pontificis adhiberi solebant, easdam in exiguas particulas, cum jam jam dimicandum esset, fuisse divisas, & nullum eorum, qui tali particula munitus fuisset, vulnus accepisse. Nobilissima Victoria reportata, statim urbes Albiga, Rutena, Castra, iterum potestati Saracenorum ereptæ; hoc enim nomine Scriptores nostri Musulmannos sæpissime appellant. Aliqui tamen eosdem nominant Vandalos, nempe, quod Vandalis successissent. Inde etiam est, quod ipsi Arabes Hispaniam vocent Andalusiam, quod nomen uni Provinciarum, quas ultimo occuparunt, inhæsit. Sæcul. VIII. A. C. 732.

Saraceni anno septingentesimo trigesimo secundo extremos conatus, ut Francia potirentur, adhibuerunt eodem Abderama Duce, qui anno superiore Arelatem ceperat. Bipertito agmine iter ingressi, una via Rhodani & Araris ripas secuti usque ad Icaunam amnem penetrant, Avenionem, Vivarionem, Valentiam occupant, Monasterium Griniacense incendunt, alterum in Insula Barbaræ & magnum Ecclesiarum numerum vastant, moxque Lugdunum, Matisconem, Cabillonum, Vesuntionem, Belnam, Noviodunum, Antissiodorum capiunt, tandemque Senones obsident. At Ecce! *Rod. Arab. c. 13. Coint. an. 732. an. 21. 22. &c.* *Ado. Chr. an. Sup. l. XIX. §. 39.*

Ebbo

Sæcul. VIII. A. C. 732.

Ebbo Episcopus cum suis fortiter ex urbe erumpens Infideles repellit, & in fugam vertit. Ita hostium vis ex hac parte fracta est. S. Ebbo olim Monachus deinde Abbas S. Petri Vivi Gerico in Episcopatu Senonensi successerat, & tandem Saracenorum Victor glorioſus in solitudinem secessit, ubi sanctissime diem clausit.

vit. S. Ebb. to. 3. Act. B. Chr. S. Pet. Vivi Spicil. to. 2. p. 707.

Altera via ad lævum Abderama Aquitaniam invasit, sciens divisos esse Francorum animos. Quippe anno 731. Carolus Martellus moverat in Odonem, qui immensam ipsius potentiam impatientius ferebat. Ergo Abderama anno sequente in hanc Provinciam jam prius devastatam superata Garumna exercitum ducit, urbes Benearniam, quæ hodie Lascara dicitur, Uliarum & Augustam Ausconum evertit. Aturum deinde, Aquas Tarbellicas, Lapurdam, quæ Bajona esse creditur, ad deditionem compellit, Regiones Convenensem & Bigerrensem depopulatur. Nec sine causa Abderama omnes nervos eo intendebat, ut hanc Regionem & fauces Pyrenæas in potestate sua haberet; ita enim Francos cohibere poterat, ne opem ferrent reliquis Gothorum, qui in Asturiæ montibus securi Saracenorum jugum subire detrectabant. Oppressa Vasconia Saraceni Burdegalam capiunt, & Ecclesiis flammas subjiciunt. Garumnam & Dura-

Ann. ap. Coint. an. 731.

Rod. Arab. c. 12. Coint. an. 732. n. 48. v. Vales. notit Gall.

Saraceni in Gallia.

Contin. 22. Fred. c. 108.

Duranium amnes trajiciunt, atque occurrentem sibi Odonem prœlio vincunt. Jamque nemine obsistente Aginnam, Petrocorium, Xantones & etiam Pictavium in potestatem redigunt, ubi S. Hilarii Ecclesiam igne vastarunt, eandem sortem Ecclesiæ S. Martini Turonensis, quamprimum illuc perveniissent, minitantes. Sæcul. VIII. A. C. 732.

Tunc demum Carolus Martellus privatarum rixarum rationibus amore Reipublicæ suppressis in auxilium Odonis properavit. Junctis deinde viribus, conspectum Saracenorum subierunt. Septem dies velitationibus absumpti; at tandem ventum est ad pugnam decretoriam, qua Franci nobiliore fortioreque animo Arabes primo impetu prostraverunt. Ipse Abderama cæsus, ingruente autem nocte Carolus revocari suos jussit. Altero die Franci videntes castra Saracenorum intacta, & erecta tabernacula, mittunt exploratores; an essent, qui prœlium restaurare auderent. Verum illi paulo post reversi nullum se hostem conspexisse nunciarunt. Nihilominus veriti insidias non miserunt, qui fugientium tergis instarent, satisque victoribus fuit, Arabum castra diripere. Hæc pugna celebratissima inita est in Pictavien sibus agris mense Octobri anno septingentesimo trigesimo. Scriptores aliqui, etiam ex veteribus, eandem esse victoriam ac illam, quam *Isid. Pac. p. 18. Roder. Arab. c. 11.* *Paul. Diac. VI. c. 46.*

Sæcul. VIII. A. C. 732.

quam Odo ſolus contra Saracenos anno ſeptingenteſimo vigeſimo quinto reportavit, rerum hiſtoricarum imperiti cenſores putarunt.

Ann. Fuld. ann. 725.

§. XVI.

Martyres in Perſecutione Saracenorum.

Itaque Caroli victoria Saracenorum armis metas poſuit, & ipſe brevi tempore omnes urbes, quas in Galliis invaſerant, in fidem denuo recepit. At diu ſuperfuere triſtia Mahometani furoris veſtigia. Epiſcoporum ſeries in plerisque Civitatibus, quas obtinuerant, ignoratur, & in indicibus, qui ſuperſunt a fine Sæculi VII. usque ad nonum ſæpe locus vacuus apparet. Multi inter has Saracenorum incurſiones Martyrum numero adſcribi meruerunt. S. Theofredus Abbas Carmerienſis ſeu *Monaſterii* apud Velaunos in Diœceſi Anicienſi, Saracenis undique in has Provincias irrumpentibus, Monachis ſuis prædixit, hoſtes elapſo biduo adfuturos, præcepitque, ut in proximas Silvas cum rebus omnibus, quas aſportare poſſent, ſe reciperent. Ipſe vero Eccleſiam ſibi commiſſam in adverſis non eſſe derelinquendam exiſtimans, cum ſolus in Monaſterio remanſiſſet, ante portam Eccleſiæ S. Petro dedicatæ proſtratus in terram, orans perſevera-

Cont. 2. Fredeg. c. 109.

Coint. an. 732.

Act. SS. Ben. tom. 3. p. 482.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

severavit. Adveniunt Barbari, & ringentes, quod Monachi cum rebus pretiosissimis aufugissent, ex Abbate extorquere volebant, ut indicium faceret, quo illi recessissent; illum vero suos prodere recusantem verberibus contundunt, & semimortuum relinquunt. Sequente die, quem Barbari Sacrum habebant, cum ad Sacrificium omnia pararentur, S. Abbas collectis omnibus corporis viribus, adrepit & immanem impietatem exprobrat. Obstupescunt illi, nam mortuum credebant, & ille, qui Sacris præerat, non exiguum lapidem in Sanctum Virum conjiciens lethali vulnere affecit. Postquam funesta Saracenorum cohors recessisset, advenientes Monachi, jacentem humi inveniunt, & ad Cellulam suam deportant, ubi post sex septemve dies beata morte quievit. S. Theofredus inter Martyres honoratur decimo nono Octobris, & plebi notissimus est sub nomine vulgari S. *Chafre*. Ejus passio ad annum septingentesimum vigesimum octavum refertur, cum Saraceni in Galliis grassari inciperent.

Martyr. Ben.

At S. Porcarium Abbatem Lerinensem anno 731. passum fuisse credunt. Is hujus nominis secundus fuit, primus enim, cujus S. Cæsarius Arelatensis erat Discipulus, ante annos ducentos inter vivos degebat. Secundus igitur Porca-

Act. SS. Ben. to. p. 525. Sur. 12. Aug. Sup. lib. XXXI. §. 2.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

Chronol. Lirin.

rius quingentos aut plures regebat Monachos, cum Saraceni, capta Arelate, & Francis prœlio victis in vicinam Provinciam effundi cœperunt. Revelatione cœlitus accepta de futura Monasterii sui pernicie Vir Sanctus Discipulos hortabatur, ut in tormentis constantes essent. Ecclesiæ suæ Reliquias abscondit, infantes sexdecim, & Monachos juvenes triginta sex navigio impositos in Italiam misit. Tum videns duos ex Monachis suis Columbum & Eleutherium periculo perculsos præ reliquis pavere, eos in specu prope maris littus delitescere jussit. Ceteri cum Abbate remanserunt, seque continuis ad Deum precibus & Sancta Communione ad mortem subeundam præpararunt.

Saraceni, cum nemo adesset, qui Insulam defenderet, facile ea potiuntur, quingentos Monachos capiunt, senes seorsim collocant, & omnium primos torquent, ut timorem incuterent ceteris, quos simul magnis pollicitationibus ad amplectendum suam Religionem invitabant. Cum vero constantes in Fide experirentur, omnes diverso mortis genere afficiunt, servatis solum quatuor juvenibus præstanti corpore, quos in navi sui Præfecti incluserunt. Columbus, damnato timore, e specu progressus illico cum ceteris interficitur. Tandem Saraceni

raceni deſtructis Eccleſiis & omnibus ædificiis ſolo æquatis navem conſcendunt, & Aptam in Provincia appellunt, ubi quatuor captivi arrepta e navigio deſcendendi occaſione per Silvas fugientes, noctu ad oppidum, quod lingua vulgari *Arluc* dicitur, perveniunt, ibique lembum nacti & Lerinum revecti, mane Fratrum ſuorum corpora vita privata & flagris conciſa invenerunt. Cum ad funeſtum ſpectaculum ejularent, clamore excitatus Eleutherius e caverna egreditur, tum, fletus miſcentes, occiſorum membra ſepelierunt. Exinde in Italiam profecti, illos, quos S. Porcarius illo miſerat, revocarunt, & Lerinum reverſi Monaſterium, cujus Regimen ſuſcepit Eleutherius, repararunt. Eccleſia horum Martyrum ſcilicet S. Porcarii & quingentorum Monachorum Die paſſionis eorum duodecimo Auguſti celebrat. Sunt, quis hos Martyres in alia Saracenorum incurſione anno ſeptingenteſimo trigeſimo nono paſſos fuiſſe affirmant.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

S. Porcarius cum quingentis Monachis.

Martyr. R. 12. Aug. Coint. an. 739. n. 14.

In territorio Viennenſi multi Monachi & alii incolæ a Saracenis occiſi, multi in fugam verſi, Eccleſiæ incenſæ, devaſtati agri, quod S. Clarus Abbas, circa annum ſexcenteſimum ſexageſimum, id eſt, annis ſeptuaginta, priusquam contigit, vaticinatus fuerat. Luxovii Mellinus ſeu Miletus Abbas cum ſuis Mona-

to. 2. Act. SS. Ben. p. 485.

Haeſten. Cat. Abb. Luxov.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

chis trucidatus est, Monasterium annis quindecim sine Abbate fuit, & Psalmodia perpetua cessavit. Monasterium Besanum quoque incursione anni septingentesimi trigesimi primi eversum. Ad Sanctum Sejenum prope Noviodunum duo Monachi Altigianus & Hilarinus interempti, qui in illo Monasterio vigesimo tertio Augusti tanquam Martyres coluntur. Observandum, quod cuncti hi Martyres uno mense, & eadem, quam tenebant Barbari, via necati fuerint, unde omnes eodem etiam anno & eadem incursione passi creduntur.

Chron. Besa. to. 1. Spicil. p. 527.

Act. SS. Ben. to. 3. p. 527.

§. XVII.

Alii in Francia Sancti.

vit. S. Pard. to. 3. p. 578.

Saraceni a Carolo Martello mense Octobri anno septingentesimo trigesimo secundo prœlio devicti in reditu maximam, quocunque deveniebant, cladem ferebant, Christianos, quotquot occurrebant, trucidantes, Monasteria & loca Sacra flammis vastantes. S. Pardulfus seu *Pardoux* illa tempestate Abbas erat Garacti, oppido Marchiæ Gallicæ princeps; cumque fama prævolans nunciaret, Saracenos ad suum quoque Monasterium venturos, dixit Monachis suis: *Filioli mei! si ad portam hujus Monasterii venerint, date eis, quod bibant, & comedant, quia sine dubio ab itinere fessi admodum erunt.*

erunt, Monachi vehiculum tectum pararunt, & S. Patrem compellere volebant, ut insideret, eum ad loca deserta, ubi sine periculo esset, deducturi; at Vir Sanctus edixit, se, quoad viveret, Monasterio pedem non elaturum. Omnibus deinde Monachis fuga sibi consulentibus, ipse solus animo intrepido remansit. Unicus famulus in latebris se abscondit, ut videret, quid esset eventurum. Is cum exploraſſet, de longe venire Saracenos, cucurrit ad S. Abbatem dicens: *Pater mi! ne cesses orare, jam appropinquant januæ.* Tunc S. Pardulfus in terram se demisit orans in hunc modum: *dissipa, Domine! nationem istam, quæ bellum amat, & prohibe, ne hodie januam hujus Monasterii intret.* Illi repente sistunt gradum, & lingua patria diu collocuti, innoxii transeunt. Ceterum S. Pardulfus tam vitæ rigore, quam prodigiis clarus, primus hujus Monasterii Garactensis Abbas, exinde post annos quinque anno septingesimo trigesimo septimo, die Dominico, sexto Octobris migravit in Cœlum. Reliquiæ ejus in Prioratu Arnacano prope Pompedorium Castrum asservantur.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

Eodem anno septingentesimo trigesimo secundo reportata de Saracenis victoria redux Carolus Martellus S. Eucherium Episcopum Aurelianensem in exi-

vit. to. 3. Act. SS. Ben. p. 596. Boll. 20. Febr. to. 5. p. 20.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

lium mississe creditur. S. Eucherius in ipsa Civitate Aurelianensi natus, Gemetici Monachus fuerat, inde invitus, ut Savarico Patruo suo succederet, evocatus. Jam annis sexdecim huic Diœcesi maximo animarum emolumento præerat, omnibus carissimus, cum æmulorum quorumdam invidia eum cum omnibus suis propinquis Carolo suspectum reddidit. Hujus rei causa zelus fuisse creditur, quo S. Eucherius obsistebat Carolo, Bona Ecclesiæ usurpanti, eaque sæpe Laicis donanti, ut haberet, unde multorum bellorum, præsertim contra Saracenos, sumptus acciperet. Quidquid vero de eo sit, Carolus Aurelianum divertens Parisios rediturus, Eucherium Episcopum sequi se jussum deinde Coloniam cum omnibus suis cognatis misit. S. Episcopus in prosperis adversisque Gratias Deo agens, Episcoporum, Clericorum, populique animos sibi usque adeo conciliavit, ut eorum facultates, quasi propriæ essent, in sua potestate haberet. Re ad Carolum delata, vereri Princeps cœpit, ne factionem in se concitaret, ideoque Sanctum Episcopum in Regionem Hasbaniæ, quæ hodie Haspengavensium dicitur, clam migrare jussit, additis mandatis, ut eum Dux Robertus custodiret. Verum Eucherius hunc quoque Ducem brevi tempore amicissimum habuit, ejusque

Bona,

Bona, ut lubebat, in pauperes aut in Monachos dispensabat. Ab eodem licentiam obtinuit recipiendi se in Monasterium Sarcingense fundatum a S. Trudone seu S. *Tron*, ante annos ferme triginta quinque defuncto. Ibi S. Eucherius vitam sancte finivit anno exilii sui sexto, Incarnationis septingentesimo trigesimo octavo, vigesimo Februarii, quo Ecclesia ejus memoriam colit. Sæcul. VIII. A. C. 732 *Martyr. R. 20. Febr.*

§. XVIII.

Concilium Romanum pro Imaginibus.

Cum Imperator epistolas Gregorii III. Papæ accipere non fuisset dignatus, ejusque Legatum Georgium Presbyterum pessime habuisset, permotus est Pontifex, ut anno circiter septingentesimo trigesimo secundo Romæ in Ecclesia S. Petri Concilium convocaret. Adfuere Episcopi nonaginta & unus, quorum præcipui erant Antonius Archiepiscopus Gradensis, & Joannes Ravennas, Presbyteris quoque, Diaconis, Clericis Romanæ Ecclesiæ omnibus, Nobilibus, Consulibus & reliquo populo præsentibus. In eo Concilio decretum, ut quicunque Ecclesiæ Consuetudinem circa Venerationem Sacrarum Imaginum contemneret, quicunque easdem tolleret, destrueret, pro- *Anast. in Greg. III. Sup. §. 8. 9.*

Sæcul. VIII. A. C. 732.

fanaret, aut verbis contumelioſis proſcinderet, Corpore & Sanguine JEſu Chriſti privaretur, & a Communione Eccleſiæ ſepararetur. Huic Decreto omnes qui in Concilio aderant ſolemni ritu ſubſcripſerunt, idemque Auctoritate præcedentium Pontificum confirmatum eſt. Deinde Papa Conſtantinum Defenſorem ad Imperatorem miſit cum epiſtolis, quæ etiam ſicut priores detentæ ſunt, & Conſtantinus arcto carceri traditus, in quo poſtquam integro ferme anno fuiſſet, vi e ſinu ejus raptæ ſunt litteræ, ipſe autem minis perterritus & male mulctatus dimittitur. Tunc miſſæ ſunt epiſtolæ totius Italiæ nomine, quibus rogabatur Imperator Imagines reſtituere; ſed has quoque e manibus illorum, qui deferebant, Sergius Patricius Siciliæ Prætor eripuit, ipſos octo menſibus retinuit & tandem ſatis irriſos expulit. Non deſtitit Papa hac ſuper re Conſtantinopolim ſcribere, & epiſtolas Petro Defenſori ferendas tradidit; fruſtra vero omnia.

§. XIX.

Perſecutio Imaginum cauſa.

Theoph. an. 16. *p.* 343.

Imo Leo Imperator vehementi ira incenſus in Papam & Italiam refractariam, valida claſſe adornata, bellum movit; ſed claſſis iſta, in mari Adriatico naufragium paſſa, periit. Hinc increvit

vit furor; tributum in singula capita Calabriæ & Siciliæ tertia parte auxit, jussitque omnes infantes mares, qui nascebantur, conscribi. In terris sibi subjectis in ærarium suum conferri jussit reditus Patrimoniorum S. Petri Romani, qui Summam trium Talentorum aureorum & dimidii conficiebant, id est, ducenties mille viginti quatuor libras. In Oriente Imperator Sacrarum Imaginum Cultores atrociter persequebatur; eos tamen necari nolebat, ne Martyrum numero adscriberentur & honorarentur, sed satis ipsi erat ut plurimum carcere detentos & deinde cruciatos relegare. Nihilominus Græcis curæ fuit nomina illorum, qui in hac persecutione Iconoclastarum passi sunt, litteris mandare, & pleraque in Menologio Basilii Imperatoris legimus. Sed sæpe non facile divinare est, sub quo Imperatore passi fuerint, nam quandoque Scriptores Leonem Isaurum a Leone Armeno, qui in Sæculo sequente imperavit, non discernunt.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

to. 6. Ital. Sacr. to. Canis.

§. XX.

S. Joannes Damascenus pro Imaginibus calamum stringit.

Magnus in Oriente Imaginum Defensor, Imperatoris potentiæ non subjectus versabatur, S. Joannes Damasci

Sæcul. VIII. A.C 732.

nobili familia & Christiana natus; cujus Parens, pietatis amantissimus eum in omnibus Scientiis profanis, Sacrisque litteris erudiri curavit. Grandior factus, relictis paternis divitiis, Monasterium cum Cosmo postea Episcopo Majumensi ingressus est. Ambo igitur Monachis S. Sabæ prope Jerosolymam adscripti sunt, & Joannes reliquum vitæ tempus ibi transegit. Cognomenta nactus est *Mansur*, & *Chrysorroas*, quorum primum significat *Redemptus*, & secundum, *flumen aureum*, estque nomen Græcum amnis, qui Damascum alluit. Hoc nomen Joanni sua peperit eloquentia, at nobis frequentius sub nomine Joannis Damasceni venit.

Sinax. Basil. ap. Boll. 6. Maji. p. 109.

v. Gr.

Theoph. an. 2. Copr. p. 350.

Is cum Leonis Imperatoris Mandatum anno septingentesimo trigesimo contra Sacras Imagines editum percepisset, constituit earum defensionem in se suscipere, scripsitque Sermonem primum, quem sequentibus verbis, humilitatem Monasticæ Professionis summopere decentibus, exorditur: *Meum potius fuisset cognoscentis tenuitatem meam perpetuum servare silentium, & id unice curare, ut peccata mea Deo confiterer. Verum videns Ecclesiam, fundatam supra Petram, valida tempestate jactari, credidi, non esse silendi tempus, quia Deum magis quam Imperatorem timeo. Imo hoc ipsum*

ipsum ad scribendum me movet, quod sciam, Auctoritatem Principum ad seducendos subditos maximi ponderis esse. Pauci sunt, qui Principum Mandata etiam iniqua repellere audent, & considerant, Reges terræ Regi Cælesti subditos esse, & legibus teneri. Ceterum Sermonis sui fundamentum ponit; Ecclesiam errare non posse (*), nec permissum esse Chri-

Sæcul. VIII. A.C. 732.

(*) Da haben wir wiederum ein unverwerfliches Zeugniß; es hätten die Christen allzeit geglaubet, die wahre Kirche Christi sey, und müsse in der Lehre unfehlbar seyn. Allein nach vielen verflossenen Jahrhunderten haben die Protestanten etwas anders zu glauben angefangen. Wenigstens meynet der Herr Mosheim, wie wir schon einmal angemerkt, die Kirche könne einen Ketzer verdammen, der keiner ist, und dieser falsche Satz wird durch dasjenige bestättiget, was er im ersten Abschnitte seines Buches zu der Geschichte des Apostelordens schreibt. Erstlich, zweifelt er, ob die grossen Güter, die der abendländischen Kirche, sonderlich von den Zeiten Karls des Grossen an zugefallen sind, ihr und ihrer Geistlichkeit mehr Nutzen und Vortheil, oder mehr Schaden verschaffet haben. Zweytens saget er: Die Händel, die sich zuweilen in dieser Kirche äusserten, waren weder wichtig noch gefährlich .... man überließ die Entscheidung derselben den Päbsten und den Bischöffen. Und diese wußten sie auf eine solche Weise beyzulegen, daß sie selber fast

Sæcul. VIII. A. C. 732.

Christiano credere, quod suspicio immanis abusus, qualis Idololatria est, in eam cadat. Deinde ad ipsam materiam procedens ait: *Scio,*

fast allezeit dadurch grösser und mächtiger wurden. Aus diesem Geständnisse des Herrn Mosheim ersieht man, daß man die Streitigkeiten von der Lehre den Päbsten und Bischöffen überlassen. Und wem hätte sonst die Entscheidung über Lehrfragen zustehen sollen? Vielleicht einer jeden besondern Gemeinde, oder gar einem jeden Privatgeiste, der sich einbildet, den Sinn der heiligen Schrift zu verstehen? Aber wiederum: So schwach und dunkel auch der Schein der Wahrheit in diesen Zeiten war, so war er doch hell genug, diejenigen, die nicht ganz unachtsam oder gar ohnmächtig am Geist waren, zu überzeugen, daß die so genannten Statthalter Christi und die Nachfolger der Apostel mehr den Namen der Bedienten und Apostel des Satans verdieneten. Die wenigen Worte aus den Schriften der Apostel, die man bey den Versammlungen zum Gottesdienst hörete, reicheten zu, den Einfältigen die Augen in diesem Stücke zu öffnen.

Die Worte in den Schriften der Apostel belehren uns, daß alle Christen den Bischöffen unterwürfig seyn sollen; diese mögen für ihre Personen fromme oder lasterhafte Leute seyn. *

Act. Apost. c. 20.

Ferner: Es erhoben sich daher fast in allen Ländern von Europa Männer, die so viel Muth und Gottseligkeit hatten (wohl gemer-

ket

Scio, illum, qui mentiri nequit, dixisse: non habebis Deos alienos, &, non facies tibi Sculptile, nec Simulacrum omnium, Sæcul. VIII. A. C. 732.

ket Gottseligkeit) daß sie die Mängel der Kirche strafeten, und nach einer Verbesserung derselben seufzeten. Wenn diese Leute keine Absonderung von der Römischen Kirche, sondern nur eine Verbesserung verlangten, so waren sie Römisch-Katholisch; allein so meynet es der Herr Mosheim nicht.

Hierauf saget er: daher griff das Uebel schleunig um sich, und das Welttheil, das wir bewohnen, ward in kurzer Zeit von dem eilften Jahrhunderte an mit Leuten überschwemmet, die, so unterschieden sie in ihren Meynungen waren, darinn alle übereinstimmeten, daß die Römische Kirche die reine und unbefleckte Braut Christi nicht wäre ꝛc. Diese Worte enthalten etwas zweydeutiges und auch unwahrhaftes in sich. Benenne der Herr Mosheim solche Leute oder Gemeinde, welche nicht geglaubet, daß die Römische Kirche die wahre Gemeinde unsers Heilandes sey, so wird gleich erhellen, daß es keine andere gewesen, als solche, welche von der ganzen Kirche als offenbare Ketzer verdammet worden. Es ist aber auch die Anzahl der Ketzer gegen den Rechtgläubigen, das ist denenjenigen, welche die Römische Kirche als die wahre angesehen, allzeit gering gewesen. Die Laster der Geistlichen konnten auch die wahre Kirche Christi in eine falsche nicht verwandeln, und würde der Herr Mosheim diese Wahrheit begreifen, wenn er die heil. Schrift

besser

Sæcul. VIII. A. C. 732.

nium, quæ sunt in Cælo, aut in Terra. Hinc unum solum Deum adoro, & illi soli Cultum Latriæ exhibeo. Non adoro Creaturam,

besser verstünde, sonderlich das Evangelium von dem Baumann, der guten Saamen in seinem Acker ausgesäet, und dennoch darinn Unkraut aufgewachsen, daher er zu seinen Knechten gesprochen: sinite utraque crescere.* Wir wollen ihn aber noch einmal hören: Die Päbste ermunterten sich... Sie stifteten die beyden berühmten Bettelorden der Dominicaner und der Franciscaner... Sie richteten das weltberühmte Blutgericht... das die Inquisition genennet wird, wider die Ketzer auf.... Sie schrieben einen Kreuzzug nach dem andern aus.... Sie wirketen bey denen Kayfern und Königen.... die allerstrengesten und grausamsten Gesetze aus.... Diese und verschiedene andere Bemühungen schaffeten der bedrangten Kirche etwas Luft, und demüthigten die Rotten, die wider sie aufgestanden waren. Viele tausend Ketzer wurden durch Feuer, Schwert und andere gewaltsame Mittel hingerichtet.... Der Sieg wäre vollkommen gewesen, wenn die Häupter der Kirche sich ihres Sieges recht bedienet.... allein die Kirche ward durch ihr Unglücke nicht klüger. Sie blieb wie sie gewesen war, stolz, blind.... abergläubisch....

*Matth. 13.

Was soll nun aus diesem sich selbst widersprechenden Geschwätz folgen? Oben auf eben dieser

turam, sed Creatorem, qui ut mihi esset similis, Creatura factus est. Adoro cum magno Rege illo etiam Corpus, quod, liceat ita dicere! ipsius purpura est. Sustineo facere imaginem Dei invisibilis, sed non quatenus invisibilis est, sed quatenus amore nostri se ipsum visibilem reddidit. At vero per Moysen præcepit Dominus: non facies tibi simulacrum. Discite, qua ratione ipse Moyses in Deuteronomio id explicet. Locutus est nobis Dominus de medio ignis. Non vidistis aliquam similitu-

Sæcul. VIII. A. C. 732.

Deut. 4.

215. Seite saget Herr Mosheim: es erhoben sich .... gottseelige Leute; Unten sind sie gedemüthigte Rotten, und verbrannte Ketzer, vor welchen die bedrängte Kirche Luft bekommen. Endlich blieb diese Kirche wie sie gewesen war, abergläubisch. Eine abergläubische Kirche, welcher der Herr Mosheim keine andre rechtgläubige entgegen setzen kann. Was ist dieses? Wenn aber der Herr Mosheim hier per ironiam redet, und will alle diese Leute, die so unterschieden in ihren Meynungen waren, diese Rotten, und verbrannten Ketzer für seine Glaubensbrüder annehmen, sind wir dessen wohl zufrieden. Allein er sagt in einem andern Orte, man müsse Protestantischer Seits die Ketzer nicht zu Hülfe rufen. Es folget also aus diesem Abschnitte, daß man in allen Jahrhunderten keine andere wahre Kirche Christi als die Römischkatholische namhaft machen kann, und daß der Herr Mosheim zwar viel Belesenheit und Erudition, aber keinen Begriff, was die wahre Kirche Christi sey, besitze.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

litudinem, sed tantum vocem ejus audivistis, ne forte elevatis oculis ad Cælum videatis Solem & Lunam & omnia Astra, & errore decepti adoretis ea, & eis serviatis. Cognoscitis jam, consilium Dei fuisse, vos cohibere, ne Creaturam loco Creatoris adoretis, & ne alteri cultum Latriæ tribuatis? Igitur hoc præceptum Judæis ad Idololatriam pronis datum est; nos vero, quibus concessum, Naturam Divinam perfecte cognoscere, qui infantiam egressi sumus, non ignoramus, quid imaginibus repræsentari possit, aut non possit. Quo pacto effingi possit ille, qui nec figuram habet, nec terminos: quomodo coloribus pingi poterit, cui corpus non est. Verum enimvero, ex quo factus est homo, formam ejus humanam pingere potestis. Potestis pingere Nativitatem ejus ex Virgine, Baptismum in Jordane, Transfigurationem in monte Thabor, ejus Cruciatus, Crucem, Sepulturam, Resurrectionem, & Ascensionem. Hæc omnia tam coloribus, quam verbis exprimite, abjecto omni errandi timore.

Tum explicat varias significationes quæ vocibus *Imago* & *Adoratio* convenire possunt. *Filius Dei est Imago vivens Patris. Ideæ Divinæ sunt imagines illarum rerum, quas creare Deus vult. Res sensibiles imagines sunt Rerum incorporearum; ita Scriptura, ut se accommodet*

det infirmitati noſtræ, quandoque Deo & Angelis figuras corporeas tribuit. Ita ut Eſſentiam Trinitatis aliquatenus aſſequi poſſint, quibus loquimur, ſimilitudinem ſolis, ejusdem lucis, & radii adhibemus, item non nunquam afferimus ſimilitudinem fontis & rivi. Præterea imaginem appellare ſolemus ſignum rerum futurarum. Ita Arca fœderis, Virga Aaron, & Urna Mannæ, Sanctam Virginem, Serpens æneus JEſum Chriſtum in Cruce, Mare & Nubes Baptiſmum ſignificabant. Imago quoque dicitur illud, quod rerum præteritarum memoriam conſervat, ſive per litteras, quod factum eſt, quando Deus Legem ſuam in Tabulis ſcripſit, & vitam virorum, qui ſibi cari fuerant, litteris conſignari præcepit, ſive per alia monumenta ſenſibilia, qualia fuere Virga & Urna, quæ in Arca aſſervari juſſit. Ergo vel omnis generis imagines auferte, & reſiſtite illi, qui eas fieri juſſit, vel omnes eo modo, quo convenit, recipite.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

S. Joannis Damaſceni Epiſtola.

Adoratio duobus modis intelligitur. Primo illa, quam ſoli Deo ſua Natura adorando reddimus, & vocatur Latria. Datur & altera, quam intuitu Dei, amicis ejus & Servis tribuimus. Sic Joſue, & David Angelos adoraverunt, aut locis, rebusque Deo conſecratis, aut Principibus, quos Deus conſtituit; quod contigit, quando Jacob adoravit Eſau fratrem ſuum primo-

Gen. 23.

Gen. 46.

Sæcul. VIII. A C. 732.

mogenitum, & quando Joseph Fratres sui adoraverunt. Datur etiam adoratio, qua nihil aliud est, quam honoratio reciproca, qualem sibi Abraham & filii Emor exhibuerunt. Ergo omnis adoratio vobis erit rejicienda, aut omnis pro nata occasione in sensu congruo recipienda.

Gen. 23.

An non unus Deus est, & idem Legislator? cur ergo res sibi ipsis adversantes præcipit? cur Propitiatorium contegi jubet Cherubinis, factis manibus hominum? Arca, Urna & Propitiatorium nonne opera hominum sunt, facta, ut dicitis ex vili materia? Totum Tabernaculum an non est, quod dicit Apostolus, Exemplar & umbra Rerum Cœlestium? Ergo eadem Lex, quæ Imagines prohibet, imagines fieri præcipit. Et infra:

Apologia pro Imaginibus.

Hebr. 8. 5.

Sacrum Crucis lignum an non materia constat? item Locus Calvariæ, & lapis Sancti Sepulchri nostræ Resurrectionis Origo, & litteræ, quibus Evangelia scripta sunt, & Sacra Mensa, aurum & argentum, ex quibus Cruces & Vasa Sacra conflantur, tandem Corpus & Sanguis Domini Nostri,(*) nonne hæc omnia materialia sunt? ergo vel omnium Rerum istarum

(*) Argumentum & Testimonium invictum contra Protestantes! quod Corpus & Sanguis Christi in Eucharistia fuerit adoratum. Quippe Mate-

rum cultum & venerationem tollite, aut fateamini, licitum esse, Imagines Dei incarnati & Amicorum ejus honorare. Ex his dispicimus, quam multas res sensibiles Iconoclastæ adhucdum venerati fuerint. Sæcul. VIII. A. C. 732.

His S. Joannes Damascenus subjungit: *Si vero ideo imagines deletas vultis, ut Legi obediatis, cur non etiam Sabbatum & Circumcisionem servatis? scitote autem, quod si Legem observatis, Christus nihil vobis proderit.* Et iterum: *Dicitis: satis vobis sit, Imaginem JEsu Christi & Matris ejus pingere. Profecto, absurdi admodum estis! an non intelligitis, quod vos hæc dicendo Cœlitum hostes aperte profiteamini, dum imagines quidem admittitis, sed honorem iis exhibendum negatis?* Et infra: *Templum Salomonis per circuitum ornatum erat Cherubinis, Palmis, Malogranatis, bobus & leonibus. An non magis oportet parietes Domus Dei imaginibus Sanctorum, quam animalium ratione carentium exornari? nolumus pingere JEsum Christum sine Sanctis, id est, Purpuratis suis. Imperator hujus terræ, si placeat, dimittat aulam suam & Proceres, priusquam Dominum suum so-* Gal. 5. 2. 3. Reg. 6. 29.

Materia Corporis & Sanguinis Christi vere in Evchariſtia exiſtit, quamvis modus exiſtendi non ſit materialis.

Sæcul. VIII. A C. 722.

lum conſpici jubeat. Tum iterum: *olim non conſtruebantur templa hominibus ſacra, & mors Juſtorum non celebrabatur in lætitia, ſed in lacrymis. Imo qui tetigerat cadaver hominis, etſi fuiſſet corpus ipſius Moyſis, immundus reputabatur. Ergo aut Feſta ad honorem Sanctorum inſtituta, contra veteris Legis præcepta rejicite, aut eorum imagines, quas Legi adverſari dicitis, recipite. At Feſta hæc ab Apoſtolis & Patribus accepta abolere non valetis; nam ex quo incarnatum eſt Verbum, vere Sanctificati ſumus, ipſius paſſione liberati, & ejusdem Reſurrectione immortales. Ex eo tempore mortem Sanctorum in lætitia & non in luctu honoramus.* Et poſtea: *Umbra & cingulum Apoſtolorum morbos pellebat, & Dæmones ejiciebat; cur ergo illorum imago nullo honore digna ſit? Igitur, aut nihil, quod materia conſtat, adorate, aut cavete ne Novatores ſitis, (*) & limites æternos non amovete, poſitos a Majoribus veſtris, qui Eccleſiæ Ritus non ſolum ſcriptis ſuis, ſed etiam Traditione ſtabilierunt.* Hic S. Joannes Damaſcenus celebrem Textum S. Baſilii & libro ejus de Spiritu S. excerptum adducit, atque etiam verba S. Pauli: *itaque, Fratres! ſtate,*

Num. 19. 11.

S. Joannes Damaſcenus.

S. Baſ. de Sp. l. c. 27. *Sup. lib. XVII.* §. 13. 2. *Theſſ.* 2. 14

(*) Hæc interpres noſter Proteſtans a S. Joanne Damaſceno ſibi dicta habeat.

state, & tenete Traditiones, quas didici- Sæcul. VIII.
stis a nobis, sive per Sermonem sive per E- A. C. 732.
pistolam.

Tum respondet ad objectionem, inde petitam, quod S. Epiphanius aliquando laceraverit siparium, in quo depicta erat imago. S. Joannes Damascenus primo dicit, forte istud Scriptum Epiphanii Opus non esse, & deinde, ipsum id facere potuisse ad corrigendos aliquos abusus, sicut olim S. Athanasius Reliquias Sanctorum sepeliri jussisset, ad abolendam malam consuetudinem Ægyptiorum, qui mortuos suos lectis impositos asservabant. Quippe S. Epiphanio nunquam in mentem venisse, Imagines tollere, perspici ex ornamentis ipsius Ecclesiæ, quæ in hanc diem imaginibus pictis splenderet. Denique solius Epiphanii Auctoritatem totius Ecclesiæ Sententiæ æquivalere non posse. *Sup. l. XIX. §. 44.*

In fine hujus Sermonis S. Joannes Damascenus aliquot Textus Patrum, Imaginum cultui faventium, affert, & primo S. Dionysii, qui vulgo Areopagitæ vocatur, tum S. Basilii, S. Gregorii Nysseni, dicentis, quod imago conspecta Abrahami filium suum immolantis ex oculis suis lacrymas elicuisset, S. Joannis Chrysostomi, Leonis Episcopi Napolitani in Cypro, ubi verba sequentia subjungit: *Quis melior Interpres S. Epiphanii*

Sæcul. VIII. A. C. 732.

habendus, hic Sanctus Episcopus, qui in eadem Insula prædicavit, aut illi, qui secundum sensum suum privatum loquuntur? Et inferius: *Multos habuit Ecclesia Episcopos & multos Imperatores Christianos, Pietate, Doctrina, & vitæ Sanctitate insignes, multa celebrata fuere Concilia; quomodo igitur adhuc nemo cultum Imaginum damnavit? Non committemus, ut a priore sententia dimoti videamur, & tempori serviisse credamur, ne Infideles inanem & jocularem esse Religionem nostram existiment. Non obediemus Mandatis Imperatoris, qui consuetudinem a Patribus nostris acceptam evertit. Principes pietatis amantes Ecclesiæ Ritus abolere non solent. Nec patris est sed latronis vim adhibere, ubi argumentis agendum esset; unde est, quod hodieque secundum Concilium Ephesinum infami nomine latrocinii notetur. Non Principum, sed Conciliorum est de Religione decernere. Non enim Principibus* Sup. Lib. XXVII. §. 38. *sed Apostolis & Successoribus eorum* Gal. 1. 8. *JEsus Christus ligandi atque solvendi potestatem dedit.* (*) *Etsi Angelus, inquit S. Pau-*

(*) Quærere hic lubet, in quo hominum ordine inter Protestantes hæc Potestas clarissimis verbis a JEsu Christo Apostolis promissa resideat? nam Episcopos id est Apostolorum Successores

S. Paulus, aliud vobis evangelizaret, ac id, quod accepistis. &c. Cetera non addamus, ut nostra lenitate demus eis locum resipiscendi. Si vero, quod Cælum avertat, in errore pertinaciter perseverent, tunc etiam id, quod sequitur, pronunciabimus. Nempe Anathema. Ex his verbis conjicere est, hunc Sermonem in lucem editum fuisse statim post vulgatum Leonis Imperatoris Decretum contra Imagines, id est, anno septingentesimo trigesimo, antequam in Palæstinam delatum fuisset, S. Germanum fuisse proscriptum, qua de re primum in secundo Sermone fit mentio. Sæcul. VIII. A. C. 732.

§. XXI.

Sermo secundus & tertius.

Sanctus Joannes Damascenus in exordio secundi Sermonis profitetur, se teneri, calamo Veritatem defendere, quia Talentum Prædicationis accepisset, id est, mandatum loquendi in Ecclesia, quod indicare videtur, ipsum jam tunc Sacerdotio initiatum fuisse. Subdit, quosdam Ecclesiæ Filios ipsum permovisse, ut hunc secundum Sermonem scriberet, quod multi primum non satis ca-

cessores rejecerunt, & hanc Potestatem Principibus Christus non concessit; nec eam unquam exercuerunt.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

perent. Adnotat diversas fraudes & artes Dæmonis, quibus ad seducendos homines utitur, Atheismum, Idololatriam, Hæreses. *Hodie*, inquit, *ille ipse Impostor, qui olim non Gentiles modo, sed etiam Israelitas, indignum! ad adoranda brutorum simulacra impulit, aliam formam induit ad turbandam Ecclesiæ pacem; nam surrexerunt aliqui dicentes, prodigia, quæ JEsus Christus propter Salutem nostram operatus est, & pugnas Sanctorum adversus Dæmonem, in imaginibus, quas admiremur, honoremus, & imitemur, nobis non esse proponendas.* Iterum edicit, se contra novi erroris Auctores nolle Anathema pronunciare, quod eorum emendationem expectaret. Eadem argumenta ac in primo Sermone affert, sed ubi explicat Legis verba, quæ Imagines damnare videntur, addit: *Examinanda est scribentis intentio, ut sermonis veritas cognoscatur. Quamvis in Evangelio de tenebris, de Satana, de Inferno mentio occurrat, illud tamen cum Veneratione & adoratione conveniente recipimus, sed cum horrore rejicimus Libros Manichæorum, aliorumque Hæreticorum, quamvis nomen Dei contineant. Ita etiam quando de Imaginibus sermo est, attendendum, quæ sit loquentis intentio.*

De

De diversitate utriusque Potestatis, spiritualis & sæcularis disputat in hunc modum: *In Ecclesia sua, ait S. Paulus, JEsus Christus posuit Apostolos, Prophetas, Pastores, & Doctores; non autem dicit, Imperatores.* (*) *Nunquam Reges Dei nomine vobis locuti sunt, sed Apostoli & Prophetæ. Imperatorum est Rempublicam regere, Pastoribus vero atque Doctoribus competit Ecclesiæ præesse. Vis, quæ hac in re Fidelibus infertur, latrocinii profecto nomen meretur! Saul pallium Samuelis dilaceravit, & Regnum amisit. Jezabel Eliam persecuta est, & devoraverunt eam canes. Herodes S. Joannem occidit, & vermes Tyranni morientis viscera corroserunt. Hodie in exilium expellitur Beatus Germanus, & plures alii Patres, quorum nomina ignoramus; sane! hæc persecutio nihil differt a latrocinio.* Et postea sermone ad Imperatorem directo: *Obedientiam tibi præstamus, Auguste! in iis, quæ ad vitam Civilem spectant, qualia sunt tributa & pensiones, at in causis Ecclesiasticis Pastores nostros sequimur.* Nempe Christiani in Oriente Imperatores Constantinopolitanos tanquam Principes suos legiti-

Sæcul. VIII. A. C. 732.

1. Cor. 12. 28.

(*) S. Joannes Damascenus egregie refutat Protestantes dicentes, Jura in Sacra Principi Laico competere.

Sæcul. VIII. A.C. 732.

mos habebant, Leges Romanas servabant, & linguam Græcam, qua S. Joannes scripsit.

Deinde subjungit: *Manichæi Evangelium secundum S. Thomam scribere ausi sunt, scribite & vos aliud secundum Leonem Imperatorem. Nescio Cæsarem, si Sacerdotii jura usurpet. Memini Valentem Sacerdotii Officium occupasse, cum Fidem Catholicam persecutus est, quamvis Christiani nomen gereret. Eadem insania fuit Zenonis, Anastasii, Heraclii, Constantini, qui in Sicilia fuit, & Bardanis cognomento Philippici.* Huic Sermoni S. Joannes Damascenus subdit eosdem Textus, quos in fine Sermonis primi attulerat, sed etiam quosdam alios S. Chrysostomi, S. Ambrosii, S. Maximi & S. Anastasii Antiocheni adjecit.

Sermo tertius pro imaginibus scriptus ferme nihil, quod non in duobus prioribus occurrat, continet, nisi quod major numerus Textuum in fine appositus fuerit.

§. XXII.

Epistola S. Bonifacii.

vit. Bon. per Vil. c. 8. 4. Act. Be. p. 19.

Iconoclastis Fidem in Oriente oppugnantibus, eadem in Germania S. Bonifacii laboribus strenue propagabatur. Fundatis Monasteriis Fridelariensi & Amanoburgensi, nempe circa annum 732. con-

contulit se in Bavariam, ubi Hubertus Dux imperabat, & illius Regionis Ecclesias visitavit. S. Corbiniano Episcopo Frisingensi jam anno 730. defuncto, octavo Sept., quo die Ecclesia ejus memoriam colit, S. Bonifacius in Bavariam veniens deprehendit hanc Ecclesiam a quodam Hæretico, nomine Erenwolfio, qui populum ad Idololatriam reducebat, turbari. Hoc igitur homine secundum Canones damnato, & ex illa Regione ejecto, restituta etiam Disciplina, Vir Sanctus ad suam Diœcesin reversus est.

Sæcul. VIII. A. C. 732.

Sup. n. 10. Sup. Lib. XLI. §. 31. vit. to. 3. Act. Ben. p. 51. Mart. Rom. 8. Sept.

Haud multo post tempore S. Bonifacius ad Northelmum Archiepiscopum Cantuariensem Epistolam dedit in hunc ferme modum scriptam: *Rogo, ut cum ad Deum oras, mei memineris, quippe Spiritus meus adversus tot assultus nationum Germanicarum confirmatione indiget. Cupio etiam Communione & Charitate Fraterna tibi unitus esse, sicut Antecessori tuo Berthualdo conjunctus eram, quando e patria mea migravi. Præterea enixe rogo, ut mihi mittas exemplar Epistolæ, quæ complectitur quæstiones Augustini Episcopi cum Responsis S. Gregorii Papæ; in ea enim præter alios Articulos dicitur, licere Fidelibus in tertia generatione matrimonio conjungi. Sollicite examina, an hoc Scriptum S. Gregorii sit; nam qui Tabulas Eccle-*

Epist. l. 5.

Sup. Lib. XXXVI. §. 37. & 38.

siæ

Sæcul. VIII. A. C. 732.

ſiæ Romanæ cuſtodiunt, dicunt, quod iſtud inter alias ejusdem Papæ Epiſtolas quæſitum non invenerint. Ceterum conſilium tuum expeto ſuper peccato a me admiſſo, dum in nuptias conſenſi. Quidam vir, poſtquam infantem e fonte Sacro levavit, deinde matrem factam viduam, duxit. Dicunt Romani, eſſe peccatum mortale, jubent, ut ſeparentur, & affirmant, hoc crimen, ſub Imperatoribus Chriſtianis pœna capitis dignum, aut ſaltem perpetua peregrinatione expiandum fore. Doceas me velim, an in Decretis Patrum, vel in Canonibus vel Scriptura legeris, in his nuptiis tantum eſſe nefas; capere enim nequeo, cur cognatio Spiritualis in quadam Eccleſia nuptias usque adeo ſceleſtas reddat, cum per Baptiſmum omnes fratres ſimus. Id quoque me doce; quo poſt Incarnationem anno primi Prædicatores, a S. Gregorio ad Anglos miſſi, illo pervenerint. S. Bonifacius ſuper eadem quæſtione de Nuptiis initis cum ſacræ propinquitatis ſocia matre conſuluit Pecthlemum primum Caſæ Candidæ in Nordhumbria Epiſcopum & Duddonem Abbatem, olim Diſcipulum ſuum. Eundem rogat, ut Tractatus Patrum in Scripturam mittat.

Hanc

Sæcul. VIII. A.C.732.

Hanc Epistolam S. Bonifacii Eoba Presbyter detulit, alteramque ad Abbatissam Eadburgam datam, in qua gratias agit, ob missos sibi libros, vestesque, & rogat eam, ut Epistolas S. Petri litteris aureis sibi conscriberet, quo major Sacræ hujus Scripturæ reverentia rudibus hominibus crearetur, & suo affectui in S. Apostolum satisfaceret, quem tanquam Missionis suæ Præsidem & Defensorem venerabatur. In alia Epistola ad eandem Abbatissam queritur, quod tot Adversarios in sua Prædicatione pateretur. *Undique*, inquit, *labor & furor, foris pugnæ, intus timores, & falsorum fratrum nequitia longe pejor est Gentilium pravitate.* Plures extant Epistolæ S. Bonifacii ad hanc Eadburgam Abbatissam, quam Monasterio Vinoburnensi in Saxonia Occidentali præfuisse credunt. Sed etiam altera erat Eadburga Abbatissa Tanetensis, quæ frequentissime Bugga dicebatur & cui S. Bonifacius duas scripsit Epistolas. Eoba Presbyter S. Bonifacii in labore Apostolico socius exinde Infula Ultrajectensi exornatus est.

Epist. II. Be. V. hist. c. ult. epist. 22.

S. Bonifacius

Ep. 28. Ep. 13. 2. Cor. 8. 5. Ep. 7. 13. 14. Act. SS. Be. to. 3. p. 448. Ep. 2. 20. Othlo. l. 2. c. 21.

Ad hæc tempora referri potest Epistola Episcopi Torthelmi ad S. Bonifacium, cum ei titulum Archiepiscopi tribuat. Gratulatur auspicatissimam Saxonum Conversionem, dicit, quod ipsius memoriam in Missa & in precibus quotidia-

Ep. 43.

Sæcul VIII. A. C. 738.

tidianis agat. Habemus etiam duorum Regum Epistolas, quæ eodem tempore datæ videntur, saltem prima, ubi de Eoba Presbytero mentio occurrit. Scripta est hæc Epistola a Sigebaldo Rege Saxonum Occidentalium, qui S. Bonifacium efflictim rogat, ut unacum Daniele Episcopus suus esse velit, dicitque: *Scias, quod Missam celebrans jubeam recitari nomen tuum, sicut Episcoporum nostrorum nomina recitantur.* Missam celebrare illius temporis stylo sæpe significat Missæ adesse, & de Laicis dicitur. Altera Epistola est Aelbualdi Regis Angliæ Orientalis qui suo & omnium Monasteriorum Regni sui nomine scribens dicit, se, ut S. Bonifacii desiderio satisfaceret, pro ipso in Missis & in septem horis Canonicis orare. Precibus Viri Sancti se commendat, & addit, nomina defunctorum viciſſim mittenda esse, ut pro ipsis oretur. Ethilbertus Rex Cantiorum ad S. Bonifacium scribens mentionem facit de Bugga Abbatissa, ei vas argenteum & aliqua alia Dona mittit, & petit sibi mitti duos accipitres, quod in Germania venationi aptiores quam in Regno suo nascerentur.

ep. 49.

v. Mabill. Liturg. ep. 76.

ep. 40.

§. XXIII.

S. Bonifacius tertio Romæ.

Sanctus Bonifacius anno septingentesimo

mo trigesimo octavo iter Romam tertio suscepit, tum cum Gregorio III. Papa, nunquam a se viso, collaturus, tum etiam, cum inclinata jam esset ætate, se Sanctorum Virorum precibus commendaturus. A Papa humanissime exceptus est, sicut ipse ad suos in Germaniam rescripsit, eumque non Romani modo, sed etiam exteri maxima veneratione prosecuti sunt, quem nempe ex uno loco in alium procedentem magna frequentia Francorum, Bavarorum, Anglorum, aliarumque nationum sequebatur. In Italia majore anni parte versatus, postquam Sepulchra Sanctorum invisisset, Papæ valedixit, qui muneribus cumulatum additis etiam multis Reliquiis & tribus Epistolis dimisit. In prima Epistola ad omnes Episcopos & Abbates directa, Papa S. Bonifacium iis commendat, & hortatur, ut ipsi in Prædicationis Officio Adjutores & Cooperatores concedant. Secunda Epistola dirigitur ad Germaniæ populos Neo-conversos, in eaque Pontifex nominat Thuringos, Hassos, plures alios Barbaros, & denique omnes populos ad Orientem habitantes. Quod de illis, qui plagam Rheni orientalem incolunt, accipiendum. Hortatur, ut docentem Bonifacium docili animo auscultent, atque Episcopos & Presbyteros, quos ipse per Apostolicam sibi datam

Sæcul. VIII. A. C. 738.

vit. per Villib. c. 9. ep. 27.

vit. per Othl. c. 28.

vid. not. Serrar. epist. 128 S. Bonif. & Coint. an. 738. n. 13.

Sæcul. VIII. A. C. 738.

datam Auctoritatem ordinaverit, recipiant. Deinde Papa subjungit: *Si quos a rectæ Fidei seu Canonicæ Doctrinæ tramite aberrantes reducere voluerit, a vobis nullo modo impediatur, sed potius efficite, ut obediant, nisi æternæ damnationis pœnam sibi ipsis velint acquirere. Vos autem, Carissimi! qui in Nomine JEsu Christi baptizati estis, abstinete ab omni cultu Paganorum; sed & Subditos vestros cohibete. Abjicite Divinos & Sortilegos, Sacrificia mortuorum, seu lucorum vel fontium, auguria, phylacteria, incantatores, maleficos, omnesque alias Superstitiones, quæ in vestris finibus fieri solebant.*

Epistola tertia ad Episcopos Bavariæ & Allemanniæ dirigitur, nimirum ad Wigonem Augustanum, Luidonem Spirensem, Rodulphum, quem Episcopum Constantiensem fuisse putant, Vivilonem Laureacensem, (*) seu Passaviensem, & Addam seu Heddonem Argentoratensem

(*) Si cui lubeat, Historiam intricatam de Origine Ecclesiarum Laureacensis & Passaviensis noviſſe, Historiam Salisburgensem Authore A. R. P. Josepho Mezger O. S. P. B. ad S. Petrum Salisburgi scriptam & ab A. RR. Fratribus ipsius germanis Francisco & Paulo in eodem Monasterio Professis continuatam, opus præclarum, legat.

sem. Itaque ex Allemannia quatuor, & ex Bavaria unicus, nempe Vivilo, ab ipso Papa post obitum Theodori ordinatus, nominantur. Pontifex hos Episcopos hortatur, ut Bonifacium benigne suscipiant, Doctrinam teneant, Hæreticos & Pseudo-Episcopos undecunque advenerint, præsertim Britones, respuant, populos sibi commissos a Superstitionis veteris reliquiis liberent, & Concilium ad Danubii oram sive Augustæ, sive in alio, quo Bonifacio visum fuerit, loco celebrent.

Sæcul. VIII. A. C. 738.

v. Coint. an. 737.

§. XXIV.

Sancti Willibaldus & Wunebaldus.

In hac Romana profectione S. Bonifacius multos Anglos, præsertim Presbyteros invitavit, ut Missionis Germanicæ laborem secum partirentur. Præter alios in Prædicationis societatem SS. Willibaldum, & Wunebaldum fratres, propinquos suos pertraxit. Willibaldus, quem Germani etiam *Bilibalde* nominant, in Anglia circa annum septingentesimum natus, adhuc puer Monachis traditus, anno circiter septingentesimo vigesimo, relicta patria, cum Patre suo Richardo, & Wunebaldo fratre tunc annum ætatis decimum nonum agente,

vit. S. Uneb. n. 7. to. 3. Act. SS. Ben. p. 180. vit. S. Villib. p. 365

Sæcul. VIII. A. C. 738.

Romam profectus est. Pater in itinere mortuus & Luccæ sepultus, ibi honore Sanctis debito colitur. Duo fratres Romam pervenerunt, unde Willibaldus, exacto biennio, & relicto ibi fratre, iter in Terram sanctam cum duobus juvenibus Anglis ingressus est. Wunebaldus Romæ Tonsuram accepit, Sacræ Scripturæ operam dedit, & septem annos ibi moratus in Angliam rediit, eo ductus consilio, ut quosdam ex suis propinquis ad Dei Servitium invitaret. Nec irritus fuit conatus. Postea Romam secundo profectus, fratrem tertium, cujus nomen ignoratur, secum adduxit. Tunc igitur S. Bonifacius comperto, quod Romæ esset, ei sæpius collocutus tanquam propinquum suum invitavit ad partem laborum suorum in se suscipiendam. Wunebaldus facile passus est se permoveri, ut S. Bonifacium in Germaniam redeuntem paulopost sequeretur, comitantibus fratre suo & quibusdam aliis, quos inter numeratur S. Sebaldus, quem Norimbergenses tanquam illius Regionis Apostolum decimo nono Aug. colunt. Cum his sociis S. Wunebaldus in Thuringia S. Bonifacio junctus est.

Interim Willibaldus & Socii ejus vasta terrarum spatia peragraverant. Cum e portu Neapolitano solvissent, primum in Asiam minorem & inde in Phœnicen delati

delati, aliquamdiu a Saracenis, qui ipsos exploratores esse suspicabantur, Emesi detenti sunt. Tum dimissi totam Palæstinam lustrarunt, & inde Constantinopolim profecti tandem cum Apocrisiariis Papæ & Legatis Imperatoris in Italiam revecti sunt. In vita S. Willibaldi status locorum sacrorum, qui tunc temporis visebantur, describitur. Sæcul. VIII. A. C. 738.

Igitur S. Willibaldus septem annis, postquam Roma discessisset, & annis decem, postquam migrasset e patria, id est, anno circiter septingentesimo vigesimo octavo in Italiam redux, quodam Episcopo id consilii suggerente, ad Montem Cassinum se contulit, ibique sub Petronacis Abbatis Regimine annis decem commoratus est. Pauci tunc quidem in illo Monasterio degebant Monachi, quos Abbas magno zelo & discretione regebat, & informabat. Primo anno Willibaldus Ecclesiæ Camerarius fuit, id est, Sacrista, anno secundo Decanus, nempe, decem Monachis præfectus, & octo annis, quatuor in superiore & quatuor in inferiore Monasterio Ostiarius. Nam secundum Regulam S. Benedicti Officium istud magni momenti habebatur, & non nisi senibus aut Monachorum prudentissimis hæc provincia injungebatur. Toto itaque decem annorum spatio S. Willi-

Sup. Lib. XLI. §. 32.

S. Willibaldus Benedictinus Cassinensis.

Reg.

Sæcul. VIII. A. C. 738.

Willibaldi cura prima fuit, Regulæ S. Benedicti Disciplinam discere. (*)

Exinde cum quidam Presbyter Hispanus, qui in Monte Cassino versatus fuerat, accepta Abbatis licentia & Benedictione Romam iter susciperet, eo Willibaldum secum abduxit. Quod rescius Gregorius III. Papa Willibaldum ad se accersitum interrogavit, quid ipsi in suis peregrinationibus relatu dignum contigisset, & quo pacto Infidelium insidias effugisset. Willibaldus omnia ex ordine narrans, id quoque addidit, quod se in Jordane lavasset. Tandem Papa dixit: *Bonifacius Episcopus rogavit me, ut te a Monte Cassino avocarem, & abjecta omni mora te ad eum, apud Francos versantem, mitterem, ubi cum ipso illis populis catechizandis incumberes. Rogo te igitur, & idem præcipio, ut ad eum te conferas.* Respondit Willibaldus:

(*) Saltem S. Willibaldum Ordinis S. P. N. Benedicti Monachum fuisse nemo inficias ibit, quod tamen de S. Gregorio Magno Papa, sicut aliqui de S. Ruperto, Cardinalis Baronius negat, & idcirco eidem P. Magnoaldus Ziegelbauer & P. Legipontius in Historia Litteraria Ordinis S. Benedicti subirascuntur. Hos, si quis ejusmodi Quæstionibus delectatur, in Articulo de Historia Artis Criticæ seu Censoriæ legere potest.

dus: *Obtemperabo, si feceris, ut mihi Abbas meus secundum Regulam Benedictionem impertiatur. Vade,* reposuit Papa, & *nulla te cura angat. Sufficit tibi mandatum meum. Ipse Abbas Petronax, si eum in aliam Regionem mittere voluero, obsistere mihi non deberet.* Obedientiam ergo præstitit Willibaldus, non in Germaniam modo, sed quocunque Papa præciperet, iturus. Moxque iter in Thuringiam ingressus est. Sæcul. VIII. A.C. 738.

§. XXV.

Episcopatus in Bavaria.

Sanctus Bonifacius Roma profectus anno septingentesimo trigesimo nono, & Ticinum perveniens, a Rege Luitprando amice exceptus est, ibique Sanctus Senex aliquamdiu moratus, fractas vires refecit. Inde in Bavariam tam propria voluntate, quam precibus Odilonis Ducis motus divertit, ubi longo tempore Verbum Dei prædicavit. In ea Regione Fidei puritatem restituit, pulsis quibusdam Sycophantis, quorum aliqui Episcopos, alii Presbyteros se mentiebantur, variis fraudibus multos perverterant, & sua impudicitia toti populo scandalo erant. *vit. per Villib. c. 9. n. 28.*

Odilone Duce consentiente S. Bonifacius Provinciam Bojoariæ in quatuor

Sæcul. VIII. A. C. 739.

Diœceſes diviſit, & quatuor conſtituit Epiſcopos. Primus fuit Joannes in Civitate Salisburgenſi, qui illam Sedem ſeptem annis tenuit. Secundus Erembertus S. Corbiniani Nepos Friſingæ. Tertius Goibaldus Regini, ſeu Ratisbonæ. Hi tres a S. Bonifacio ordinati fuere. Quartus Epiſcopus Bavariæ fuit Vivilo jam prius a Papa ordinatus, cujus Sedes Patavii fixa.

vide tom. 3. Act. SS. Be. p. 347.

Cum S. Bonifacius data ad Gregorium III. Epiſtola eorum, quæ in Bojoaria egerat, rationem reddidiſſet, reſpondit Papa datis litteris, in quibus ait: *Agimus Deo omnipotenti Gratias, quod, ſicut ex litteris tuis percipimus, in Germania ad centum millia animarum, auxiliante Carolo Francorum Principe converteris.* Tum Papa novorum Epiſcopatuum in Bavaria erectionem approbat, & ſubjungit: *Presbyteri vero, quos ibidem reperiſti, ſi incogniti fuerint viri illi, a quibus ſint ordinati, & dubium ſit, eos Epiſcopos fuiſſe, qui ipſos ordinarunt, iterum conſecrentur, ſi Catholici ſint, & bonos mores exhibeant.*

Othl. l. 1. c. 32. ep. 7 Greg. to. 6. Conc. p. 1474

Quod ſpectat ad illos, qui in diverſis populorum iſtorum linguis baptizati ſunt, ſi modo in nomine Sanctæ Trinitatis baptizati fuerint, impoſitione manuum & adhibito Chriſmate Sacro confirmentur. Poteſtas tibi ſit Epiſcopum Nivi-

lium

lium †, *quem nos ordinavimus, si opus est, corrigendi. Ceterum volumus, ut in Concilio, quod juxta ripam Danubii celebraturus es, ipse adsis; quippe pro incepti laboris utilitate non licet tibi, Frater! in uno loco morari, sed quia in illis Hesperiæ partibus rari adhucdum sunt Christiani, confirmatis conversorum cordibus, ubicunque Deus viam Salutis aperuerit, verbum Dei annuncia, & ubi locum inveneris, nostræ Auctoritatis vices gerens Episcopos ordina. Non pigeat, dilectissime Frater! itinera carpere aspera & diversa, ut Christiana Fides longe lateque tuo conamine extendatur, & aliquando audias Dominum dicentem: Euge Serve Bone, intra in gaudium? &c.* Hæc Epistola quarto Cal. Nov. piissimi Domini Imperatoris Leonis vigesimo tertio, Constantini Imperatoris filii ejus vigesimo, Indictione octava, id est, vigesimo nono Octobris anno reparatæ Salutis septingentesimo trigesimo nono data. Unde etiam notandum, quod Papa adhucdum Leonem Imperatorem Principem suum agnosceret.

Sæcul. VIII. A. C. 739.

† *Vivilonem*

Matth. 25.

§. XXVI.

Papa a Carolo Martello auxilium petit.

Sub idem tempus Italiæ pax turbata est Trasi- *Paul. VI. hist. c.* 55.

Sæcul. VIII. A. C. 74.

Anast. in Zach.

Trasimundi Ducis Spoletani defectione a Rege Luitprando Domino suo, quo rebellem persequente, is Romam se recepit; atque Gregorio Papa & Stephano Civitatis Romanæ Duce profugum tradere recusantibus, Luitprandus Urbem obsedit, & Civitates quatuor Suburbicarias cepit. Nihilominus Trasimundus Romanorum viribus auctus Spoletum iterum in potestatem redegit. Ceterum cum Rex Luitprandus Gisulfum, quod minore ætate esset, Ducatu Beneventano privasset, populus, qui Gisulfi partes tuebatur, Spoletanis Romanisque contra Longobardorum Regem inito fœdere junctus est.

Fredeg. cont. 3. c. 110. & 161. Revin.

Attamen Gregorius Papa, vir consummatæ prudentiæ, cum facile prævideret, horum populorum vires tanti Regis potentiæ impares esse, ad Carolum Martellum conversus, uno anno 741. duas Legationes ad eum adornavit. Multa dona ad Principem ferebant legati, & inter alia pulveres de clavibus sepulchri S. Petri abrasos, atque etiam de catenis ejusdem. Ceterum contra Longobardos auxilium petebant, ea conditione, ut si id impetrarent, Papa ab Imperatore, utpote qui Italiam servare non posset, deficeret, & Civitatis Romanæ

Con-

Consulatum Carolo daret (*). Nunquam ante hunc diem ejusmodi Legatio Roma in Franciam advenerat. Porro duæ nobis supersunt Epistolæ a Gregorio III. Papa hac occasione scriptæ, quarum prima in hunc ferme sensum concinnata est. *Summo dolore cor nostrum obruitur, dum videmus, pauca quæ restabant, ad alendos pauperes & conservandum luminare, Luitprandi & Hildebrandi Longobardorum Regum vi fuisse ablata.* Scilicet cum Luitprandus in morbum incidisset, Longobardi putantes eum statim moriturum, Regem salutarunt Hildebrandum Nepotem ipsius, qui exinde cum eo regnavit. Tum in Epistola ulterius hæc leguntur: *Omnia S. Petri prædia destruxerunt, & pecus, quod aderat, abegerunt.*

Sæcul. VIII. A. C. 741.

ep. 5. Greg. to. 6. Conc. p. 1472.

Paul. VI. hist. c. 55.

Quamvis vero ad te confugerimus, inde tamen nullum solatium huc usque percepimus. Sed videmus, quod magis fidem adhibeas his Regibus falsa quam nobis vera afferentibus, hinc solicitus sum, ne ideo peccati reatum incurras. Quippe

(*) Si quis Romanæ Ecclesiæ statum politicum in hoc Sæculo attente consideret, facile perspiciet, Pontifices ut non amplius Græcis Imperatoribus in totum subditi erant, ita necdum pleno jure Principis Sæcularis potestatem Majestatemque fuisse consecutos.

Sæcul. VIII. A. C. 741.

hostes insultant nobis dicentes: Carolum in auxilium vocasti. Veniat ergo cum Francorum exercitu, & eripiat te de manibus nostris. Quantus doloris sensus cor nostrum lancinat, dum talia audire cogimur, & videmus potentissimos Ecclesiæ filios ne quidem se movere, ut Matrem suam spiritualem, Sanctam Dei Ecclesiam, & populum Christianum defendant? Carissime fili mi! Principi Apostolorum sine dubio vires non desunt, quibus domum suam populumque tueatur, & ulciscatur injurias ab Adversariis sibi illatas, sed experiri vult filiorum suorum amorem & fidelitatem. Ne credas Regum Longobardorum vocibus, si tibi dicant, Duces Spoletanum & Beneventanum sontes esse. Mentiuntur. Nulla alia horum Ducum, quam luere coguntur, culpa est, nisi quod anno superiore in nos armis invehi recusaverint, quod Reges fœdifragi fecerunt; nam in ceteris obedientiam præstare non detrectabant. Ut clarissime veritas pateat, mitte huc exploratæ fidei viros, qui suis oculis videant persecutionem, quam patimur, contemptum Ecclesiæ, Bona direpta, & peregrinorum lacrymas. Perorat denique Papa obtestans Carolum per Dei Judicium terribile, ne amicitiam Regis Longobardorum Principis Apostolorum Gratiæ præponat. Et in fine subjungit:

Harum

Harum litterarum lator Richardus fidelis servus tuus præsens tibi narrabit, quæ oculis vidit, & quæ deferenda ipsi mandavimus. Verisimile est, quod Papa illud nudis verbis referri jusserit, de quo in Epistola nulla mentio; nempe se ab Imperatore defecturum & Carolo subditum fore. Sæcul. VIII. A. C. 741.

Cum hæc Epistola nihil effeciisset, Gregorius Papa ad eundem Carolum alteram dedit, qua vehementissime instat, ut opem ferat. De Longobardis dicit: *Omnia luminaria ad honorem ipsius Principis Apostolorum, & quæ a vestris parentibus vel a vobis oblata sunt, ipsi abstulerunt. S. Petri Ecclesia rebus omnibus spoliata mæret.* Inde cognoscimus, Principes Francorum jam illo ævo Ecclesiæ Romanæ dona magnifica misisse. Item videmus, Papam non petiisse, ut Carolus Dominatum terrenum, Principatusve, sed tantum patrimonia & dominium utile ad alendos pauperes & luminaria conservanda Ecclesiæ Romanæ assereret. *ep. 6. p. 1474.*

§. XXVII.

Caroli Martelli Obitus.

Carolus Martellus ideo in Longobardos movere non potuerat, quod eorum auxilio ad repellendos Saracenos opus esset. Hi enim anno septingentesimo *Fredeg. continuat. c. 109. chr. Fontanell. c. 9.*

Sæcul. VIII. A.C. 741.

simo trigesimo septimo rursus in Franciam irrumpentes, & adverso Rhodano navigantes Avenionem ceperunt. At Carolus hac urbe iterum recepta, Narbonam etiam & reliquas Gothiæ Civitates profligatis Saracenis subjecit.

Id. c. 11. Coint. an. 739.

Rediere Arabes post biennium nempe anno septingentesimo trigesimo nono, atque urbibus Arelate, Avenione, Massilia, Arausione, Aquis, Apta Julia pluribusque aliis ejusdem Provinciæ occupatis Embrodunum quoque & Viennam vastarunt. Tunc igitur Carolus ad Luitprandum Longobardorum Regem Legatos misit, dona ferentes, & petentes auxilium. Is non cunctanter annuens cum toto exercitu iter ingressus est; quo comperto Saraceni fugientes Galliam pene totam purgarunt. Carolus recepta Avenione & integra Provincia usque Massiliam in Franciam reversus, Verbejæ ad Æsiam amnem morbo tentatur, ubi Legatis Summi Pontificis honorifice exceptis (postrema hæc fuit Legatio) dona Regia munificentia digna Romam misit, ea deferentibus Grimundo Abbate Corbejensi, & Sigiberto Monasterii S. Dionysii Anachoreta, qui deinde ibidem Abbas fuit. Carolo a Confessionibus fuerat Martinus Monachus ejusdem Abbatiæ Corbejensis Monachus, anno septingentesimo vigesimo sexto

Paul. VI. hist. c. 54.

Fred. Coint. c. 110.

Mabill. to. 3. Act. p. 462.

sexto fatis functus, qui vigesimo sexto Novembris inter Sanctos colitur. Sæcul. VIII. A.C. 741.

Carolus Regnum Francorum in duos filios suos partitus Carolomanno primogenito Austrasiam, Sueviam, postea Alemanniam dictam, & Thuringiam, Pipino Burgundiam, Neustriam & Provinciam dedit, & tandem Chierii ad Æsiam eodem anno septingentesimo quadragesimo primo obiit, postquam annos viginti sex Titulo Magistri Palatii seu Francorum Principis regnasset. Sepultus est in Ecclesia S. Dionysii prope Parisios, quam multis donis locupletaverat. (*)

§. XXVIII.

Gregorii III. obitus.

Gregorius III. Papa obiit eodem anno 741. Is multas Romanæ Civitatis Ecclesias reparavit ornavitque, & inter alias Ecclesiam S. Petri, quo concessas sibi ab Eutychio Exarcho sex Columnas onychinas duxit, easque statuit circa Presbyterium ab utroque latere ante Confessionem S. Petri, juxta sex alias antiquas, super quas posuit trabes, argento vestitas & simulacris ornatas, ubi ab uno latere expressæ sunt effigies Salva- *Anast.*

(*) Fabula damnationis Caroli cum corpore & anima legi potest in C. Baronio ad hunc annum.

Sæcul. VIII. A. C. 741.

Salvatoris & Apostolorum, & ab alio latere Dei Genitricis & Sanctarum Virginum. Super eas posuit lilia & *Phara* seu Candelabra argentea. In eadem Ecclesia S. Gregorius condidit Sacellum a latere, quo stabant viri, in honorem omnium Sanctorum, ubi præter cetera posuit vas pretiosum, coronam cum Cruce in Altare dependente, Imaginem Sanctæ Virginis, Patenam & Calicem, omnia ex auro, & gemmis ornata. In Ecclesia S. Mariæ Majoris in Oratorio ad Præsepe posuit Imaginem Virginis Salvatorem in sinu amplectentis, auro gemmisque fulgentem. In Ecclesia S. Andreæ simile simulacrum hujus S. Apostoli posuit. Aurum omne istarum oblationum, quarum pondus memoratur, septuaginta tres libras habet, argentum vero trecentas & septuaginta sex. Multorum autem, quæ dedit, pondus non legitur expressum. Aliquas Ecclesias reparans jussit eas imaginibus ornari, atque etiam atria ad S. Petrum, quæ pene collapsa erant.

Voluit, ut in Oratorio omnium Sanctorum, quod ad S. Petrum extruxit, trium Monasteriorum Monachi, qui huic Ecclesiæ serviebant, ad celebrandas Vigilias & Horas Canonicas venirent, ibique Presbyteri Hebdomadarii Sacris operarentur.

Præte-

Præterea S. Gregorius extruxit Monasterium prope Ecclesiam S. Chrysogoni, in quo Monachi diu noctuque Officium Divinum sicut ad S. Petrum peragerent, & Presbytero Titulari hujus Ecclesiæ non subessent. His Monachis fundos dedit & Servos, aliique pii Christiani Pontificis exemplum secuti iisdem magna beneficia contulerunt. Prope Palatium Lateranense erat vetus Monasterium S. Joanni Evangelistæ, S. Joanni Baptistæ & S. Pancratio Sacrum, tunc penitus desertum. Gregorius Papa huic fundos donavit, Bona creditoribus pignori data redditis pecuniis redemit, Abbatem constituit, Monachos induxit, qui in Ecclesia Salvatoris, pari ratione ac in Ecclesia S. Petri Laudes Divinas per diem & noctem decantarent. Idem Papa statuit, ut Subdiaconus Oblationarius ex Palatio Patriarchali Luminare & Oblationes, id est, panem & vinum, Ecclesiis Cemeteriis Urbis junctis suppeditaret, ut ibi in Festis earum propriis Missa celebraretur; Papa autem illum Presbyterum, quem Missam illam celebrare oportebat, nominabat. Hodieque Romæ in Ecclesia S. Pauli legitur vetus Inscriptio, quæ indicat, quantam Oblationem hic Papa ad celebrandas quotidie quinque Missas assignaverit. Gregorius tribus Ordinationibus mense Decembri

Sæcul. VIII. A. C. 741.

Gregor. III.

ap. Baron. an. 741. n. 16.

Sæcul. VIII. A. C. 741.

cembri Presbyteros viginti tres, Diaconos tres, & per diversa loca Episcopos octoginta creavit.

Cum S. Gregorio Papa sedente magna murorum pars fuisset collapsa, ipse sumptus ad reparandam ruinam suppeditavit. Non modicam quoque pecuniæ vim Trasimundo Duci Spoletano dedit, ad redimendum Castrum, quod sæpe facilitatem præbebat Romanum Ducatum invadendi. Hoc igitur Papa Ditioni Imperii adjecit. At Trasimundus fidem non servavit; promiserat enim, quatuor Civitates Romani Ducatus, quas fœdere cum ipso inito Rex Luitprandus ceperat, esse reddendas. Gregorius III. cum Sacram Sedem tenuisset annis decem, mensibus octo, & viginti diebus, decimo Novembris anno septingentesimo quadragesimo primo diem clausit, & vigesimo octavo illius mensis ad S. Petrum sepultus est. Gregorius Sanctis adscriptus est, vacavitque Sacra Sedes dies octo.

Mart. Rom. 28. *Nov.*

Anast. Ado. Chr. an. 741.

Ab eodem Gregorio III. Papa Villicarius Archiepiscopus Viennensis Pallium accepit; at Præsul hic videns Ecclesiam suam spoliatam & ad miserum statum redactam secessit in Monasterium Agaliense anno 740. ibique vitam finivit. Nempe Franci malis quorumdam consiliis impulsi Bona Ecclesiarum in usus profa-

profanos perverse convertebant. Lugdunensis quoque Ecclesia direpta, atque tam ista quam Viennensis per aliquot annos, scilicet Lugdunensis post obitum Fulcoaldi, & Viennensis discedente Vilicario Episcopum non habuit. Inprimis Carolus Martellus accusabatur, quod Bona sacra usurparet. Et legimus etiam, quod magnam partem redituum Ecclesiæ Antissiodorensi subtractam sex Principibus Bavaris distribuerit, Aidulfo Episcopo nihil relinquens nisi centum Mansuarios seu familias servitute adstrictas. Interim qui eum defendunt, necessitatem bellorum, quæ contra Saracenos, Frisones, & Saxones Deorum Cultores gessit, objiciunt.

Sæcul. VIII. A.C. 741.

c. 23. Chr. Antis. tom. I. Bibl. no. p. 430.

§. XXIX.

Leonis Obitus. Constantinus Copronymus Imperator.

Eodem anno, quo Carolus Martellus & Gregorius III. e vivis abierunt, etiam Leo Imperator, scilicet anno septingentesimo quadragesimo primo Indictione nona decimo octavo Junii naturæ concessit, postquam imperasset annis viginti quatuor, mensibus duobus, & diebus viginti quinque. Constantinus filius ejus, qui cum Patre annis viginti & uno regnaverat, tunc solus Imperii habenas capessivit, quas adhucdum

Theoph. an. 24. p. 346.

Sæcul. VIII. A. C. 741.

annis triginta quatuor obtinuit. Eum ſui ludificantes cognomento Copronymum dixerunt ob illud, quod cum baptizaretur, acciderat. Caballinum quoque appellabant, quia corpus fimo & urina equina oblinire amabat; ſive ſuperſtitio, ſive ſingularis appetitus fuit. Ceterum hic Conſtantinus vir erat ruſticitate, immanitate, crudelitate, & impudicitia infamis, atque patris exemplo imaginum hoſtis. Imo non Sanctos modo, ſed ipſum JEſum Chriſtum contemnere, & magicis artibus addictus eſſe ferebatur.

Theoph. ibid.

Cum igitur odio eſſet omnibus, ſub initia Regni Artabaſtus, qui Imperatoris ſororem duxerat, ſeditionem movit. Erat Artabaſtus Curopalates & obſequiorum Comes, quem virum Orthodoxum omnes ſciebant. Conſtantinum in Aſiam advenientem anno Regni ſui ſecundo Indictione decima, Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, ut bellum inferret Arabibus, Artabaſtus, qui ibidem jam ante verſabatur, primo prœlio victor compulit ad fugam; & ille Amorium in Phrygia ſe recepit. Artabaſtus interim Conſtantinopolim reverſus Conſtantinopolitanis fidem fecit, Conſtantinum vita fuiſſe exutum; quod nuncium populi & Patriarcha accipientes maximam profeſſi ſunt lætitiam. Illico in

Theoph. an. 1. p. 347. 348.

Con-

Constantinum Anathema dictum. Virum nefandum & impium appellabant, cujus cadaver esset refodiendum; Artabastum Imperatorem proclamant. Anastasius Patriarcha veram Crucem manibus tenens coram populo per eum, qui in Cruce pependerat, juramento affirmavit, auditum fuisse a se Constantinum sibi dicentem: *Ne existimes, Filium quem genuit Maria, quique dicitur Christus, Filium Dei esse, sed purum hominem. Maria autem eum peperit, sicut me peperit Maria mater mea.* Horrendis vocibus populus valde commotus exclamavit: Refodiatur. Artabastus vero in omnibus Civitatibus sibi subjectis Sacrarum Imaginum cultum restituit. Sæcul. VIII. A. C. 741.

§. XXX.

Patriarchæ Antiocheni & Alexandrini.

Arabes Musulmanni, cum Romani dividerentur, occasione usi multos in captivitatem abstraxerunt, & Icham Califa, qui adhucdum regnabat, anno superiore, Leonis ultimo, omnes Christianos bello captos in omnibus imperii sui urbibus interfici jussit. Hos inter numeratur Eustathius Marini Patricii filius, cujus in Fide constantia cum multis tormentis frangi non potuisset, tandem Carris in Mesopotamia Martyrii palmam ad- *Theoph. an. 2 p. 349.*

Sæcul. VIII. A. C. 741.

eptus est, ejusdemque Reliquiæ ibidem miraculis claruere. (*) Plures alii in illa persecutione passi sunt; at nihilominus idem Icham Califa, cum ipsi Monachus quidam Syrus nomine Stephanus vir rusticus sed pius factus esset carissimus, ultro Christianis Orientis licentiam obtulit, hunc, si vellent, Patriarcham eligendi. Crediderunt Christiani cœlesti instinctu id obvenire, nam ab annis quadraginta Sedes Antiochena vacabat, quod Arabes electionem prohibuissent. Ergo Catholici Stephanum ordinarunt. Exinde Patriarchæ Antiocheni nemine obstante electi fuere. Eodem tempore Alexandriæ Patriarcha Melchita erat Cosmus anno 7. Ichami salutis 730. ordinatus, vir simplex, literas nec legere nec scribere doctus, cujus ars erat acus cudere. Is Ichamum Damasci adiit, & quorumdam virorum doctorum auxilio obtinuit, ut Ecclesiæ, quas Jacobitæ occupaverant, sibi redderentur, attulitque Epistolas, in quibus mandata ad Præfectum Ægypti continebantur. Imo in possessionem Ecclesiæ Patriarchalis, dictæ Cæsarianæ, ex qua Melchita

Sup. Lib. XXXVIII. §. 23.

(*) Der Protestant hat in diesem Orte ein sollen hineingeflicket, welches im Fleury nicht ist. Wo seine *Reliquien* Wunderwerke verrichtet haben sollen.

chitæ annis nonaginta septem exclusi fuerant, nempe ab anno 640. & capta a Musulmannis Alexandria, usque ad annum 737. rediit. Melchitæ Alexandrini in Ecclesia S. Sabæ orare solebant. Nam Jacobitæ ceteras omnes Ecclesias Civitatis Alexandrinæ & Ægypti tenebant. Defuncto in aliqua Civitate Episcopo, Jacobitarum Patriarcha alium in ejus locum ordinabat. Imo Nubiæ quoque populis Episcopos dabat, qui exinde Jacobitarum Sectæ juncti sunt. Melchitis una tantum erat Ecclesia, in loco qui *Casrit-Sama* dicebatur, & Episcopo mortuo ad Archiepiscopum Tyriensem mittebant, qui alium sibi ordinari peterent. Illo anno, quo Icham excessit, nempe 743., Cosmus abjecta Monothelitarum Hæresi, quam Melchitæ Alexandrini a Cyri Patriarchæ temporibus secuti fuerant, cum populo suo ad Fidem orthodoxam rediit.

Sæcul. VIII. A. C. 741.

Theoph. ann. 2. *p.* 349.

Patriarcha Jacobita Alexandrinus, imperante Califa Ichamo, fuit Cosmus*, qui anno Hegiræ 108. JEsu Christi 726. Alexandro successit; post menses quindecim electus est Theodorus, qui Sedem annis undecim tenuit. Tandem anno Hegiræ 120. Diocletiani 460. JEsu Christi 738. Jacobitæ Alexandrini Patriarcham elegerunt *Chail* seu Michaelem, qui Sedem viginti tribus annis tenuit. Antiochiæ

Chr. Orient. pag. 106. *Emac. p.* 82.

* alius a Cosmo Melchita.

Sæcul VIII. A C. 741.

Athanasio Patriarcha Jacobita defuncto, Joannes anno Ichami primo successit. Et quamvis ipsius Episcopi primum subesse detrectarent, postea tamen reconciliatis in illa Sede præfuit usque ad Regnum Abdallæ *Saffah*, qui anno septingentesimo quadragesimo nono imperare cœpit. Jerosolymæ postquam Theodorus Patriarcha Melchita Sedem tenuisset annis triginta quinque, successit ei Elias anno Ichami decimo septimo, JEsu Christi septingentesimo quadragesimo quarto, & annis triginta quinque sedit.

§. XXXI.

Martyres in Oriente.

Elmach. c. 7. p. 81.

Califa Icham e vita migravit anno Hegiræ centesimo vigesimo quinto, JEsu Christi 743. postquam ultra annos novemdecim regnasset, quo defuncto Familia *Ommia* brevi temporis spatio extincta est, septem enim non plus annis superstes fuit, atque intra paucu-

c. 8.

los hos annos Califæ quatuor numerantur. Primus eorum Owalidus II. Filius Yezidi II. Ichami nepos cum quindecim

Theoph. an. 2. p. 349.

mensibus imperasset, ob ingluviem & animum in Mahometem impium fasces ponere jussus est. Nihilominus etiam brevi hoc tempore Christianos persequi vacavit, quippe Petrum Metropolitam Damasci, ubi etiam residebat, quod aper-

re

te impietatem Arabum & Manichæorum argueret, abscissa lingua proscripsit in Arabiam felicem, ubi vir Sanctus occubuit. Sæcul. VIII. A. C. 741.

Petrus quoque Majumensis eodem tempore glorioſi Martyrii occaſionem quæſivit. Cum morbo decumberet, vocatis ad ſe Arabum Magiſtratibus amicis ſuis, quippe ipſe tributa publica redimebat, dixit: *Deum precor, ut veſtram humanitatem, qua me ægrotantem inviſitis, remuneretur. Sed volo, vos teſtes eſſe mei teſtamenti, quod hujus eſt argumenti: quicunque non credit in Patrem, in Filium, & in Spiritum Sanctum, Trinitatem conſubſtantialem, is cæcus eſt ſecundum animam, & ſupplicio æterno dignus, ſicut Mahomet pſeudopropheta veſter & Antichriſti præcurſor. Ergo ipſius fabulas rejicite! obteſtor vos in hac hora, atque Cælum & terram in teſtem invoco.* Plura hujus modi ingerentem, quamvis offenderentur his ſermonibus, patienter ferre ſtatuerunt, ea ratione, qua vi morbi delirantes toleramus. Ille vero poſtquam ex morbo convaluit, cœpit acerbius Mahometi, libro ejus fabulis refertо, & omnibus ei fidem habentibus anathema dicere. Itaque capite plexus eſt. Scripſit Elogium Martyris S. Joannes Damaſcenus, eumque Eccleſia vigeſimo primo Februarii inter Martyres honorat; *Martyr. R.* 21. *Febr.* 4. *Octobr.*

Sæcul. VIII. A C. 741. Petrum vero Damascenum quarto Octobris.

§. XXXII.

Alphonsus Catholicus.

Sebast. Salmant. p. 47. In Hispania Christiani vires sensim recipiebant. Pelagio Rege æra 775. nempe anno septingentesimo trigesimo septimo fatis functo, qui non plus duobus annis regnavit, & Successorem habuit Alphonsum Ermesindæ Sororis suæ virum Petri Ducis Cantabrorum filium, genus a Rege Reccaredo ducentem, Rex Alphonsus cognomento Catholicus Arabes, quorum acciſæ vires erant, cladibus in Francia acceptis, aliquoties prœlio victos multis urbibus exuit. Has numero triginta & unam fuisse referunt, quarum præcipuæ erant Lucus Augusti, Tude, Portugallia, Bracara Lusitaniæ Metropolis, Salamanca, Sertina, Abula, Segobia, Asturiga, Legio. Arabes istarum urbium incolas internecione delevit, & Christianis in Asturiam secum abductis, eas desertas reliquit. In quasdam vero alias novos incolas induxit, quarum ex numero fuere Burgi. Lucum quoque in Gallæcia ad Minium amnem civibus replevit, deditque Episcopum nomine Odoarium, qui postquam Ecclesiam & urbem restauravit, in adjacentes etiam agros cultores immisit. Rex Alphonsus multas

Diplom. an. 744. ep. moral. l. c.

tas Ecclesias vel a fundamentis erexit, vel reparavit, cumque annis octodecim felicissime regnasset mortuus est an. 757. æra 795. filium suum Froilam Successorem relinquens. Alphonsus & Conjux ejus Ermesinda in Monasterio S. Mariæ haud procul *Cangas* sepulti sunt. Sæcul. VIII. A. C. 741.

Monasteria aliqua in Hispania etiam sub Arabum Dominatu conservabantur. Id patet, ut alia prætereamus, ex litteris tutelaribus, quas duo illius nationis Belliduces civibus Conimbricensibus vicinisque colonis concesserunt, æra septingentesima septuagesima secunda, seu anno septingentesimo trigesimo quarto datas. In his litteris præcipitur, ut tributum, quod Arabes dabant, Christiani duplicarent, nempe quælibet Ecclesia penderet libras argenti viginti quinque, Monasteria quinquaginta, & Ecclesiæ Cathedrales centum. Christiani Comitem habeant Conimbricæ, & alium suæ nationis Goadathæ seu Aguedæ, qui petentibus jus dicant; sed reos morte punire non possint, nisi *Alcaide* seu *Alguazil* Arabs mandaverit, eorumque sententiam confirmaverit. In exiguis vicis Christiani Judices constituant. Si Christianus Arabem occiderit aut injuriam fecerit, ab *Alguazil* seu *Alcaide* secundum legem Arabum judicetur. Si Christianus virginem Arabem ludificatus fuerit, *Sandoval. hist. p. 87.*

Sæcul. VIII. A. C. 741.

Muſulmannus fiat, & eam ducat; ſi nolit, interficiatur. Si nuptæ illuſerit, occidatur. Si quis Chriſtianus intret *Moſcheam*, ſi *Allach*, id eſt, Deo, ſi Mahometi maledicat, Muſulmannus fiat, aut interficiatur. Epiſcopi Chriſtiani Regibus Muſulmannorum non maledicant, indicta pœna capitis. Presbyteri non niſi foribus clauſis Miſſas celebrent, indicta decem librarum argenti mulcta. Monaſteriis, ſi dictas quinquaginta libras ſolverint, pax & quies præſtetur. *Monaſterium Lorbanenſe nihil pendat*, dicit litterarum tutelarium Auctor, *quia Monachi iſti mihi ad venandum exeunti bona fide ferarum latibula indicant, & venientes ad ſe Muſulmannos humane excipiunt. Ideo Bona ſua in pace poſſideant, Conimbricam, ut lubet, commeent, a penſione quæ datur emptionis vel venditionis cauſa, exempti ſint, ea conditione, ne ſine noſtro conſenſu ex Ditione noſtra exeant.* Monaſterium Lorbanenſe hodieque ſtat, & a Monachis Ordinis Ciſtercienſis habitatur. Ex his litteris Lectores conjiciant, quæ Chriſtianorum in reliquis Hiſpaniæ partibus conditio ſub poteſtate Arabum fuerit.

§. XXXIII.

Zacharias Papa.

Romæ Gregorio III. Papæ ſucceſſit Zacharias

charias natione Græcus, (*) Polycronii Filius, vigesimo octavo Novembris anno septingentesimo quadragesimo primo ordinatus, & tenuit Sedem Sacram annis decem, tribus mensibus, & diebus tredecim, vir mitissimus atque suavis, neque vindictam secundum meritum tribuens; quippe eos, qui se antequam ad Pontificatus apicem eveheretur, persecuti fuerant, concessis honoribus promovit & facultatibus ditavit. Clerum populumque Romanum amavit usque adeo, ut in illo tumultu, quo Italia Ducibus Spoleti & Beneventi in Regem Luitprandum seditionem moventibus concutiebatur, vitæ periculum lubens subierit. Sæcul. VIII. A. C. 741. *Anast.*

Zacharias missis ad Regem Luitprandum Legatis, cunctantem suis exhortationibus tandem permovit, ut quatuor urbes de Ducatu Romano captas se redditurum promitteret. Ceterum cum Rex anno septingentesimo quadragesimo secundo Indictione decima arma arripuisset, Trasimundum Ducem Spoletanum occupaturus, impellente Papa Romani copias suas pro Rege adversus Ducem, qui se promisso non exsolverat, dimicaturas miserunt. Itaque Trasimundus a Romanis *Sup. §. 24.*

(*) Forte ex Calabria, quæ olim Magna Græcia dicta. Ita non inepte arguit Palatius, & Recentiores.

Sæcul. VIII. A. C. 742.

nis proditus dedit se Regi, qui rebellem coegit, ut se ordine Clericali initiari pateretur. Exinde Rege promisso suo stare & quatuor urbes reddere differente, & tergiversante, Zacharias Roma egressus comitantibus Episcopis & Clericis Interamnii, vulgo *Terni* duodecim millibus a Spoleto dissito eundem adiit. Rex Pontificem honorifice excepit, atque ad Ecclesiam S. Valentini Episcopi Interamnensis & Martyris, qui quarto Februarii honoratur, deduxit. Ibi igitur Papa Regem vehementer hortari, ut sanguini humano parceret & pacem mortalibus daret, impetravitque, ut quatuor urbes restitueret. Jussit Rex, ut litteræ donationis conscriberentur, reddiditque S. Petro Patrimonium Sabinense, ab annis ferme triginta ablatum, item Patrimonia Narniense, Auximense Anconitanum, & quædam alia, pacemque in annos viginti duraturam cum Ducatu Romano sancivit. Captivos quoque, quos ex diversis Romanorum Provinciis habebat, omnes redire ad sua permisit. Duæ igitur erant pacti hujus distinctæ partes, scilicet Bonum publicum Ducatus Romani semper Imperio subjecti, & Bonum privatum Ecclesiæ Romanæ, quantum ad ejusdem patrimonia spectabat.

Paul. Diac. Vl. hist. c. 57.

Martyr. R. 14. Febr.

Die altero, qui erat Dominicus, Papa a Rege rogatus Episcopum in Eccle-

sia

sia S. Valentini ordinavit, atque Ecclesiasticas Cæremonias tanto Pietatis fervore peregit, ut multi Longobardorum Regem comitantium, cum Pontificem preces concipere audirent, ad lacrymas moverentur. Finita Missa Papa Regem invitavit ad prandium, quod tam opiparum exhibuit, ut Rex fateretur, nunquam se lautius fuisse habitum. Die Lunæ Rex Pontifici valedicens, eidem Agiprandum Ducem Elusinum Nepotem suum & ex Proceribus tres alios dedit, qui eum ad urbes reddendas comitarentur, & quod pactum erat, perficerent. Erant autem urbes Ameria, Horta, Polymartium, & Blera, quibus receptis Papa Romam quasi triumphans reversus collecto populo egit Deo Gratias, Supplicatione solemni ex Ecclesia Dominæ Nostræ ad Martyres, id est, *della Rotonda*, usque ad Basilicam S. Petri indicta. Sæcul. VIII. A. C. 742.

§. XXXIV.

Novi Episcopatus in Germania.

Sanctus Bonifacius tunc in Germania agens, comperto, quod Gregorius Papa vita functus esset, & electus Zacharias, data epistola suam subjectionem professus est, & significavit, tres in Germania Episcopales Cathedras fuisse erectas, nempe Herbipoli in Franconia seu Francia Orientali, Buraburgi in Hassia, & *to.* 6. *Conc. p.* 1494. *ep. Bonif.* 132. *vit. per Oth. lib.* 2.

Sæcul. VIII. A. C. 742.

& Erfordiæ in Thuringia. Primus Episcopus Herbipolenſis fuit S. Burchardus in Anglia natus, quem S. Bonifacius in Germaniam vocatum anno ſeptingenteſimo quadrageſimo primo Epiſcopum ordinavit. Tenuit hanc Sedem annis novem, atque ejus memoria ſecundo Februarii in Eccleſia honoratur. Primus Epiſcopus Buraburgi fuit Vitta alio nomine Albuinus, id eſt, Albus. Urbs Buraburgenſis olim haud procul Fridelaria ſita hodie nulla eſt, & Erfordia nullum habuit Epiſcopum niſi primum nomine Adelarium. Itaque ex his tribus Eccleſiis ſola Herbipolenſis ætatem tulit. S. Bonifacius a Papa petebat, ut novos Episcopatus confirmaret, & ſic in futura tempora cujuslibet Eccleſiæ limites definirentur.

Act. SS. Ben. to. 3. p. 699.

Coint. an. 742.

c. 2. Tum S. Bonifacius in hac epiſtola ſubjungit: *Id quoque ſcire te velim, Carolomannum Francorum Ducem me rogaſſe; ut Concilium congregem in illa Regni parte, quæ ſibi paret, promiſitque mihi, ſe operam daturum, ut Diſciplina Eccleſiaſtica reſtituatur. Quippe, ut ſeniores affirmant, jam plures quam octoginta anni efluxerunt, ex quo Franci ultima celebrarunt Concilia, & Archiepiſcopos habuerunt; jamque pleræque Sedes Epiſcopales Laicis avaris, vel Clericis libidinoſis, vel publicis quæſtoribus tanquam bona profana*

Sæcul. VIII. A. C. 742.

na traditæ sunt. Si hoc negotium Duce rogante mihi suscipiendum est, inprimis litteras tuas & Canones in manibus habeam oportet. Deinde Papam consulit de diversis Disciplinæ Articulis in quinque Quæstiones principales divisis, & tandem de quibusdam munusculis, quæ Pontifici mittit, mentionem facit. Si octoginta anni præteriti numerentur, in quibus Prælatorum in Francia regnasset ignavia, ad annum sexcentesimum sexagesimum redeundum foret, & tempora filiorum Clodovei II. qui inter Reges inertes primi habentur. Attamen ad universam Franciam non extendenda esse rerum Ecclesiasticarum gnari existimant, quæ S. Bonifacius de cessatione Conciliorum & Cathedrarum Metropoliticarum vacantia dicit. Quippe S. Ansbertus Rothomagi anno 688. Concilium celebravit, & distincte novimus, quinam viri, S. Bonifacii hæc scribentis ætate, Sedes Rothomagensem, Turonensem, Senonensem, Lugdunensem & quasdam alias Metropoliticas tenuerint. Sed potius credunt, has querelas accipi debere de solis duabus Provinciis Germanicis ultra Rhenum positis, quæ Archiepiscopum non habuerant a temporibus Dagoberti, & S. Amandi Præsulis, secundi Episcopi Wormatiensis, qui ambarum Provinciarum Metropolita erat.

Sup. l. XLI. §. 3. Coint. an. 688. n. 7. Coint. an. 742. n. 10.

id. an. 623. n. 5. 627. n. 10.

§. XXXV.

Sæcul. VIII. A. C. 742.

§. XXXV.

Zachariæ Papæ Epistolæ.

Zacharias Papa data ad S. Bonifacium Responsoria novos Episcopatus erectos fuisse probat, monet tamen oportere meminisse Canonum prohibentium, ne in locis exiguis Episcopi constituantur. Et ex hac forte causa Episcopatus Buraburgensis & Erfordiensis extincti sunt. Jubet, ut, quod Carolomannus cupit, Synodus celebretur, *non enim alia via melius*, inquit, *quid sit Sacerdotium, & quid fiat ab eis, qui se Sacerdotes nominant, cognoscitur.* Deinde ad Quæstiones Bonifacii respondens, præcipit, ne ullatenus Sacerdotio fungi sinantur Episcopi Presbyteri aut Diaconi, qui adulterio vel fornicatione involuti fuerint, qui plures uxores habuerint, qui sanguinem Christianorum aut paganorum fuderint, aut quocunque alio modo contra Canones peccaverint.

Ep. 1. *to.* 6. *Conc.* 1498.

c. 2.

c. 3.

Ceterum Gregorius III. Papa licentiam Bonifacio dederat, quemdam Presbyterum sibi in Successorem nominandi. Accidit deinde, ut hujus Presbyteri frater patruum Ducis Francorum occideret, unde secundum nationum barbararum legem plurimæ cædes oriebantur, quia omnibus occisi propinquis interfectorem ad necem persequendi potestas fiebat. Cum igitur Bonifacius hac super re Zachariam

Papam

Papam consuluisset, respondit: *nulla ratione fieri patimur, ut te vivente in tuo loco eligatur Episcopus, quia id contra omnem Ecclesiasticam Regulam esse monstratur. Sed ora Deum, ut tibi dignum Successorem substituat, & illa hora, qua te ex hac vita migraturum sciveris, Episcopum designa præsentibus cunctis, qui deinde huc veniat ordinandus. Idque tibi in hoc negotio, quod alias nemini, concedimus.* Sæcul. VIII. A. C. 742.

Quidam vir laicus, cujus magna erat Auctoritas, venit ad S. Bonifacium & dixit, licentiam sibi a Gregorio Papa datam ducendi avunculi sui viduam, aliunde etiam tertio gradu sibi cognatam, quæ præterea, antequam nuberet, castitatem voverat, & velum monasticum gestaverat. S. Bonifacius dicebat: *in patria mea ejusmodi nuptiæ incestus nefarius haberentur ab omnibus; at hi populi rudes & barbari Allemanni, Bavari, Franci, si aliquid, quod nos prohibemus, Romæ tolerari vident, contendunt, id sibi licere, & scandalum a nobis accipiunt.* Ex his verbis dispicimus, quam necessarium fuerit, ut S. Bonifacius his Barbaris nomen & Auctoritatem Papæ objiceret. Zacharias ad hunc Articulum respondet in hunc modum: *absit, ut credamus, Antecessorem nostrum hanc licentiam dedisse. Nullum Decretum a Sacra Sede* §. 5.

Sæcul. VIII. A. C. 742.

proficiscitur, quod Sanctis Canonibus adversetur.

c. 6.

Quod vero spectat ad superstitiones primi diei Januarii, scilicet, auguria, phylacteria, incantationes, & alias ejusmodi paganorum consuetudines, quas dicit Romæ prope Ecclesiam S. Petri tolerari, scito, nos eas ex sententia omnium Christianorum rebus detestabilibus accensere. Et quia per instigationem diaboli iterum pullulabant, a die, qua jussit nos Dominus Apostoli vicem gerere, ea illico amputavimus, ducti exemplo Gregorii Papæ Antecessoris nostri, edita Constitutione, cujus exemplar tibi mittimus.

Zachariæ Papæ Epistolæ.

Dantur, dicebat S. Bonifacius, *Episcopi & Presbyteri ex gente Francorum adulteri & fornicatores, quod proles post ordinationem ipsorum edita manifestat. Hi Romæ fuerunt & audent affirmare, licentiam sibi a Papa datam officiis suis fungendi. Nos econtra iis denunciavimus, rem esse inauditam, quod aliquando Sacra Sedes quidquam contra Canones decrevisset.*

c. 7.

Zacharias Papa respondet: *Nulla ratione credat tua Sancta Fraternitas, his licentiam, quam dicunt, esse concessam, sed Canonicam in eis exerce vindictam. Non enim aliud te agere volumus, præterquam quæ Sacri præcipiunt Canones, vel quæ ab ista Sede Apostolica edoctus es.*

Nec

Nec aliud nobis convenit prædicare, quam quæ a SS. Patribus accepimus. Sæcul. VIII. A. C. 742.

Si vero novi aliquid acciderit, non pigeat te id nobis insinuare, & tibi, quæ ad emendationem novæ plebis esse possunt, mature respondebimus. Cognoscat enim tua Sancta Fraternitas, ita Dilectionem tuam nos habere in nostris præcordiis, ut te præsentem conspicere quotidie desideremus. De cetero confortare in Domino & labora in opere, ad quod Divina te voluit vocare Clementia. Magna quippe te spes remunerationis expectat; & nos, licet peccatores existamus, tamen Dei nostri non cessamus immensam exorare Clementiam, ut quod cæpit in te, perficiat opus bonum, & Princeps Apostolorum Petrus cooperetur tibi. Hæc epistola primo die Aprilis a coronatione Constantini anno vigesimo quarto, Imperii ejus post defunctum patrem secundo, Indictione undecima data est. Unde cognoscimus fuisse annum Salutis septingentesimum quadragesimum tertium.

Eodem tempore scripsit Papa ad Episcopos tres nuper ordinatos. Una erat epistola ad omnes tres, & illam, quæ ad S. Burchardum Wirceburgensem directa est, habemus. In ea novæ Sedes confirmantur, & prohibetur, ne quis alius præter Papæ Vicarium ibi Episcopos ordinet. Scripsit etiam Pontifex epistolam

V. Bas. an. 742. n. 7. Coint. an. eod. n. 2. an. 743. n. 31. 32. Zach. ep. 11. to. 6. Conc. p. 1501.

Sæcul. VIII. A.C 742.

lam ad Principem Carolomannum, quæ non amplius extat.

§. XXXVI.

Concilia in Germania.

Carolomannus ut exequeretur, quod promiserat, Synodum in Germania celebrari jussit; at locus determinatus non scitur. Appositus est dies vigesimus primus Aprilis anno septingentesimo quadragesimo secundo, & Carolomannus proloquitur; se ex consilio Servorum Dei & Aulæ suæ Procerum, Regni sui Episcopos convocasse, nimirum Bonifacium Archiepiscopum, Episcopos Burchardum, Regenfridum, Vittam, Willibaldum, Dadanum & Eddanum cum Presbyteris suis, ut se consilio adjuvarent, qua ratione Lex Dei & Disciplina Ecclesiastica sub præcedentibus Principibus collapsa restitui possent, & caveri, ne populus fidelis a Pseudopresbyteris, sicut superiore tempore factum, decipiatur. Reginfridus seu Rainfredus erat Episcopus Colonienſis. Willibaldus ille est, quem Roma missum S. Bonifacius in autumno anni superioris primum Episcopum Eichstädtensem ordinaverat, in qua Consecratione ei adstiterant S. Burchardus Herbipolensis & Vizo Episcopus Augustanus. Inter Episcopos Concilii Germaniæ Vitta erat novus Episcopus Buraburgensis, Dadanus Episcopus

To. 6. Conc. p. 1534. vit. Bon. per Othl. lib. 1. c. 34.

Carolom. c. 1. tom. p. 145.

Vita Vileb. c. 2. to. 4. Act. SS. Ben. p. 381.

copus Ultrajectenſis, qui Sancto Willebrordo, anno ſeptingenteſimo trigeſimo nono defuncto ſeptimo Novembris, quo die Eccleſia ejus memoriam honorat, ſucceſſerat; Eddanus vero erat Epiſcopus Argentoratenſis. Sæcul. VIII. A. C. 742. *vit to. 3. Act. SS. Ben. n. 34. 161. Mabill. Martyr. R. 7. Nov.*

In hoc Concilio ſexdecim Canones legimus conditos, quos alii ad ſeptem reducunt. In Canone primo Epiſcopi a Bonifacio Archiepiſcopo, qui Sancti Petri Miſſus dicitur, conſtituti confirmantur. Statuitur, ut ſingulis annis Synodus congregetur, in quo præſente Principe Religio Chriſtiana emendetur. Pecuniæ Eccleſiis ablatæ reſtituantur. Presbyteri vel Clerici libidinis crimine notati bonis Eccleſiæ non fruantur, ſed gradu ſuo dejiciantur, & ad pœnitentiam cogantur. Clerici arma non geſtent, non dimicent, in hoſtem cum exercitu non pergant, niſi illi tantum, qui ad celebranda Miſſarum Solemnia, & portandas Sanctorum Reliquias electi fuerint. Nempe unus vel duo Epiſcopi cum Capellanis & Presbyteris ſuis. Hic primo vox Capellani occurrit. Concilium porro dicit: *Unusquisque Præfectus ſecum habeat unum Presbyterum, qui confitentes peccata ſua judicent, & pœnitentiam indicent. Omnibus Dei Servis, id eſt, Clericis, interdicimus venationes, & Silvaticas vagationes cum canibus. Nec acci-* Canones.

Sæcul. VIII. A. C. 742.

pitres aut falcones habeant. Unusquisque Presbyter subjectus sit Episcopo Diœcesano suo, & singulis annis in Quadragesima rationem & ordinem Ministerii sui, sive de Baptismo sive de Fide Catholica sive de precibus & ordine Missarum eidem Episcopo rationem reddat. Quandocunque Episcopus secundum jus Canonicum circumierit ad confirmandos populos, Presbyter cum populo ad suscipiendum Episcopum semper præsto sit. In Cœna Domini novum Chrisma ab Episcopo accipiat. Episcopi & Presbyteri ignoti, undecunque venerint, ad Ministerium Ecclesiasticum ante approbationem Episcopi in Synodo non admittantur. Unusquisque Episcopus adjuvante Comite solicitudinem gerat, ut populus Dei omnes Superstitiones paganorum respuat & abjiciat; nimirum profana mortuorum Sacrificia, Sortilegos, Divinos, Phylacteria, Auguria, incantationes, victimas, quas stulti homines juxta Ecclesias ritu paganorum immolant sub nomine Martyrum & Confessorum; item illos sacrilegos ignes, quos NIEDFYR *vocant, omnesque ejusmodi observationes. Quisquis Servorum Dei, vel Ancillarum Christi post hanc Synodum in crimen fornicationis lapsus fuerit, in carcere pœnitentiam agat in pane & aqua. Et si ordinatus Presbyter sit, duos annos in carcere permaneat, antea flagellis cruentatus.*

V. Conc. Suess. c. 5.

Episco-

Episcopus quoque, si visum fuerit, pœnam augeat. Si autem Clericus vel Monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verberationem in carcerem mittatur, & uno anno pœnitentiam agat. Similiter & Nonnæ velatæ eadem pœnitentia contineantur, & radantur omnes capilli capitis earum. Ergo necdum erat consuetudo capillos earum radendi, cum velarentur. *Presbyteri vel Diaconi non sagis laicorum more sed casulis utantur.* Ergo sagum adhucdum vestitus vulgaris Clericorum erat. *Monachi & Ancillæ Dei Regulam S. Benedicti observent.* Hic Canon primus est, quod sciam, qui hanc Regulam universalem reddidit. Verumtamen consuetudo eandem in pleraque Monasteria jam prius induxerat. Sæcul. VIII. A. C. 742.

Cum ad Zachariam Papam S. Bonifacius datis epistolis, quæ in hoc Concilio acta essent, detulisset, scripsit Pontifex epistolam universalem ad omnes Francos directam, qua Concilium confirmat, & Deo gratias agit, quod falsos Presbyteros & Schismaticos homicidas & fornicarios a se expulerint. Et subjungitur: *Qualis Victoria sperari potest, ubi Sacerdotes una hora Dominica pertractant Mysteria, & Christianis Corpus Domini porrigunt: deinde eosdem Christianos, quos pascere deberent, aut Paganos,*

Sæcul. VIII. A.C. 742.

quibus Christum prædicare oporteret, propriis sacrilegisque manibus necant? at si mundos & castos ab omni fornicatione & homicidio liberos habueritis Sacerdotes, & Bonifacio Fratri nostro, qui nostra vice apud vos prædicat, in omnibus obedientes extiteritis, corruent ante faciem vestram omnes paganæ gentes, & omnium Victores insuper vitam æternam possidebitis.

§. XXXVII.

Epistola S. Bonifacii ad Cutbertum.

Bonif. epist. 105. tom. 6. Conc. pag. 1565.

Sub idem tempus cum quidam Diaconus nomine Cunebertus S. Bonifacio litteras & dona a Cutberto Archiepiscopo Cantuariensi attulisset, in Responsoria de celebrato Concilio certiorem facit. *Quod non ideo tibi communio*, ait, *quasi Canones a rusticitate nostra profecti tibi prodesse possent, sed ut, si quid erratum, corrigas.* Tum Decreta Concilii summatim refert, & addit sequentia, quæ in Canonibus ipsis non leguntur: *Professi sumus, nos, quoad spiritus artus reget, Fidem Catholicam servaturos, promisimus concordiam & Subjectionem Ecclesiæ Romanæ, atque Metropolitas Pallium a Sacra Sede petituros. Huic statuto omnes subscripsimus, & Romam misimus, quod etiam Papæ & Clericis placuit.*

Decre-

Decrevimus, ut singulis annis Canones in Concilio prælegantur, Metropolita in aliorum Episcoporum vitam inspiciat, & inquirat, an populi sibi commissi salutem curent. Idem Episcopos suos moneat, ut post Synodum Provincialem Presbyteros & Abbates suæ Diœcesis congregent, eosque statuta observare jubeant. Unusquisque Episcopus ea, quæ ipse emendare in sua Diœcesi non valet, ad Synodum referat, pari ratione ac ego vi præstiti juramenti teneor ad Sacram Sedem deferre abusus, quos in Provincia mea tollere solus non possum. Tum Bonifacius Cutbertum tanquam Archiepiscopum exhortatur, ut muneri suo fideliter incumbat, & queritur, ista ætate Bonis Pastoribus multiplicia impedimenta obstare. *Pugnemus*, inquit, *pro Domino, ærumnæ enim & angustiæ nobis sunt undique. Moriamur, si Deus velit, pro Sanctis Patrum nostrorum legibus, ut cum ipsis Hæreditatem æternam mereamur. Non simus canes muti, absit! aut Custodes dormientes, aut mercenarii, qui videntes lupum fugiunt. Sed simus Pastores soliciti & vigilantes, prædicantes veritatem, magnis & pusillis, divitibus & pauperibus, omni sexui, omni conditioni, quamdiu Deus nobis vires dederit, prædicemus opportune, importune, & ea denique ratione, quam S. Gregorius in suo Libro Pastoris commendat.*

Sæcul. VIII. A. C. 742.

Sæcul. VIII. A. C. 742.

Ceterum tibi scribens dissimulare illud nequeo, quod in his Regionibus omnibus Dei Servis displicet. Nempe Ecclesiam vestram honestatis & pudoris opinionem amisisse; cui malo remedium facile afferrent Synodus vestra & Principes vestri, si Nonnis & mulieribus frequentissimas ad Urbem profectiones interdicerent. Pleræque enim illarum integritatis suæ jacturam faciunt, & paucæ sunt in Longobardia, in Francia & Gallia Civitates, in quibus aliquot fæminas ex Gente Anglorum prostitutas reperire non sit, non sine totius Ecclesiæ scandalo. Beda sæpe de multitudine hominum ex Anglia Romam peregrinantium mentionem facit, & S. Bonifacius Buggam Abbatissam super peregrinatione Romana suscipienda se consulentem ab hoc proposito non quidem simpliciter abstrahit, sed suadet, ut expectet, donec tumultus in Italia, quem Saracenorum timor excitabat, fuisset compositus. Unde videmus, jam tunc Italiam Saracenorum arma reformidasse.

Epistola Bonifacii. ep. 20.

Præterea S. Bonifacius in eadem ad Archiepiscopum Cantuariensem epistola dicit: *Virum laicum, sive Rex sit, sive Præfectus, sive Comes, qui Monasterium vi adhibita occupat, & illud potestati Ecclesiasticæ eripit, ut sibi Monachos subjiciat, & rerum per Sanginem JEsu Christi*

105. *in fi.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sti acquisitarum possessionem invadat, talem inquam virum antiqui Patres raptorem appellant, Sacrilegum, pauperum interfectorem, & terribili Anathemate coram Tribunali JEsu Christi dignum. Quia vero ejusmodi raptores tam in nostris quam vestris Provinciis existunt, extollere vocem nostram tanquam tubam contra ipsos debemus, ne nostro silentio damnemur. Tandem cultum vestium & ornatum superfluum, qui sensim in Monasteria invehebatur, paucis perstringit. Sæcul. VIII. A. C. 743.

§. XXXVIII.

Concilium Liptinense.

Itaque Princeps Carolomannus, ut illud, quod in primo Canone Concilii Germanici statutum fuerat, exequeretur, aliud Concilium convocavit primo die Martii Liptinis, Domo Regia, quæ hodie *Lestines* in Territorio Cameracensi dicitur; celebratum. Præfuit S. Bonifacius cum Episcopo, nomine Georgio, & Joanne Sacellario, qui ambo vices Pontificis gerebant. Quatuor non plures Canones conditi. In primo confirmatur Concilium præcedens, cujus Decreta omnes Episcopi, Comites & Præfecti observaturos se promittunt. Totus Clerus antiquis Canonibus se submittit. Abbates & Monachi Regulam S. Benedicti recipiunt. Canon secundus de Bonis agit Eccle- *to. 6. Conc. p. 1537. to. 1. capit. p. 150. Hincmar. ep. 37. to. 2. p. 57.*

Sæcul. VIII. A. C. 743.

Ecclesiasticis, & Decretum Concilii præcedentis circa restitutionem Laicis præceptam temperat. Itaque decernitur, ut propter imminentia bella Princeps aliquam partem Ecclesiasticæ pecuniæ sub Precario & Censu in sumptus exercitus sui retineat, ea conditione, ut annis singulis Ecclesiæ vel Monasterio solidus, id est, duodecim denarii pro unaquaque familia reddantur, eo modo, ut si moriatur ille, cui fundus Ecclesiæ commodatus fuerit, pecunia ad Ecclesiam redeat; & iterum, si necessitas cogat, aut Princeps jubeat, sub eodem Precarii titulo alteri dari possit. At Ecclesiæ vel Monasteria inde penuriam paupertatemque non patiantur, & si paupertas premat, Ecclesiæ vel Domui Dei integra possessio reddatur. Ergo istud precarium erat aliquod feudi genus viro militari in stipendium concessum, & tantum ad dies vitæ, qualia illa ætate omnia erant. Solidus non aureus sed argenteus erat, & viginti quinque solidos nostræ monetæ exæquabat. Familiam dico, quod in hoc loco vocatur *Casata* & alibi *Mansus*, seu Conjugium, id est una domus cum agris ad sustentandam servorum familiam sufficientibus.

v. le Blanc. mon. p. 6. 8. 71.

In Canone tertio adulteria, & incesta matrimonia prohibentur. Item præcipitur, ne mancipia Christiana paganis tradan-

tradantur. In quarto iterum decernitur, ut qui paganas obſervationes in aliqua re fecerit, multetur & quindecim Solidis damnetur. Sequitur indiculus iſtarum Superſtitionum continens triginta articulos, ex quibus hi adnotari merentur: *De Sacrilegio ad Sepulchra mortuorum. De Sacris Silvarum. De Sacrificiis, quæ faciunt ſuper petras, aut fontes. De Sacris, quæ faciunt Jovi vel Mercurio. De variis generibus Divinationum, & auguriis avium. De ſtercoribus aut ſernutatione equorum vel boum. De cerebro animalium. De Lunæ Ecclipſi, & de eo quod credunt, quia fæminæ lunam comedant. De ſimulacro, quod per agros deferebant. De ſimulacro de conſperſa farina. De alio de pannis facto in ſpeciem puppi. De eo, quod ſibi Sanctos fingunt quoslibet mortuos.* Inde originem traxiſſe videtur illa facilitas, qua hoc ævo Sanctos dubios publico cultu proſequebantur. In fine hujus Concilii viſuntur formulæ lingua Theotiſca renunciationis & profeſſionis fidei, quæ in Baptiſmo fiebant, unde illius & hodiernæ linguæ diverſitas perſpicitur. (*)

Sæcul. VIII. A. C. 743.

to. 6. Conc. p. 1541.

§. XXXIX.

(*) Sunt vero Formulæ hujusmodi in Actis Conc. Tom. III. Edit Pariſi. *Forſachiſtu Diobolæ?*

Sæcul. VIII. A. C. 744.

§. XXXIX.

Concilium Sueſſionenſe.

tom. 6. Conc. p. 1552. to. 1. capit. p. 155.

Pipino Principe ſua quoque ex parte Sueſſione Concilium Epiſcoporum ſubditorum convocante, Epiſcopi viginti tres tertio die Martii anno ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto, Regis Childerici ſecundo convenerunt; & nemo eſt, qui dubitet, quin huic Concilio S. Bonifacius præfuerit. Presbyteri etiam aliique Clerici, & Pipinus Princeps cum Procerum præcipuis aderant. Decem Canones conditi ſunt. In primo Fides Concilii Niceni confirmatur, & ſtatuitur, Diſciplinam, ſub prioribus Principibus collapſam, eſſe reſtituendam. Ceteri Canones eadem ſtatuta continent, ac Concilia in Provinciis Carolomanni

---

bolæ? Reſponſum: *Ec forſacho Diobolæ.* Id eſt: Widerſageſt du dem Teufel? Ich widerſage dem Teufel. Deinde: *Gelobiſtu in Got almethigan fadaer?* Reſp. *Ec gelobo in Got almethigan fadaer.* Id eſt: Glaubeſt du in GOtt den allmächtigen Vater? Ich glaube in GOtt den Vater. *Gelobiſtu in Criſt Gotes Suno? Ec gelobo in Criſt Gotes Suno. Gelobiſtu in halogan Gaſt? Ec gelobo in halogan Gaſt.* Glaubeſt du in Chriſtum GOttes Sohn? Glaubeſt du in den heiligen Geiſt?

manni ediderant. Singulis annis Synodus convocetur. Monachi profectionem militarem non ſuſcipiant. Clerici non venentur, Sæcularium veſtem non gerant, cum fæminis non habitent. Episcopi aut Presbyteri ignoti non recipiantur. Epiſcopi Superſtitiones paganorum fieri non tolerent. Laici ab illicitis conjugiis, fornicationibus, perjuriis abſtineant. Eccleſiam defendant. Præterea in hoc Concilio Sueſſionenſi Adalbertus hæreticus damnatus. Cruces, quas in diverſis locis ad ſeducendos populos plantaverat, comburi juſſæ. Sæcul. VIII. A. C. 744. *Bonif. ep.* 135. *c. 2. c. 7.*

Idem Concilium in omnibus Civitatibus Epiſcopos legitimos, ſupra eos vero Archiepiſcopos duos Abelem in Eccleſia Rhemenſi & Ardobertum in Eccleſia Senonenſi conſtituit ordinavitque. In his duabus provinciis multæ Eccleſiæ vacaſſe, aut ab uſurpatoribus poſſeſſæ creduntur; hinc afferendum erat remedium. Eccleſia Rhemenſis jam annis plus triginta quinque pene oppreſſa gemebat, expulſo S. Rigoberto, & Milone Archiepiſcopo Trevirenſi intruſo, quem in hoc Concilio depoſitum fuiſſe veriſimile eſt. Ardobertus ſucceſſit S. Ebboni Archiepiſcopo Senonenſi, ſive is jam fuerit mortuus, ſive Epiſcopatum abdicaverit, deinceps in ſolitudine vitam acturus, nam obitus ejus demum anno ſeptingente- *v. Coint. an.* 745. *n.* 10. 11. *&c.* *Sup. l. XLI. §.* 29. *Vit. Act. SS. Ben. to.* 3. *p.* 652. *Coint. an.* 750. *n.* 1. 2. *Sup.* §. 13.

Sæcul. VIII. A. C. 744.

gentesimo quinquagesimo adnotatur. In ultimo hujus Concilii Canone statuitur, ut quicunque ejus Decreta violaverit ab ipso Principe cum Episcopis & Comitibus judicetur, & ad multam juxta legem condemnetur. Ita nempe, quia in his Conventibus Episcopi & Optimates juncti erant, etiam pœnæ temporales cum Spiritualibus connectebantur.

S. Bonifacius datis ad Zachariam Papam litteris de omnibus, quæ in hoc Concilio acta fuerant, certiorem fecit. Pipini & Carolomanni Zelum laudabat, & quam bene meriti de Ecclesia essent, auxilio sibi in prædicatione Evangelii præstito, referebat. Petebat quoque a Papa Pallium, duobus Archiepiscopis Abeli & Ardoberto, nuper in Concilio ordinatis, conferendum, item Grimoni, qui jam annis decem Sedem Archiepiscopalem Rothomagensem tenebat. S. Bonifacius etiam de duobus falsis Prophetis, in Francia deprehensis, ad Papam retulit, nempe de Adalberto, qui in hoc Concilio Suessionensi nominatur, & Clemente, hi ambo damnati & carcere inclusi fuerant.

Coint. an. 734. n. 25.

Abel Archiepiscopatu Rhemensi non diu potitus est, vel potius possessionem adire non potuit, impeditus a potentia Milonis, qui annis quadraginta, quod usurpaverat, obtinuit, & demum anno septin-

Fuld. to. 3. Act. SS. Ben. p. 569.

septingentesimo quinquagesimo tertio e vita cessit. Hinc forte est, quod S. Bonifacius Pallium nec pro Abele nec pro Ardoberto Senonensi ulterius postulavit, forte etiam ne injuriam faceret S. Archiepiscopo Ebboni adhucdum inter vivos agenti. Quidquid de eo sit, tandem a Zacharia pro solo Grimone Archiepiscopo Rhotomagensi, viro ipsi Papæ notissimo, Pallium petiit. Sæcul. VIII. A. C. 744.

Id Papa multum miratus, data epistola quinto Novembris ejusdem anni septingentesimi quadragesimi quarti, Indictione decima tertia ineunte, Bonifacio mandavit, ut sibi hujus rei rationem explicaret & causam. *Zach. ep. 5.*

Zachariæ Papæ Epistolæ.

In eadem epistola Summus Pontifex respondet ad duas querelas, quibus onerabatur. *Simoniæ accusamur*, inquit, *& quod ab illis, quibus Pallium concedimus, pecunias extorqueamus. Hoc Deus nolit! nemo pro tribus Palliis, quæ petiisti, quidquam accepit. Litteras quoque, in quibus tua confirmatio & mandata nostra continentur, a Notariis nostris scriptas, gratis dedimus. Anathema illi, quicunque Donum Spiritus S. vendere ausus fuerit.*

In aliis litteris ad nos detulisti, te in Bojoaria inveniisse falsum Episcopum, qui se a nobis ordinatum diceret. Prudenter nullam fidem huic homini adhibuisti, mentitus est enim. Jamque tibi Auctoritate

Sæcul. VIII. A. C. 744.

S. Petri præcipimus, ne quemquam Sacris operari patiaris, qui Canones non observat. Quia etiam ex nobis quæsivisti, an tibi in Provincia Bojoariæ prædicandi jus sit, quod tibi Antecessor noster concesserat, respondemus, quod nullatenus restringamus potestatem tibi datam, sed ampliemus, ita ut quoad vivas omnes illos, quos contra fidem vel Canones errare cognoveris, non in Bojoaria modo, sed in universis Galliis nostra Auctoritate corripias.

§. XL.

Papa Exarcho præbet auxilium.

Anast. Istarum Epistolarum subscriptio (*) monstrat, Papam tunc quoque se Imperatori Constantinopolitano subditum professum fuisse; Quippe etiam Zacharias sub initium Pontificatus sui misit pro more Epistolam suam Synodicam, Fidei suæ Confessionem continentem, cum Epistola ad Constantinum Imperatorem data; at ipsius Legati Constantinopolim pervenientes Artabastum in Palatio dominantem invenerunt.

Interim Pontifex in Italia pro Bono Imperii vigilabat. Nam in æstate undeci-

(*) Nempe: *Imperante Domino piissimo Augusto Constantino, a Deo coronato magno Imperatore, anno &c.*

decimæ Indictionis, seu anno septingen- Sæcul. VIII.
tesimo quadragesimo tertio, cum Provin- A. C. 744.
cia Ravennatensis premeretur a Rege Luitprando, etiam ad obsidendam Civitatem imminente, Eutychius Exarchus, Joannes Archiepiscopus Ravennatensis, ejusdem urbis, Pentapolis, & Æmiliæ cives datis ad Papam litteris rogaverant, ut in auxilium veniret. Papa Legatos cum donis ad Regem misit, & cum nihil impetrasset, ipse Ravennam se contulit.

Pontificem advenientem excepit populus clamans: *Benedictus sit Pastor noster, qui relictis ovibus suis, ut nos perituros servaret, advenit!* Ravenna Pontifex ad Regem Luitprandum præmisit, qui nunciarent, se ad eum venire. Nolebat Rex Legatos in conspectum admittere; sed Papa contempto periculo Ravenna excedens ad Padum amnem die Veneris vigesimo octavo Junii pervenit. Tunc vero misit Rex ex purpuratis aliquos, qui magno honore exceptum Ticinum perduxerunt. Prius vero, quam Regem adiret, quia Vigilia erat S. Petri, ad hujus Sancti Ecclesiam, quæ Cælum aureum dicebatur, se contulit, & preces ad horam nonam persolvit. Altero die a Rege rogatus ibi Missam celebravit, & deinde Regiæ mensæ assedit. Rogabat Regem Papa, ut promitteret, se in Pro-

Sæcul. VIII. A. C. 744.

vinciam Ravennatenſem copias non amplius immiſſurum, & captas urbes, præſertim Ceſenam, redderet. Poſtquam Rex diu repugnaſſet, tandem in hæc pacta conſenſit; ut Ravennatibus omnes ditiones, quas prius habebant, reſtitueret, & duas partes Territorii Ceſenatis, retentis tertia parte & ipſa urbe pignoris loco usque ad primum diem Junii anni ſequentis, quo Legati ipſius Conſtantinopoli redituri eſſent.

Papa receptis urbibus Romam reverſus Feſtum SS. Petri & Pauli, veriſimiliter die octava (*), iterum celebravit.

§. XLI.

Concilium Romanum.

Haud multo poſt tempore, Indictione duodecima ineunte, Zacharias Papa Concilium Romæ in Eccleſia Sancti Petri, convocatis Epiſcopis ex tota Italia quadraginta, Presbyteris viginti duobus, Diaconis ſex & omnibus reliquis Romanis Clericis, celebravit. Inter tot nomina vix unum barbarum occurrit; unde perſpicitur, vix alios quam Romanos ad ordines Clericales fuiſſe admiſſos.

to.6. p.1546.

(*) Hier kann man ſehen, was unſer Proteſtant für ein erfahrner Rubriciſt ſey. Die octava hat er gegeben: Am Tage des Octavius. Seite. 269.

sos. In hoc Concilio quindecim Canones conditi, quorum plerique de vita Clericorum & illicitis conjugiis agunt. Episcopi & Clerici cum mulieribus omnino non habitent, sæcularibus indumentis non utantur, comam non nutriant. Sæcul. VIII. A. C. 744. c. 1. 2. 3.

Nullus Episcopus Presbyter aut Diaconus Missarum solemnia celebraturus præsumat cum baculo introire aut velato capite. c. 8.

Episcopus aut Presbyter dicta Oratione non recedat, nec ab alio Missam suppleri petat, sed qui initium ponit, suppleat usque in finem. c. 13. c. 14.

Ordinationes primo, quarto, septimo, & decimo mense fiant, nempe in Angariis. c. 11.

Clerici coram Judicibus sæcularibus actionem non moveant, sed eorum causæ ab Episcopis, & Episcoporum Causæ a Papa judicentur. c. 12.

Id de Episcopis Italiæ accipiendum. Omnes Episcopi, qui Apostolicæ Sedis Ordinationi subjacent (scilicet, quantum ego arbitror, qui juxta consuetudinem a Papa ordinabantur) singulis annis decimo quinto Maji ad SS. Principum Apostolorum Petri & Pauli limina veniant. c. 4.

Hi Canones præ cæteris hujus Concilii adnotandi videbantur.

Sæcul. VIII. A. C. 744.

§. XLII.

Regis Luitprandi Obitus.

Paul. Diac. VI. hist. c. ult.

Rex Luitprandus anno ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto naturæ conceſſit, priusquam effluxiſſet illud temporis ſpatium, quod ad pacta implenda præſtituerat, poſtquam regnaſſet annis triginta & uno & ſeptem menſibus, Princeps pius, caſtus, mitis, fortis, conſilio acer, quamvis litterarum eſſet rudis. Sæpe orationi vacabat, & multas eleemoſynas largiebatur. In Regia Sacellum Salvatoris extruxit, conſtituitque Presbyteros & Clericos, qui ſibi ſingulis diebus Officium Divinum decantarent; quod ante ipſum nullus Regum fecerat. In omnibus Civitatibus, in quibus morari ſolebat, Eccleſias ædificavit, & inter alias Eccleſiam S. Petri Cælo aureo prope Ticinum, item duo Monaſteria, ſcilicet, Bercetenſe in Diœceſi Parmenſi in monte Bardone, qui Apennini pars eſt, & S. Anaſtaſii Olonæ. Bercetenſe Monaſterium exinde nomen Remigii nactum eſt ob Sancti hujus Reliquias a S. Morano ſeu Moderamno Epiſcopo Redonenſi illo delatas; quippe hic Sanctus Epiſcopus, ſuſcepto ad Urbem Romanam itinere, Rhemis diverſatus, dono accepit aliquas partes de Stola, de Cilicio & Sudariolo S. Remigii, quas deinde reliquit Mona-

Suv. Lib. XL. §. 40.

Act. SS. Bet. 3. p. 517.

Monasterio huic a Rege Luitprando sibi donato, ubi, postquam prius in Franciam rediisset, & Successorem sibi ordinari curasset, reliquos vitæ dies transegit. Obiit vero anno septingentesimo trigesimo. Sæcul. VIII. A. C. 744.

Regis Luitprandi ætate Viri Sancti tres in Longobardia degebant. Petrus Episcopus Ticinensis, qui cum esset Luitprandi propinquus, aliquamdiu in exilio Spoleti, jubente Rege Ariperto agens, ibi in fundo suo Ecclesiam in honorem S. Sabini Episcopi & Martyris extruxit, quod sibi S. Martyr olim vaticinatus fuisset, se Sedi Ticinensi postliminio restituendum. *Paul. c. ult.*

Secundus Vir Sanctus fuit Baodolinus, qui miraculis & dono Prophetiæ claruit. *Sup. Lib. VIII. 38.* Tertius Theodelapius Veronensis iisdem Donis a Cœlo præditus.

Hic Paulus Diaconus suam Longobardorum Historiam finit. Luitprandi Successor fuit Hildebrandus ejus Nepos, qui sceptrum non ultra septem menses rotavit; quippe, cum Longobardorum odium incurrisset, ipso e throno dejecto Rachim Ducem Forojulienſem elegerunt. Quod ubi Zacharias Pontifex comperit, *Anast. in Zach.* missis ad novum Regem legatis, precibus obtinuit, ut pacem ad annos viginti concederet.

Sæcul. VIII. A.C. 744.

§. XLIII.

Constantinus Imperator restituitur.

Interim Imperator Constantinus secundo die Novembris Indictione duodecima, seu anno septingentesimo quadragesimo tertio Constantinopolim revectus est. Artabasto, duobusque filiis Nicephoro & Nicetæ captis, oculi eruuntur. *S. Niceph. p. 40.* Tum eos Constantinus catenis vinctos in Hippodromo, cum equi decurrerent, toti populo exhibuit. Simile ludibrium devorandum fuit Anastasio Patriarchæ, quem effossis prius oculis asino impositum conversa ad caudam facie in Hippodromo circumduci jussit, &, quis crederet? his non obstantibus Patriarcham esse voluit, quia pariter ac ipse Imperator Imaginum hostis erat. *p. 353. 342.* Constantinus recuperato Imperio Zachariæ Papæ Legatos, qui Artabasto regnante Constantinopoli permanserant, ad se vocatos Romam remisit, concedens Papæ duos fundos Imperii, quos petierat, & jam Imperator Ecclesiæ Romanæ donabat. *Anast. in Zach.* Apparet, Papam admodum tarde certiorem factum, quod Constantinus denuo imperaret, cum post hæc uno ferme anno adhucdum litteris suis annos regnantis Artabasti apponeret.

§. XLIV.

Sæcul. VIII.
A. C. 744.

§. XLIV.

Ecclesia Orientalis.

Apud Musulmannos Califa Owalido II. dejecto, & necato, Yezidus III. ejusdem Patruelis successit mense sexto anni Hegiræ centesimi vigesimi sexti, id est, circa mensem Aprilem anno septingentesimo quadragesimo quarto; verum nec in pace, nec ultra menses quinque regnavit, cum multi necatum Ovalidum ulciscendi specie seditiones moverent. Yezidus Successorem habuit Ibrahim fratrem suum, qui cum imperasset menses duos, regnum tradidit Merovano, filio Mahometis, fratris Califæ Abdelmelici. Ergo Merovanus Imperii habenas capessens sub initium anni Hegiræ centesimi vigesimi septimi, qui anno Salutis septingentesimo quadragesimo quinto respondet, nec quiete nec diu, nimirum quinque solummodo annis, regnavit. Is Christianis Melchitis indulsit, ut, mortuo Stephano, Patriarcham Antiochenum eligerent Theophylactum Presbyterum Edessenum, virtute clarum, datisque litteris circularibus præcepit Arabibus, ut viro, quem Christiani elegissent, honorem haberent. Anno septingentesimo quadragesimo sexto, Indictione decima quarta mense Januario vehementissimus terræ motus in Syria & in Palæ-

Elmac. lib. 1. c. 19.

Theoph. an. 4. const. p. 353

Id. an. 5.

Sæcul. VIII. A. C. 744.

ſtina, præſertim in Deſerto Jeroſolymæ multas Eccleſias & Monaſteria evertit.

Conſtantinus Imperator turbis Muſulmannorum, quibus dividebantur, ſolerter in rem ſuam uſus, Germanicia, aliisque Syriæ urbibus captis, incolas, Sedes ſuas mutare compulſos Conſtantinopolim, & in alia Thraciæ oppida tranſtulit. Porro inter hos Syros multi erant Monoſophytæ Hæretici, illius nempe Sectæ, quæ in JEſu Chriſto unam tantum Naturam confitebatur, & ad Triſagium addebat verba: *Crucifixus pro nobis.* Qui error Petrum Fullonem Auctorem habebat.

Sup. Lib. XXIX. §. 32 Theo. an. 6.

Cum Anaſtaſius Abbas Monaſterii S. Euthymii in Palæſtina huic errori favere diceretur, id Abbas Sergius data Epiſtola ad S. Joannem Damaſcenum detulit, ſubjungens, Anaſtaſium affirmare, quod ipſi Joanni ſua opinio probetur, & Joannes Patriarcha Jeroſolymitanus, piæ memoriæ, eandem ſecutus fuerit ſententiam. Scripſit igitur hac ſuper re S. Joannes Damaſcenus ad Jordanum Abbatem, dicens, utrumque ſibi incredibile videri, vel Anaſtaſium in hunc errorem lapſum, vel eundem a Sergio falſo accuſari. De ipſa vero Doctrina differens, dicit, Petri Fullonis errorem reduci, ſi Triſagium ad ſolum filium referatur. *Non ſine cauſa*, inquit, *Seraphini audi-*

Qui pro nobis Crucifixus.

Damaſc. ep. de Triſag. fol. 445.

Iſa. 6.

ti

ti sunt ter canere, SANCTUS! non vero bis, quater, vel millies; & semel tantum dixerunt, DOMINUS. Sed ut Trinitatem Personarum, & Unitatem Substantiæ demonstrarent. Hinc iste Deum laudandi ritus, quem Ecclesia ab Angelis accepit, ad totam Trinitatem refertur. Hinc etiam est, quod baptizandos ter immergamus, nominantes in singulis immersionibus singulas Personas. Item ideo in Oblatione Divinorum Mysteriorum, postquam populus cantavit Trisagium, Sacerdos adjungit: Sanctus es, Rex Sæculorum! Filius tuus unicus Sanctus est, & Sanctus Spiritus tuus. Econtra in elevatione Panis Sacri Evcharistici dicimus: Unus Sanctus, unus Dominus, unus JEsus Christus. Hæc verba a S. Joanne Damasceno citata in illa Liturgia, quæ S. Joanni Chrysostomo tribuitur, leguntur. Rogat eum, ad quem scribit, ut sua Epistola in Ecclesia publice legatur, & Anastasius Abbas admoneatur, ut disputandi finem faciens, Patrum Auctoritati cedat. Quod spectat ad Joannem Jerosolymitanum, affirmat, ipsum hanc Doctrinam nunquam tenuisse. *Nunquam*, ait, *quidquam docuit, quod mihi tanquam suo Discipulo non communicaverit. Cur vero hæc accusatio mota non est, dum viveret?*

Sæcul. VIII. A. C. 744. fol. 487. 491.

§. XLV.

Sæcul. VIII. A. C. 744.

§. XLV.

Opera S. Joannis Damaſceni.

Præter hanc Epiſtolam & Tractatus pro Imaginum cultu, quos ſuo loco memoravimus, plurima opera S. Joannis Damaſceni ad nos pervenerunt; nam ſuo ævo Orientis Doctor habebatur. Omnia ejus Scripta vel ad Doctrinam pertinent, vel ad mores, atque inter Dogmatica præcipuum eſt Fidei Orthodoxæ expoſitio, quæ cum integrum Theologiæ Corpus ſit, exinde Theologorum plerique illam pro norma amplexi ſunt. Ipſius vero Theologia dividitur in quatuor Libros, quorum primus de Attri-
L. 1. c. 7. butis Trinitatis differit. Ubi S. Joannes de Spiritu Sancto agit, dicit, quod procedat a Patre, & in Verbo acquieſcat.
c. 10. Et alibi, quod procedat a Patre, & per Filium omnibus Creaturis communicetur. Sed non dicit, quod procedat a Filio. (*) In Libro ſecundo agit de Crea-

(*) Imo dicit, ſaltem implicite, S. Joannes Damaſcenus, quod Spiritus S. procedat a Filio, dum dicit, quod per Filium omnibus Creaturis communicetur; nam communicari per Filium indicat aliquam a Filio originem habere, & Proceſſio in Divinis nihil eſt aliud, quam emanatio, ſive origo unius ab alio tanquam principio producente, vel ad intra, quando nullus producitur effe-

Creatione, de Angelis, de Mundo visibili, ubi multa immiscet ex Philosophia naturali secundum principia Aristotelis, cui enixe operam dederat. Namque Damascenus inter primos illorum numeratur, qui Doctrinam Aristotelicam cum Theologia conjugarunt. Eadem ratione explicat naturam hominis, & de facultatibus Animæ, ejusque affectibus fusissimus est. Differit etiam de Libertate hominis, de Providentia Divina, & de Prædestinatione, quæ ipsius opinione non extenditur ad ea, quæ in nostra potestate sunt, sed solum Præscientia. *Quippe Deus*, inquit, *nec peccatum vult, nec ad virtutem cogit.* (*) In fine hujus Libri agit de Lapsu Hominis. In tertio pertractat materiam de Incarnatione, quam admodum accurate explicat, præsertim distinctionem duarum Naturarum, & duarum Voluntatum contra Hæreticos illa tempestate in Oriente existentes. *Libertas JEsu Christi*, inquit, *in eo erat nostra excellentior, quod ad se determi-*

Sæcul. VIII. A. C. 744.

L. II. c. 12. 15. 14. *&c.*

c. 25.

*c.*29.

c. 30.

L. III.

effectus externus, vel ad extra, quando connotatur Gratia hominibus collata.

(*) Nempe S. Joannes Damascenus præsumit, Prædestinationem facere Deum Auctorem peccati, & tollere libertatem Actus humani; at ex Doctrina S. Augustini & S. Thomæ, qua Prædestinatio stabilitur, neutrum sequitur.

Sæcul. VIII. A. C. 744.

terminandum nec examine, nec deliberatione indigeret. Nihil ignorabat, etiam quatenus homo fuit, ſed in ipſo omnes Sapientiæ & Scientiæ Theſauri continebantur.

Coloſſ. 2.

In Libro quarto S. Joannes Damaſcenus, poſtquam egit de Reſurrectione JEſu Chriſti, & quibusdam Quæſtionibus de Incarnatione, quæ excutiendæ ſupererant, ad Sacramenta tranſit, & primo

Lib. IV. c. 10 de Baptiſmo differit, moxque de Fide,

c. 11. 12. 13. de Myſterio Crucis & de Adoratione ad

c. 14. Orientem. Deinde venit ad Evchariſtiam & inter alia dicit: *Si verbum Dei vivens eſt & efficax, & ſi Dominus quæcunque voluit fecit; ſi dixit: Fiat lux, & facta eſt. Si Cælum & terra, & quæcunque in Mundo ſunt aſpectu delectabilia, Verbo Domini facta ſunt, & Homo quoque, Creatura illa admirabilis, ſi ipſum Dei Verbum Homo factum eſt, quia voluit, ſibique Corpus ex puriſſimo ſanguine Sanctæ Virginis formavit, cur non poſſit facere, ut panis Corpus ſuum, & vinum Sanguis ſuus ſit?* Et infra: *Quomodo fiet iſtud? dicebat Sancta Virgo, & reſpondet Angelus: Sanctus Spiritus ſuperveniet in te. Et jam tu quæris; quomodo panis Corpus JEſu Chriſti ſit? & quomodo vinum & aqua Sanguis ejus? Reſpondeo & ego: Sanctus Spiritus ſupervenit, & hæc mirabilia ſupra rationem*

v. du Perron. Evchar. aut. 35. p. 643. Perpet. Liv. VII. c. 4. c. 4.

Realis Præſentia Chriſti in Evchariſtia.

nem & captum noſtrum operatur. Et iterum: *Eſt Corpus Divinitati vere unitum, Corpus ex Sancta Virgine aſſumptum. Non quia Corpus, quod aſcendit in Cælum, deſcendit,* (*) *ſed quia panis ipſe & vinum in Corpus & Sanguinem Dei mutantur. Si modum quæras, quo iſtud fiat, ſufficiat tibi, quod ſcias, id fieri per Spiritum Sanctum, ſicut Dominus ex Sancta Virgine ſibi ipſi Carnem formavit. Plura non ſcimus, niſi quod Verbum Dei ſit verax, efficax, omnipotens, modus vero incomprehenſibilis.* (**) S. Joan-

Sæcul. VIII. A. C. 744.

(*) Scilicet non deſcendit Chriſtus motu locali, ſed ſicut dicitur deſcendiſſe de Cælo Filius Dei, ut incarnaretur de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.

(**) Wer dieſen ganzen Auszug aus dem Buch des heiligen Joannes Damaſcenus von dem Abendmahl aufmerkſam lieſet, erſieht klar, daß er die wirkliche Gegenwart Chriſti in dieſem heiligen Sacrament, und die Verwandlung, oder Transſubſtantiation, wie man ſolche noch heut zu Tage in der Römiſchen Kirche lehret, geglaubet habe, wenn man ſeine Worte nicht verdrehen will. Denn wozu ſolten ſonſt die ſo herrliche Anrühmung der Allmacht GOttes, welcher dieſes Geheimniß wirket, und der Ausdruck: Mutantur, dienen?

So iſt ja unſer Proteſtant unerträglich, wenn er in ſeinen Anmerkungen ſaget: **Man hat nichts gewußt von einer ſolchen Gegenwart!** oder

iſt

Sæcul. VIII. A. C. 744.

c. 15. S. Maria.

v. Tillemo. de la St. Vierge.

S. Joannes Damascenus postquam de JEsu Christo fuse satis disseruit, transit deinde ad Sanctam Virginem, cujus memorat Genealogiam, Nativitatem, educationem in templo, Matrimonium, juxta traditiones, quas veras esse credebat, & quæ exinde credentium assensu firmata

ist vielleicht in seiner Einbildung der heilige Joannes Damascenus auch ein Ketzer wie der heilige Ambrosius, weil er diese Meynung von der Gegenwart Christi im Abendmahl geheget? Wenn die Meynung des heiligen Joannes Damascenus nicht auch die Meynung der ganzen Kirche gewesen wäre, so ist es unglaublich, daß ihm niemand weder in der orientalischen, noch in der occidentalischen Kirche solte widersprochen haben; da doch eine jede irrige Lehre, so bald sie ans Licht getreten, ihre Gegner in der allgemeinen Kirche gehabt.

Es haben aber auch andere heilige Väter von der Gegenwart Christi im Abendmahl eben so, wie der heilige Damascenus geredet; weil sie nun die Wirkung des heiligen Geistes in diesem heiligen Sacrament mit der Wirkung der Allmacht GOttes in der Erschaffung aller Dingen, und in der Menschwerdung Christi vergleichen, so würden sie sich ja sehr ungereimt ausgedrücket haben, wenn Christus im heiligen Abendmahl nicht anders als in den anderen heiligen Sacramenten, zum Exempel in der heiligen Taufe, von welchen die Väter nicht also zu reden pflegen, das ist, nur durch die Wirkung der Gnade gegenwärtig wäre.

tæ sunt. Probat etiam, Sanctos esse honorandos, eorum Reliquias esse colendas, & de veneratione Imaginum amplissime scribit. Tradit postea Sacrarum Scripturarum Indicem, & in veteri Testamento sequitur Canonem Hebræorum; sed novo Testamento Canones Apostolorum subjungit. Deinde aliquas Quæstiones, quas antea omiserat, tractat, & tandem, quæ ad finem Mundi spectant, subjungit. Sæcul. VIII. A. C. 744. c. 16. c. 17. p. 18.

Inter alios Tractatus Dogmaticos Sancti Joannis Damasceni singulari attentione digna est Disputatio contra Saracenum, seu potius Regulæ, juxta quas Musulmannis disputantibus respondendum. Ex hoc Tractatu dispicimus, quid Musulmanni contra Divinitatem Verbi, Incarnationem, causam mali, & liberum arbitrium præcipue objecerint. Item Christianos ad convincendos Musulmannos Auctoritatem Alcorani adhibuisse. S. Joannes Musulmannos amplius refutat in suo Tractatu de Hæresibus, ubi inprimis illo argumento adversarios premit, quod Mahometes nullum Missionis suæ testimonium produxerit. (*) c. 27. 28. fol. 546. Hær. 101.

Hic

(*) Diesen Erweis sind Luther, Calvin und andere sogenannte Glaubensverbesserer der Welt

Sæcul. VIII. A. C. 744.

Hic Tractatus centum & tres Hæreſes in totidem Articulis complectitur, quarum octoginta priores ex S. Epiphanio excerpſit. Sequuntur Neſtoriani, Eutychiani, & diverſæ eorum Sectæ. Tum multi alii, quos præter ipſum nemo memoravit. Aliqui ex his Hæreticis Dei Laudes cantare ſolebant ſaltantes cum fœminis. Alii omne Religionis punctum in bonis Operibus ponebant, rejecto Scripturæ ſtudio. Alii ſemper ſtantes, & nunquam flexis genibus orabant. Alii animam eſſe mortalem credebant. Alii quædam dicta & facta Dei ipſius vituperabant. Alii Chriſtianam Religionem & paganas ſuperſtitiones copulabant. Tandem nec Monothelitarum nec Iconoclaſtarum obliviſcitur.

Hæreſes.

Cotel. Mon. Gr. to. 1. p. 178.

322.

art. 99. 102.

Inter Libros morales S. Joannis Damaſceni ille eſt præcipuus, qui dicitur Collationes, ſeu Comparationes opinionum Patrum cum Doctrina Scripturæ.

Has pro diverſitate materiæ ſecundum Alphabetum Græcum diſpoſuit, & in tres libros diviſit.

Extant etiam aliquot Sermones ad diverſa Feſta, & Hymni. Nam Græci hunc

auch noch ſchuldig. Denn Mahomet ſagte auch nicht, daß er eine neue Religion ſtiften, ſondern die verderbte beſſern wolte.

hunc Sanctum numerant, inter præcipuos Auctores Hymnorum suorum, quos in Officio Divino decantant. Tandem eidem Historia Indica de Barlaam & Josaphat tribuitur, sed dubium est, an ipse scripserit, & multo magis an vera sit hæc historia. Ceterum quo anno S. Joannes Damascenus obierit, nescimus, sed ejus memoriam sexto Maji colit Ecclesia. Sæcul. VIII. A. C. 744. *Mart. Rom. 6. Maj. Boll. to. 13. p. 108.*

§. XLVI.

Initia S. Sturmii.

In Germania S. Bonifacius, ut Religionem solide stabiliret, adlaborante S. Sturmio Discipulorum suorum fidelissimo, Monasterium Fuldense celeberrimum fundavit. Sturmius natus erat in Bavaria nobilibus parentibus & Christianis, qui eum S. Bonifacio instituendum tradiderunt, plures enim parentes filios suos ejusdem curæ committebant. S. Episcopus Sturmium in Hassiam perductum in Monasterium Fridelariense misit, sub Disciplina S. Vigberti, qui magna cura puerum informare cœpit. Ibi igitur Psalmos memoriæ mandavit, Sacram Scripturam, cujus sensu spirituali potissimum delectabatur, assidue legens. Pudicissimum juvenem humilitas quoque & charitas omnibus commendabant: unde totius Congregationis consensu Presbyter ordinatus vicinis popu- *vit. S. Sturm. to. 4. Act. SS. Be. p. 270.*

Sæcul. VIII. A. C. 744.

lis Verbum Dei prædicare cœpit & miraculis clarescere, sanans ægrotos, & obsessos liberans. Annos deinde ferme tres Presbyteri munere functum, cupido incessit, inspirante Cælo, in Desertum recedendi, cumque desiderium suum manifestasset S. Bonifacio, is consilium tanquam Divinitus suggestum approbans, socios duos dedit, mandatis instruxit & Benedictionem abituris impertitus dixit: *Ite in Silvam Bochonam* (quæ a fagorum multitudine ita dicebatur) *& quærite locum Servis Dei aptum.*

Itaque per loca deserta vagantes, ubi nihil nisi cælum & terram altis arboribus impeditam conspiciebant, elapso triduo Hirsfeldam perveniunt, & credentes hunc locum sibi a Deo destinari, casas exiguas ex libris arborum construunt, ubi diu morati sunt, jejuniis, vigiliis & orationibus vacantes.

Hæc fuere Monasterii Hirsfeldensis initia anno septingentesimo trigesimo sexto. Haud multo post S. Sturmius S. Bonifacium adiit, & ubi sibi sedes novas elegissent, retulit. Dixit S. Bonifacius: *Locus iste non videtur mihi satis tutus; scitis enim haud procul versari Saxones, nationem ferocem. Ergo locum remotiorem quærite.* S. Sturmius in desertum suum reversus delectis duobus sociis ratem conscendens Fulda amne adver-

adversis fluctibus vectus est. Cum post triduum nulla Regio placeret, Hirsfeldam rediit. Tum a S. Bonifacio vocatus Fridelariam venit, & hujus itineris rationem exposuit. At Vir Sanctus iterum Sturmio præcipere, ut iterato omnia lustraret, asseverans, scire se, quod Deus in illo deserto Servis suis habitationem præparasset. Tunc vero Sturmius solus viam carpit asino insidens Psalmos cantans, & assidue orans. Ubicunque a nocte occupabatur, manebat, timens vero asino suo, ne a belluis devoraretur, lignis cæsis eum quasi septis includebat. Ipse postquam frontem signo crucis signasset, tranquille somnum capiebat. Quadam die cum ad viam publicam, quæ Moguntiam ducebat, perveniisset, incidit in magnam multitudinem Sclavorum, qui in Fulda corpora alluebant. Hi populi e Septentrione advenerant, jamque ultra annos centum Imperii Ditiones depopulabantur, & usque in Germaniæ viscera penetraverant. Hi tunc quidem Virum sanctum riserunt, sed incolumem dimiserunt. Tandem invenit locum, qualem jam diu exoptabat, quem satis exploratum, postquam attente notavit; id S. Bonifacio nunciavit. Is sciens, locum illum in ditione Carolomanni esse positum, eundem a Principe sibi petiit ad fundandum Mo-

Sæcul. VIII. A. C. 744.

Sæcul. VIII. A. C. 744.

nasterium, addens; *Quod nemo hucusque in parte Orientali Regni tui molitus est.*

Carolomannus hunc locum, spatiumque quater mille passuum in circuitu lubenti animo S. Viro concessit, & conscriptis donationis litteris viros nobiles illius Regionis convocavit, quos suo hortatu permovit, ut quisque illa omnia, quæ in loco ad fundandum Monasterium definito possidebat, Deo donaret.

§. XLVII.

Monasterium Fuldense fundatur.

Igitur S. Sturmius septem aliis Monachis adjuvantibus prima hujus Monasterii fundamenta posuit, anno post fundatam Hirsfeldam nono, salutis humanæ septingentesimo quadragesimo quarto, Indictione duodecima, die mensis primi, id est Martii, duodecimo. Elapso bimestri adfuit ipse S. Bonifacius cum magno artificum numero, qui in terra excolenda & ædificanda Ecclesia operam Monachis addixerunt; sed & ipsi manibus suis laborabant, & sibi ipsis ministrabant. Vir Sanctus Bonifacius ad montem vicinum, quem ideo *montem Episcopi* appellarunt, divertere solebat, ut orationi vacaret.

Cum anno sequente illo rediisset, novellis Monachis plurima vitæ ascetica præce-

præcepta dedit, & compulit ut promitterent, se nec vino, nec quocunque alio potu, qui ebrietatis causa esse possit, esse usuros, excepta levi cerevisia. Ceterum S. Sturmium iisdem Abbatem præfecit, & singulis annis, quamdiu per valetudinem licuit, ad eos invisit. Hoc Monasterium a Fulda amne, in cujus ripa conditum est, nomen accepit. Sæcul. VIII. A C. 744.

In eo S. Benedicti vigebat Regula, quam ut perfectius observarent, consilium ceperunt Monachi ad celeberrima Monasteria aliquos ex gremio suo mittendi, qui eorum consuetudines & Regulam servandi modum discerent; atque hanc provinciam S. Bonifacius S. Sturmio commisit. Qui iter capessens cum duobus fratribus anno a Monasterio condito quarto, id est septingentesimo quadragesimo septimo, Romam venit, omnia Italiæ Monasteria, & inter cetera Montem Cassinum lustravit, & annum integrum in isto itinere consumpsit. Ad suos deinde reversus Congregationem Fuldensem secundum illam Disciplinam, quam optimam judicaverat, instituit. Monachorum numero in dies crescente, multisque non se ipsos modo, sed etiam facultates suas afferentibus, hujus fundationis fama ad remotissima Monasteria pervenit. S. Sturmius, priusquam vita exiret, Monachos ibi quadringentos non

vit. S. Liobæ c. 10. to. 4. Act. p. 251.

vit. S. Greg. Traj. n. 10. to. 4. Act. p. 326.

Sæcul. VIII. A. C. 744.

non computatis Novitiis, aliisque, quorum maximus erat numerus, ingenti suo solatio vidit. (*)

§. XLVIII.

S. Lioba &c.

vit. tom. 4. Act. p. 249.

Sanctus Bonifacius Virginum quoque Monasteria in Germania fundavit, qua in re adjutricem habuit egregiam S. Liobam ex Gente Anglorum, propinquam suam. Hæc ab unguiculis Deo consecrata, & in Monasterio Winburnensi Tettæ Abbatissæ Disciplinæ tradita, manuum labori & multo magis lectioni se totam dedit, atque usque adeo docta evasit, ut versus latinos scriberet, qua in exercitatione Sanctam quamdam Virginem, nomine Edburgam, Magistram habuit. Id ipsa nos docet in Epistola ad S. Bonifacium data, cujus hoc est initium: *Rogo te, ut amicitiæ memineris, qua jungebaris parenti meo, ante annos octo defuncto, atque ores Deum pro anima ejus, & pro anima matris meæ cognatæ tuæ, quæ adhuc dum in vita cum morbo pertinaci conflictatur. In tota ejus familia nemo est, a quo tantum auxilii;*

ap. Bonif. ep. 36.

(*) Celeberrimæ hujus Abbatiæ Præsules & S. R. Imp. Principes Summus Pontifex Benedictus XIV. ad Dignitatem Episcopalem anno 1752. evexit.

auxilii, quantum a te ſperem. Mitto tibi hoc munuſculum, ut non obſtante locorum diſtantia mei recorderis. Nempe jam tunc temporis S. Bonifacius prædicabat Evangelium in Germania, unde ad eam, ceterasque ejusdem Monaſterii Religioſas fæminas ſcribens petit, ut pro ſe orent, quo Miniſterio ſuo digne fungi poſſit. In his Epiſtolis S. Lioba vocatur Leobigutha, id eſt, Deo Dilecta. Sæcul. VIII. A. C. 744. *ep.* 25.

Exinde S. Bonifacius Tettam Abbatiſſam rogavit, ut Liobam mitteret in Germaniam, auxilio ſibi & conſolationi futuram; quippe piæ Virginis fama eam jam tunc in extera Regione commendaverat. Tum a Tetta ægre licet dimiſſam, & in Germaniam delatam excipiens S. Bonifacius ſtatuit ejus opera uti ad inſtituendas Sanctimoniales, ea ratione qua Sturmium, quem Anachoretam ſuum appellare conſueverat, ad informandos Monachos adhibebat. Ergo eidem Monaſterium extruxit in loco, qui deinde *Bischofsheim* dictus eſt, id eſt Domus Epiſcopi, & unde hodie aliqua Civitas Diœceſis Moguntinæ nomen ſervat, nam Monaſterium ætatem non tulit. Tunc autem magna Virginum Congregatio extitit, ex qua multæ Abbatiſſæ, ut aliis Monaſteriis præeſſent, evocatæ.

Mulier quædam miſerrima, infirmo & inclinato corpore, quæ ad portam *c.* 14.

Sæcul. VIII. A. C. 744.

Monasterii cubabat, & de residuis mensæ Abbatissæ alebatur, cum ex fornicatione infantem peperisset, eum noctu in amnem, muros Monasterii alluentem projecit. Sed ecce! alia mulier veniens mane aquam haustura infantem mortuum videt, totumque vicum clamore implet dicens, hunc nempe esse ritum, quo Moniales istæ infantes suos baptizarent, & fluvii aquas inficerent. Concurrit, infremitque omnis populus, & statim Abbatissa aliquam Monialium suarum, bona sua venia e Monasterio absentem revocat, quæ Deum testem suæ innocentiæ invocabat, rogans, ut eam, quæ rea esset manifestaret. Tunc Abbatissa omnes Virgines in Oratorio congregat, Psalterium recitare jubet stantes, & extensis in formam Crucis brachiis, tum ter in die ad Tertiam, Sextam & Nonam circum Monasterium inter publicas preces proeedere; cumque tertio processuræ essent, Lioba præsente toto populo ad Altare accedens, coram Cruce, quæ deferenda erat, Deum inter lacrymas & elevatis in Cælum manibus oravit, ut Religiosam familiam ab hoc opprobrio liberaret. Illico infelix illa peccatrix a Dæmone correpta, crimen suum coram omnibus confitetur. Populus Deo lætis vocibus gloriam reddidit, Sanctimoniales ab omni suspicione liberatæ; at

at mulierem ream hoſpes infernalis toto reliquæ vitæ tempore nunquam reliquit. S. Lioba multis aliis prodigiis illuſtris facta eſt. Habebat quoque in ſua Congregatione Monialem nomine Theclam, quæ eam, cum ex Anglia ſolveret, ſecuta, Chizingæ ad Mœnum in Diœceſi Herbipolenſi Abbatiſſa fuit. Sæcul. VIII. A. C. 744. *Othl. l. 1. c. 25 Act. to. 4. p. 42.*

§. XLIX.

Baptiſmus in nomine patria.

Inter hæc Virgilius & Sidonius Presbyteri, qui ſub Regimine S. Bonifacii Fidem in Bavaria prædicabant, datis ad Zachariam Papam litteris deferunt, inventum eſſe in illa Provincia Presbyterum, qui latinæ linguæ ignarus baptizaret in hæc verba: *Baptizo te in nomine Patria & Filia & Spiritua Sancta*, atque S. Bonifacio ſententiam ſtetiſſe, iterandum eſſe Baptiſmum ita collatum. Acceptis litteris Papa ad Bonifacium reſcripſit, mirari ſe, quod hujus eſſet opinionis, *Nec conſentire poſſumus*, inquit, *ut iterum baptizentur, quos ille Presbyter in hunc modum baptizavit, quia ſimpliciter ignorabat latinam linguam, nec ullum errorem invehere volebat; cum ne quidem illi rebaptizentur, qui ab Hæreticis baptizati fuere, ſi modo in nomine Trinitatis baptizati ſint.* *Zach. ep. 6.*

§. L.

Sæcul. VIII. A. C. 745.

§. L.

Gervilio Episcopus depositus.

vit. S. Bonif. per Othl. l. 1. c. 37.

Sub idem tempus, nempe annum septingentesimum quadragesimum quintum, Sancto Bonifacio Auctore Carolomannus Princeps jussit celebrari Concilium, in quo causa aliquot Clericorum Hæreticorum ab Adalberto & Clemente seductorum ad examen vocata, & Gervilio Episcopus Moguntinus depositus. Is successerat Geroldo parenti suo, qui ut ut esset Episcopus, in acie contra Saxones dimicans lethale vulnus recepit. Ut morientem Patrem solarentur, dederunt ei Successorem in Episcopatu filium, laicum, & in Principis Aula tunc versantem. Haud diu postea Episcopus Gervilio (ita filius Geroldi vocabatur) Carolomannum Principem in Saxones moventem secutus, cum uterque exercitus in ripa fluminis adversa castra posuissent, unum servorum suorum in hostium castra misit, qui accurate perquireret, quis ille, & quod ei nomen, qui parentem suum in acie occidisset. Invenit eum, aliis monstrantibus, servus, rogavitque, ut ad Dominum suum venire non gravaretur, esse enim, quod solus soli loqueretur. Ergo ambo, equo vecti, in medio flumine congrediuntur, & Gervilio ense adversarium validissime ferit,

ferit, dicens, ita oportere filium genitori occiso parentare. Saxo animam agens in aquas corruit. Interim nemo Gervilionis factum damnabat, sed ipse Episcopi Officio fungebatur. Sæcul. VIII. A. C. 745.

At eum S. Bonifacius in Concilio criminis arguit affirmans, virum homicidii reum Sacerdotio fungi non posse. Præterea adjecit, quod eum suis vidisset oculis, ludentem cum avibus & canibus, quod Episcopum minime deceret. Itaque Gervilio a Concilio damnatur, & Episcopatu privatur. Ille quidem Romam appellare meditabatur; sed videns potestatem sæcularem Concilii judicio consentire, cessit.

§. LI.

Epistola ad Regem Merciorum.

Verosimile est S. Bonifacium ex hoc Concilio litteras dedisse ad Ethelbaldum Regem Merciorum: nam in iis non suo tantum loquitur nomine, sed etiam septem Episcoporum, nimirum Abelis Archiepiscopi Rhemensis, Sancti Burchardi, S. Willibaldi, & quatuor aliorum, qui minus noti nobis sunt. In Epistolæ exordio laudat Regem, quod eleemosynas largiter det, quod in Regno suo vim injustam prohibeat, Justitiam administret, & pacem conservet. Tum ad ea, quæ sibi proposuerat dicenda, transiens, *Ep. 19. ap. Bar. an. 745. v. ep. 10.*

Sæcul. VIII. A.C. 745.

iens, inquit; *Summo dolore percepimus, te nunquam duxisse uxorem legitimam, sed vagam sectari libidinem, atque etiam, malum! cum fœminis Religiosis fornicari.* Deinde adducit ex Sacra Scriptura Textus, qui docent enormitatem hujus peccati, illis sceleribus adnumerati, quæ a Regno Cælorum excludunt. His subjungit: *Ipsi pagani in vetere Saxonia adulterium & stuprum gravissimis pœnis prosequuntur. Si filiafamilias domui patris sui probrum intulit, si nupta datam marito thori fidem violavit, non nunquam compellitur, ut sibi ipsi laqueo gulam frangat, & postquam cadaver concremarunt, supra eundem rogum scortatorem suspendunt. Non nunquam convocant turbam mulierum, quæ ream per vicos raptant, & præcisis vestimentis usque ad cingulum nudatam cædunt, secant, cultris laniant, usquequo eam aut mortuam aut vix vivam derelinquant.*

1. *Cor.* 6. 19. 3. 17. 6. 9. *Prov.* 5. 30. 6. 26.

Deinde, quantum in subditos valeat Regis exemplum, docet, & addit, inde famam Gentis Anglorum in Italia & Francia proscindi, Deum in pœnam similis libidinis Hispaniam, Provinciam & Burgundiam Saracenis tradidisse, fornicationes & adulteria sæpe etiam homicidii causam esse, dum infelicissimæ meretrices sobolem in peccato genitam, ut infamiam effugiant, occidunt, atque tumulos

mulos corporibus & inferos miseris animabus satiant. Sæcul. VIII. A. C. 745.

S. Bonifacius præterea queritur, quod Rex privilegia Monasteriorum frangat, facultates auferat, & Præfecti ejus Monachos Presbyterosque graviore servitute premant, quam Antecessores ipsius. Tum adducit exempla Regum Ceolredi & Osredi, quos ob hæc scelera immatura & terribilis mors rapuisset.

His Epistolis adjecit duas alias unam ad Edbertum Archiepiscopum Eboracensem Wilfridi II. Successorem, alteram ad Herefridum Presbyterum, Regi carissimum & arcanorum omnium conscium. In iis dicit, se in hac causa nulla alia re moveri quam amore patriæ, Salutis Regiæ zelo, & mandatis Papæ, qui, cum se ad prædicandum Evangelium in Germaniam mitteret, jussisset, ut quoscunque Christianos, a via Salutis abductos, revocare omnibus viribus adniteretur. Rogat Archiepiscopum, ut sibi aliquos Bedæ libros mittat; ipse vero mittit aliquot S. Gregorii Epistolas, Roma acceptas, quas in Anglia reperiri non posse credit. *ep. 8. 10.*

§. LII.

Adalbertus & Clemens Hæretici.

Interim ut ea, quæ in Concilio decreta fuerant, effectui darentur, S. Bonifacius *Bonif. ep.* 135.

Sæcul. VIII. A. C. 745.

cius ad Zachariam Papam duas scripsit Epistolas; & illius, quæ ad nos usque pervenit, hujusmodi est initium: *Postquam me ante annos prope triginta Servitio S. Sedis obstrinxi, quidquid mihi lætitiæ vel tristitiæ accideret, Apostolico Pontifici solebam indicare, ut ejus consilio roborarer. Notum ergo sit Paternitati vestræ, quia postquam mihi indigno mandasti, Provinciæ Francorum præesse, multas persecutiones passus sum a falsis Episcopis, Presbyteris & Clericis impudicis, quorum unus, Adalbertus nomine, natione Gallus est, & alter, nomine Clemens, genere Scotus.*

Adalbertus in primæva ætate Hypocrita fuit, dicens, quod sibi Angelus Domini de extremis finibus Mundi attulerit miræ Sanctitatis Reliquias, & exinde potuerit omnia, quæcunque a Deo poposcisset, impetrare. Hac simulatione penetravit multorum domos, attraxitque ad se multitudinem mulierc ularum & rusticorum, dicentium, quod ipse esset vir Apostolicæ Sanctitatis, & miracula patrasset. Præterea conduxit data pecunia Episcopos indoctos, qui se contra præcepta Canonum absolute ordinarunt, id est sine determinata Sede. Unde tanta superbia elatus est, ut se æquipararet Apostolis Christi, & dedignatus in alicujus Apostolorum vel Martyrum honorem Eccle-

siam

siam consecrare, in proprium honorem de- Sæcul. VIII.
dicaret Oratoria. Fecit parvas Cruces A. C. 745.
& Oratoriola in campis, ad fontes, vel ubicunque sibi videbatur, & jussit ibi publicas orationes celebrari, ita ut populi spretis ceteris Episcopis, & dimissis antiquis Ecclesiis, in talibus locis Conventus agerent, dicentes: Merita S. Adalberti adjuvabunt nos. Ungulas quoque suas atque pilos dedit, qui cum Reliquiis S. Petri portarentur, & honorarentur. Tandem, quod maximum scelus & blasphemia est, venienti populo, ad pedes ejus prostrato, & cupienti confiteri peccata sua, dixit: Scio omnia peccata vestra, quia omnia occulta vestra mihi cognita sunt, ideoque non est opus confiteri ea; remissa sunt vobis peccata præterita, itaque securi de absolutione vestra revertimini in domos vestras in pace. (*) Denique Adalberti mores, habitus, incessus ea omnia referunt, quæ S. Evangelium Hypocritas facturos esse testatur.

Alter Hæreticus nomine Clemens Canones & Concilia, Tractatus & explicationes Patrum S. Hieronymi, S. Augustini,

(*) In hoc loco Cardinalis Baronius addit Reflexionem: *Vidisti, Lector! perseverantem jugiter in Ecclesia veterem usum confitendi occulta peccata Sacerdotibus &c.*

Sæcul. VIII. A.C. 745.

ni, S. Gregorii rejicit. Affirmat se posse duos filios in adulterio natos esse posse Legis Christianæ Episcopum. Item Judaismum introducens, justum esse dicit Christiano, ut viduam fratris sui defuncti accipiat uxorem. Dicit, quod JEsus Christus, descendens ad inferos, liberasset omnes damnatos etiam incredulos & Idololatras. Multa quoque alia horribilia contra Doctrinam Catholicam de Prædestinatione affirmat. Quapropter precor, ut datis ad Carolomannum Ducem litteris hos duos Hæreticos carceri mancipari cures, & nemo eis loquatur, vel in quocunque communicet. S. Bonifacius ad ferendam hanc Epistolam & Acta, quibus duo impostores convincebantur, Deneardi Presbyteri opera usus est. Aliam etiam dederat Epistolam ad Gemmulum Ecclesiæ Romanæ Archidiaconum veterem S. Bonifacii amicum, qui Summo Pontifici Epistolam reddidit, Acta, quæ miserat, exposuit, & supra S. Bonifacii spem permovit, ut Concilium celebraretur.

ep. 18. Bonif. epist. Germ. 148. inter Bonif.

§. LIII.

Concilium Romanum contra Adalbertum & Clementem.

to. 6. p. 1556

Concilium igitur celebratum est Romæ vigesima quinta Octobris Constantini Augusti anno vigesimo, post ejus Restitutio-

stitutionem quinto, Indictione decima quarta, seu anno Salutis septingentesimo quadragesimo quinto, præsidente Sanctissimo Domino Zacharia Papa præsentibus septem Episcopis Urbi vicinis, Presbyteris septendecim, cum Diaconis & Clericis reliquis in Palatio Patriarchali Lateranensi in Basilica Theodori, propositis in medio Sacrosanctis Evangeliis. Dicendi initium fecit Gregorius Notarius Regionarius & Nomenclator in hunc modum: *Deneardus Religiosus Presbyter. Legatus Sanctissimi Archiepiscopi Bonifacii Provinciæ Germanicæ pro velo ✝ est, & petit ingredi. Quid præcipitis?* Dictum est: *ingrediatur.* Ille ingressus ait: *Domine mi! cum juxta vestri Apostolatus præceptum Dominus meus Bonifacius Episcopus in Provincia Francorum Synodum congregasset, & illic falsos Episcopos Adalbertum & Clementem auctoritate Principum Francorum adjutus Sacerdotio privasset, obtinuit, ut in custodiam detruderentur. Illi vero nullum pœnitentiæ signum dant, sed adhuc populum seducunt. Proinde hanc vobis Epistolam offero, & rogo, ut eam coram Sancto Concilio recitari jubeatis.*

Sæcul. VIII. A. C. 745.

✝ *ad fores*

Cum Theophanes Notarius Regionarius & Sacellarius hanc legisset, Zacharias Papa dixit: *Audistis, quid in Epistola lectum sit de Sacrilegis illis, qui se A-*

Sæcul. VIII. A. C. 745.

postolis Christi meliores existimant. Episcopi & Presbyteri dixerunt: *Imo! sunt Ministri Satanæ, & præcursores Antichristi. Quis enim Sanctorum aliquando pro Reliquiis capillos suos, vel ungues populo colendos tradidit, quod Adalbertus fecit?* Tunc quia tardior hora erat, Papa dixit: *Alio die in vitam & gesta eorum inquiremus, & quid fieri debeat, pertractabimus.*

In secunda Sessione petiit Papa a Deneardo Presbytero, ut Adalberti vitam & alia Acta, quæ in manibus habebat, proferret. Primum lecta est vita, cujus, præmisso magnifico titulo, istud erat exordium: *De simplicibus parentibus fuit procreatus, & de Gratia Dei coronatus. Quia cum in utero matris esset, vidit genitrix ejus per visionem quasi egredientem vitulum de dextero latere suo, qui vitulus designabat gratiam, quam acceperat, antequam exiret e vulva.*

Adalbertus Sycophanta

Hoc solum vitæ ipsius initium Actis insertum est, at tota vita lecta. Dixitque Zacharias Papa: *Quid ad hanc blasphemiam respondetis? Sanctissimi Fratres!* Episcopus Epiphanius dixit: *Ex Divina profecto inspiratione motum est cor vestri Sancti Apostolatus, ut Fratrem nostrum Bonifacium & Francorum Principes commoneretis, in partibus illis post longa tempora Concilium esse convocandum,*

dum, ne ſchiſmata iſta & blaſphemiæ Sancto veſtro Apoſtolatui celarentur. Sæcul. VIII. A.C. 745.

Papa quæſivit ex Deneardo, an aliquid præterea legendum haberet. Deneardus reſpondit: *Ecce, Domine! Epiſtola qua utebatur Adalbertus, & divulgabat, eam eſſe JEſu Chriſti, ſibique de Cælo veniſſe.* Lecta eſt cum Titulo in hæc verba: *In nomine Domini! Incipit Epiſtola Domini noſtri JEſu Chriſti, quæ in Jeroſolymam cecidit, & per Michaelem Archangelum inventa eſt in Porta Ephraim, lecta & deſcripta per manum Sacerdotis, nomine Icoræ, qui eam miſit in Civitatem Jeremiæ alii Presbytero, nomine Talaſſio, & Talaſſius transmiſit eam in Arabiam alii Sacerdoti, nomine Leoban, & Leoban transmiſit Epiſtolam iſtam ad Vetfaniam civitatem, & recepit eam ibi Macrius Sacerdos, qui eam transmiſit in ſanctum montem Archangeli Michaelis, & per manus Angeli pervenit Epiſtola iſta in Civitatem Romanam ad ſepulchrum S. Petri, ubi claves Regni Cælorum conſtitutæ ſunt, & duodecim Presbyteri, qui ſunt in Romana Civitate, triduo vigilias cum jejunio & orationibus celebrarunt.* Nihil ultra Actis inſertum eſt, ſed tota lecta fuit Epiſtola. Qua recitata Zacharias Papa dixit: *Profecto, Cariſſimi Fratres, Adalbertus iſte redactus eſt ad inſaniam, &*

Sæcul. VIII. A. C. 745.

cuncti, qui hanc epistolam recipiunt, parvulorum more nihil sapiunt. Sed ne levioris animi homines ultra decipiantur, oportet hanc causam discutere. Episcopis consentientibus, reliqua ad aliam Sessionem, nempe tertiam, dilata.

In Sessione tertia Deneardus obtulit orationem ab Adalberto compositam, cujus exordium erat: *Domine! Deus omnipotens! Pater Domini nostri JEsu Christi,* ALPHA & OMEGA, *qui sedes super thronum altissimum, super Cherubim & Seraphim.* Et infra: *Precor vos & adjuro vos! Angelus Uriel, Angelus Raguel, Angelus Tubuel, Angelus Michael, Angelus Inias, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Simiel.* Tota Oratione perlecta Zacharias Papa dixit: *Quid dicitis ad hæc Carissimi Fratres!* Episcopi & Presbyteri responderunt: *Quid aliud agendum est, nisi ut omnia hæc concrementur, & Auctores anathematizentur. Nomina hæc, excepto Michaele, non sunt nomina Angelorum, sed Dæmonum. Juxta Sacram Scripturam non plura quam tria Angelorum nomina, Michael, Gabriel, Raphael(*), novimus.* Zacharias Papa dixit: *Optime judicatis, concremanda*

(*) In Libro IV. Esdræ mentio fit de Angelo *Uriel.* Unde patet hos Patres Librum illum jam tunc pro Canonico non habuisse.

da esse Adalberti scripta, sed opportunum est, ut in scrinio nostro conserventur ad æternam ejus confusionem. Nunc vero, quia omnia perlecta sunt, in utrumque Sententia ferenda est. Tunc Concilium, utriusque delictis summatim memoratis, sententiam contra Adalbertum, & Clementem pronunciavit, a Sacerdotio deposuit, iisque & Sectatoribus eorum, si in errore perseverarent, Anathema dixit. Huic Sententiæ Papa cum omnibus Episcopis & Presbyteris subscripsit. Tres Sessiones hujus Concilii eodem die, nempe uno die habitæ, datæ sunt. Sæcul. VIII. A. C. 745.

§. LIV.

Epistola Papæ ad S. Bonifacium.

Concilio soluto Zacharias Papa S. Bonifacio Acta misit, & scripsit prolixam epistolam, ultimo die Octobris eodem anno septingentesimo quadragesimo quinto datam, qua ad tres Bonifacii epistolas (una vero solummodo nobis superest) respondet. Ad primam respondens, solatur S. Virum, & animos addere contra malorum Christianorum molimina, & Infidelium incursus conatur. *Urbs ipsa Roma*, inquit, *propter peccata sua a Barbaris vastata est, sed consolatus est eam clementissimus Deus. Indicas populo tuo jejunia & supplicationes publicas. Nos quoque, licet indigni simus,* *Zach. ep. 9. ap. Othl. lib. II. c. 7.*

Sæcul. VIII. A. C. 745.

preces noſtras veſtris miſcebimus. Deinde Papa Concilium nuper celebratum, & propoſitum Principum Francorum, Sedem Metropoliticam Bonifacio in finibus paganorum erigere meditantium approbat. Tum ſequitur: *Quod ſpectat ad falſum illum Epiſcopum, de quo ad nos retuliſti, eſſe natum in adulterio, Clerici impudici & latronis filium, in omni licentia educatum, & multorum ſcelerum reum, qui aliquot Epiſcopos ſe nihilo meliores conſecravit, memoria utique tenes, nos te ſæpius per litteras monuiſſe, ne quemquam homicidam, aut impudicum, aut pœnitentem miniſtrare patiaris. De illis vero, quos baptizavit, aut Eccleſiis, quas conſecravit, inquirendum eſt tibi, an nomen Trinitatis adhibuerit, et an illo tempore Sacerdotii officia ipſi interdicta non fuerint. Si hæc invenies adjuncta, tunc demum ipſius facta rata habebis.* Falſus hic Episcopus Gervilio Moguntinus fuiſſe creditur. Rurſus Papa approbat, quod in Concilio Leptinenſi ſtatutum fuerat, ut unumquodque conjugium Servorum Eccleſiæ anno vertente duodecim denarios Principi in ſumptus belli contra Infideles, Saracenos, Saxones, Friſones rederet. De Presbyteris autem ob gravia peccata gradu Sacerdotali dejectis, qui pœnitentiam in Monaſteriis agere recuſantes, & ad Palatium Regis Francorum per-

pergentes; petebant, ut sibi bona Ecclesiæ concederentur, quæ more Sæcularium vivendo dispergerent, dicit Papa, quod ad Principes Francorum litteras commonitorias direxerit. Sæcul. VIII. A. C. 745.

Ad secundam epistolam, nempe illam, quæ in Concilio Romano in causa Adalberti & Clementis lecta fuerat, refert Papa, quæ in hoc Concilio gesta sint, & mittit Acta. Ad epistolam tertiam respondet: *Ille vero alter seductor, nomine Gervilio, olim Episcopus, qui inconsultis omnibus ad nos venit, ubi Romæ fuerit, faciemus, quod Deo placiturum crediderimus.* Tandem ratum habet Pontifex, quod Colonia in Sedem fixam Bonifacio fuisset delecta. Hanc epistolam ad S. Bonifacium mittendi curam in se suscepit Gemmulus Archidiaconus, qui aliam suo nomine & amicitiæ causa scriptam addidit, & quia S. Bonifacius sibi vas argenteum & textum lineum miserat, ipse in vicem duas libras piperis, cinamomi uncias quatuor, & quædam alia aromata transmisit. *ap. Bonif. ep.* 148.

Gervilione subjecto, magis e re fore visum est, S. Bonifacium in Sedem Moguntinam introducere, quæ Ecclesia priscis temporibus Provinciæ Romanæ, quæ prima Germania dicebatur, Metropolis fuerat. Postea subjecta est Ecclesiæ Colonienſi, quæ Metropolis utriusque Ger- *Coint. an.* 746. *n.* 34.

Sæcul. VIII. A. C. 747.

maniæ evasit. Sequente tempore, cum Wormatia duarum illarum Provinciarum Caput esset, eidem urbi subfuit Moguntia. Tandem occasione S. Bonifacii in dignitatem Metropoliticam postliminio restituta est, ejusque Jurisdictio super Episcopatus tredecim, nimirum super Ecclesiam Argentoratensem, Spirensem, Wormatiensem, Colonienſem, Leodiensem, Augustanam, Herbipolensem, Buraburgensem, Erfordiensem, Eichstätensem, Constantiensem, & Curiensem extensa. (*)

§. LV.

Concilium Cloveshovienſe.

Tom. 6. Conc. p. 1565.

Cuthbertus Archiepiscopus Cantuariensis & Ethelbaldus Rex Merciorum S. Bonifacii monitis obsequentes Concilium Nationale in Anglia Clovesho-viæ initio mensis Septembris anno septingentesimo quadragesimo septimo Indictione decima quinta exeunte celebrarunt. Cum Archiepiscopo Cuthberto aderant Episcopus Rofensis, Episcopi tres ex Regione Merciorum, duo ex Saxonia Occidentali, ex Anglia Orientali unus, ex

(*) Hic non tredecim sed solum duodecim Episcopatus enumerantur. Quod inde est, quia Episcopatus Paderbornensis a Carolo Magno fundatus demum circa annum 799. accessit.

ex Saxonia Orientali unus, ex Saxonia Meridionali unus, & duo ex aliis Provinciis, universim Episcopi duodecim. Aderant quoque multi Presbyteri & Clerici minores, Rege Ethelbaldo cum Regni Proceribus præsentibus. Cum Archiepiscopus duas Zachariæ Papæ epistolas protulisset, lectæ sunt, & in lingua vulgari explicatæ. Continebant vero monita salutaria ad omnes incolas magnæ Britanniæ directa. Hortabatur Pontifex, ut mores ad Christianæ Doctrinæ regulam componerent, illis anathema comminatus, qui monita paterna contemnerent. Verisimile est, lectam quoque fuisse Epistolam S. Bonifacii ad Cuthbertum, cum illa huic Concilio præposita occurrat. Sæcul. VIII. A. C. 747.

Postquam igitur Episcopi Angli sæpius consilia contulissent, Homiliis quoque S. Gregorii & Decretis Patrum examinatis condiderunt triginta Canones, quorum plerique continent monita generalia Episcopis data, ut suo officio satisfaciant, & antiquas Regulas Ecclesiasticas servent. Nihilominus aliqua notatu digna sunt. Quamvis Ecclesia horreat abusum, quo Sæculares aliquorum Monasteriorum possessionem invaserant, statuitur tamen, ut Episcopus etiam illa Monasteria adeat, & provideat, ne Sacerdotum Ministerium in illis defit. c. 5.

Sæcul. VIII. A. C. 747.

c. 10.

desit. Omnes Presbyteri Symbolum Fidei, Orationem Dominicam, sacrosancta verba, quæ in Missæ celebratione, & officio Baptismi, item quæ in aliis Ritibus Ecclesiasticis solemniter dicuntur, interpretari & vulgari lingua exponere discant.

In Ecclesia sobrie cantent & simpliciter juxta consuetudinem, & qui nesciunt cantum, his satis sit, si legendo pronuncient. Omnia Festa toto anno celebrentur juxta exemplar Martyrologii Romanæ Ecclesiæ. Nunquam antea hujus Martyrologii occurrit mentio, credoque, verba Concilii de Martyrologio Bedæ esse accipienda. Speciatim præceptum, ut Festum S. Gregorii, & S. Augustini Discipuli ejus, vigesimo sexto Maji celebraretur. Ad frequentem Communionem invitantur non solum Monachi, sed inter Laicos etiam pueri, qui necdum videlicet lascivientis ætatis corruptela sunt vitiati, & provectioris ætatis homines, qui peccare desinunt. Hoc Concilium quidem ad dandam eleemosynam Fideles excitat, sed damnat jam tunc irrepentem abusum, quod vellent non nulli pœnas canonicas a Presbytero in satisfactionem peccatorum sibi injunctas minui aut commutari, si largius eleemosynas darent. Eleemosyna magis pœnitentiam augeat, sed peccatores ab obligatio-

c. 12.

c. 13.

c. 23.

c. 26.

gatione orandi & jejunandi non eximat præsertim illos, quibus expedit, macerare carnem suam peccatorum occasionem & irritamentum. Illi quoque damnantur, qui putabant, pro pœnitentia sibi injuncta satisfieri posse, si alii pro ipsis jejunarent aut Psalmos canerent. *Eadem caro*, dicunt Patres, *quæ ad peccandum incitavit, pœnam subeat; quia alias, si ita placari per alios possit Divina Justitia, divites facilius salvarentur quam pauperes, contra, quam Evangelium verbis expressis promittit.* Cuthbertus Archiepiscopus statim per unum Diaconorum suorum hujus Concilii Acta misit ad S. Bonifacium Moguntinum, qui rescribens magnam animarum utilitatem inde proventuram eidem gratulatus est.

Sæcul. VIII. A. C. 747.

c. 27.

Matth. 19. 23.

§. LVI.

Carolomannus mundo valedicit.

Eodem anno 747. Carolomannus Sæculo valedixit, Princeps bello clarissimus, Alemannorum, Bavarorum, Saxonum in acie sæpius victor; at insigni pietate & Religionis amore illustrior, dum S. Bonifacium contra Adversarios magno animo defendit, Concilia convocari præcepit, dum in loca & causas pias munificentissimus extitit. Ergo defuncta uxore mundum reliquit, tum desiderio Regni Cœle-

Act. SS. Ben. to. 4. p. 123.

Sæcul. VIII. A. C. 747.

Cœleſtis captus, tum ob ſubeuntem pœnitentiam, quod anno 746. magnam Germanorum rebellium multitudinem truc. 115. 116. cidari juſſiſſet. Anno ſequente, Regni ſui ſeptimo, Ditiones ſuas, nempe Franciam Orientalem, atque Tutelam Drogonis filii ſui Pipino Fratri relinquens receſſit.

Cont. Fred. *Ann. Fuld.*

Carolomannus, iter Romam verſus capeſſens, primum venit ad S. Galli Monaſterium, ante annos viginti ſeptem in loco receſſus & ſepulturæ ſancti illius Viri fundatum. Eccleſia ibi olim ædificata, cui aliquot Clerici miniſtrabant, multa, quæ edebantur, miracula, magnum populi confluxum attrahebant, & multæ afferebantur oblationes, imo agri quoque huic Eccleſiæ donabantur; unde Waldramus illius loci Dominus, videns quod reditus in res profanas profunderentur; qui ad alendam Monachorum congregationem poſſent ſufficere, a Victore Comite Corienſi petiit ſibi dari Presbyterum, Virum Sanctum, nomine Othmarum ſeu Audomarum in ipſius Domo diverſantem, eique hanc Eccleſiam cum ditionibus ad eam pertinentibus tradidit. Ut opus, quod inceperat, firmum eſſet & ratum, Waldramus Carolum Martellum adierat, eique Dominium & proprietatem in Cellam Anachoreticam S. Galli ceſſerat, rogans ut illuc Othma-

Sup. lib. XXXVII. §. 8. *Act. SS. to. 2. pag. 255.* *Mirac. c. 2.*

Othmarum introduceret. Consensit Princeps, jussitque ibi condi Monasterium. Hæc fuere Principia notissimæ Abbatiæ Durgaugiensis seu S. Galli, quæ posteriore tempore celeberrima in Germania Monasticæ Disciplinæ schola extitit. Fundatio ista ad annum septingentesimum vigesimum refertur. Huc igitur Carolomannus divertit, & datis ad Fratrem suum Pipinum litteris rogavit, ut in fraterni amoris pignus, quod ipse abdicatis jam omnibus non posset, huic Monasterio cujusdam boni immobilis donationem faceret. Pipinus, quod petebatur, fratris precibus dedit. Sæcul. VIII. A. C. 747.

Carolomannus iter prosecutus, ubi cum servulorum fidissimis Romam pervenit, S. Petro aliquot dona, & inter alia grandem arcum argenteum, septuaginta librarum seu centum & quinque marcarum obtulit, seque ipsum S. Apostolo dedicans, monasticum habitum de manu Pontificis accepit. Ad montem Soractem deinde se recepit, ibique Monasterium construxit in honorem S. Silvestri Papæ; quippe hic S. Papa, ut persecutionem fugeret, ibi latitasse ferebatur. Cum Carolomannus in hoc Monasterio aliquamdiu mansisset, & multi nobiles Franci, Romam voto se exsolvendi causa peregrinantes, illuc venirent, ut Principem, Dominum antea suum, salutarent, *Anast. in Zach.*

Sæcul. VIII. A. C. 747.

rent, hominum frequentiam exosus relicto monte Soracte ad Montem Cassinum & Monasterium S. Benedicti se contulit, ubi juramento se adstrinxit, quod reliquum vitæ tempus ibidem perseverare vellet, id est, votum stabilitatis secundum Regulam emisit. Igitur sub Petronace Abbate adhucdum superstite Carolomannus in rigidissima vitæ monasticæ Disciplina exercebatur, atque in culina ministrasse (*), greges ruri pavisse, in horto laborasse dicitur.

Chr. Cassin. l. 1. c. 7.

§. LVII.

Rachis Rex, Monachus.

Haud multò post tempore Rachis quoque Rex Longobardorum in monte Cassino Monachum induit, quod ut caperet

(*) Regino in Chronico præter alia de Carolomanno narrat: *accidit autem, ut juxta quod mos est, ad coquinæ officium deputaretur. Quod cum libenter quidem faceret, sed in multis ignoranter offenderet, coquus vino æstuans (& nesciens quod esset Carolomannus) ei alapam dedit, dicens: ita te fratribus deservire oportet? cui ille nihil motus placido vultu respondit: indulgeat tibi Dominus, frater! & Carolomannus!* Cum id tertio fieret, comes individuus, cui soli Carolomannus notus erat, *arripuit pilum unde panis in olera patrum mittendus conterebatur, & cum omni adnisu coquum percussit dicens: nec tibi Deus parcat, serve nequam! nec Carolomannus indulgeat!*

peret consilium, Zachariæ Papæ hortatus effeciſſe creditur. Quippe cum nuncium fuiſſet allatum, Rachim Peruſium obſidere, Zacharias ad eum ſe contulit, tumque oblatis magnis donis, tum inſtantiſſimis precibus obtinuit, ut obſidionem ſolveret. Imo non hic ſtetit Regis converſio, ſed ex Pontificis colloquio usque adeo rerum Cœleſtium deſiderio accenſus eſt, ut paucos poſt dies, depoſita Dignitate Regia, qua annis quinque & dimidio fulſerat ab obitu Luitprandi, Romam veniens, & habitum Monaſticum e manibus Zachariæ Papæ accipiens, Montem Caſſinum petierit, ibique usque ad mortem perſeveraverit. (*) Etiamnum poſt annos trecentos monſtrabatur vinea ab hujus Regis nomine dicta, quam manibus ſuis plantaſſe & coluiſſe ferebatur. Regia uxor Taſia & filia ejus Ratrudis cum Rege mundum relinquentes haud procul inde Monaſterium Virginum in loco, qui Plumbariolus dicebatur, licentiam concedente Abbate Petronace, condiderunt, ubi collatis

Sæcul. VIII. A. C. 747.

Anaſt. in Zach.

Chr. Caſſ. l. 1. c. 8.

(*) Felix Sæculum Benedictinum, quo Monachorum Sanctitas, morum ſimplicitas & ſtrictiſſima Regulæ obſervatio non vulgaris modo conditionis homines, ſed etiam Maximos Principes & coronatos vertices ad hujus Inſtituti amplexum invitabant?

Sæcul. VIII. A. C. 747.

tis multis possessionibus reliquos vitæ dies sanctissime transegerunt. Rachis coronam dimisit anno 750. & Successorem habuit in Regno Longobardorum Aistulphum fratrem suum. Sub idem tempus Gisulfus Dux Beneventanus Regis Luitprandi nepos ad montem Cassinum divertens, cum ei Monachorum piissima conversatio summopere placuisset, totum in circuitu territorium huic Monasterio donavit. Uxor quoque ejus, quæ Scauniperga vocabatur, Idolorum Templum in monte Cassino extructum, in Ecclesiam honori S. Petri dedicatam convertit, imagines, & quæ ad officium Divinum celebrandum necessaria erant, intulit. Petronax Abbas e vivis abiit anno septingentesimo quinquagesimo, postquam illi Monasterio annis triginta præfuisset. Is a tempore S. Benedicti Abbas sextus fuit, & Optatum Successorem habuit.

Act. SS. Ben. to. 3. p. 697.

§. LVIII.

Epistolæ Zachariæ Papæ in Franciam datæ.

Pipinus misso Romam Presbytero Ardobano, consentientibus Episcopis, Abbatibus & Regni Proceribus, Zachariam Papam consuluerat de variis quæstionibus Disciplinam respicientibus, quæ ad tres summatim articulos, nimirum de Ordine

Ordine Episcopali, de pœnitentia homicidarum, & conjugiis illicitis referebantur. Optimates quoque Francorum missis ad Papam legatis indicaverant, quod Civitatem Moguntinam in Metropolim elegissent. Et tandem S. Bonifacius opera S. Burchardi Episcopi Herbipolensis, Romam proficiscentis, ad Papam epistolas dederat, in quibus querebatur de Virgilio Presbytero, quod accepto Romæ responso sibi favente circa baptismum verbis barbaris administratum, inde reversus se jactasset, dimissum se a Pontifice, addito promisso, ut uni quatuor illorum Episcoporum, quos S. Bonifacius in Bavaria constituerat, nempe qui prior decessisset, succederet. Item quod inter se & Ducem Odilonem rixarum semina spargeret, & quod non nullos errores doceret. Hæc omnia ex Zachariæ Papæ Responsis dispicimus. Sæcul. VIII. A C. 747. *Sup.* §. 47. *Sup.* §. 23.

Epistola responsoria prima data est ad Pipinum Majorem Domus, ad Episcopos, Abbates, & Proceres Franciæ, quos exhortatur, ut singuli officio suo satisfaciant. Sæculares adversus Infideles fortiter dimicarent, Clerici pugnantes Laicos precibus & consilio adjuvarent. Tum respondet ad articulos viginti septem, de Auctoritate Metropolitarum, de Episcopis, de Presbyteris, aliisque Clericis reis vel condemnatis, de Presbyteris rebelli- *Zach. ep.* 7.

Sæcul. VIII. A. C. 747.

bus vel vagabundis, de continentia Clericorum, de conjugiis illicitis, & homicidis. Ad hos Articulos Papa nihil aliud respondet, quam quod referat antiquos Canones in Codice Ecclesiæ Romanæ contentos, scilicet Canones Apostolorum, Nicenos, Antiochenos, aliosque & demum Pontificum Decretales. Unde deprehenditur, hos Canones ultra Alpes non satis fuisse cognitos. Huic epistolæ juncta est alia, speciatim ad S. Bonifacium data, in qua præcipit Papa, ut convocata Synodo hæc Decreta legantur. Præterea tres viri Sacrilegi Adalbertus, Godolsacius & Clemens in ea producantur, eorumque causa iterum exacte excutiatur. His Papa subjungit: *si vero innocentes se pertinaciter affirment, mitte eos cum duobus tribusve prudentissimis & sapientissimis Episcopis ad nos, ut eorum causa coram Sacra Sede examinetur, & finiatur.* Nullibi alias de hoc Godolsacio quidquam legimus. Sed istud notari meretur, quod Papa causam Adalberti & Clementis jam antea in Concilio Romano judicatam, iterum discutiendam in ipsis locis remittat; forte ideo, quod in Romano Concilio non fuerint præsentes. Hæc epistola data est quinto Januarii, anno Constantini Imp. vigesimo octavo, post ejus reditum sexto, Indictione decima quinta, atque ex his

duæ-

duabus notis conficitur annus septingen- Sæcul. VIII.
tesimus quadragesimus septimus. Quod A. C. 748.
magis verisimile videtur.

§. LIX.

Responsa Sancto Bonifacio data.

Anno sequente Pontifex datis ad S. Bo- *ep.* 10. *ap.*
nifacium litteris una scriptione ad *Othl. c.* 9.
multas quæstiones respondit. Prima quæstio versabatur circa Baptismum, cujus valorem nec a probitate nec ab improbitate Ministri dependere S. Bonifacius credebat. Hujus rei veritatem Papa confirmat; sed illos dicit esse baptizandos, quorum vel incertus est baptismus, vel non est collatus in nomine trium Personarum de Trinitate. De Baptismo autem sub conditione nulla mentio. Subjungit Pontifex: *Retulisti ad nos, quod* *p.* 1519.
inveneris impostores Catholicis Presbyteris numero plures, qui nomen Episcopi aut Presbyteri falso gerunt, cum a veris Episcopis nunquam fuerint ordinati, qui populis illudunt, Ministerium Ecclesiæ turbantes, dolorum artifices, errantes, parricidæ, adulteri, incesti, hypocritæ, Sacrilegi. Item quod sint multi Servi tonsurati, qui fugerunt Dominos suos, qui, cum Diabolo serviant, transfigurant se in Ministros Christi, sine Episcopis proprio arbitrio viventes, qui populares habent contra Episcopos defensores, ne eorum im-

Sæcul. VIII. A. C. 748

probitatem coerceant. Qui seorsum populum consentaneum congregant per agrestia loca, & per cellas rusticorum, ubi eorum imperita stultitia celari Episcopi possit. Nec fidem Catholicam paganis prædicant, nec ipsi fidem rectam habent. Catechumenos verba solemnia professionis fidei non docent, nec renunciare Dæmoni. Non formant signaculum Crucis super eos ante Baptismum. Ubicunque igitur ejusmodi Satanæ Ministros deprehenderis, in futuro Concilio Provinciali eos Sacerdotio priva, & Regulæ Monasticæ subjice, sub qua vitam emendent, pœnitentiam agant, & moriantur. Si non convertantur, tu non ideo merito Justitiæ privaberis. Hic videmus, qui fuerint illi falsi fratres, quibuscum S. Bonifacius tempore Prædicationis suæ conflictabatur.

In eadem epistola Pontifex damnat quemdam Presbyterum Scotum, nomine Samsonem, docentem, homines Christianos fieri posse sine baptismo sola impositione manuum Episcopi. Et post alia dicit: *Retulisti etiam ad nos quædam de illo Virgilio, de quo nescimus, an dicatur esse Presbyter, quod tibi, quia errores ejus refutas, nocere conetur, dissensionem inter te & Odilonem Ducem Bavariæ fovens, & dicens, nos ideo ipsum misisse, ut in Sedem alicujus ex quatuor Episcopis, a te ordinatis, evehatur. Quod ad ejus perversam*

Doctri-

Doctrinam spectat, si convincatur docere, dari alterum Mundum, & alios sub terra homines, (*) alium solem, & aliam lunam, eum in Concilio Sacerdotio privatum ex Ecclesia ejice. Datis quoque litteris ad Ducem Bavariæ postulavimus, ut Virgilium ad nos mittat, a nobismetipsis examinandum, & juxta Canones judicandum. Ipsi Virgilio & Sidonio datis litteris pœnas Canonicas minati sumus; sed potius tibi quam ipsis fidem habemus. In hac quoque epistola approbat Confessionem Fidei a S. Bonifacio tam suo quam quorumdam aliorum Episcorum Franciæ nomine sibi missam, & Gratias Deo agit, quod eos ad unitatem Sacræ Sedis reduxerit. Ad hos etiam Episcopos alteram

Sæcul. VIII. A. C. 748. Antipodes.

(*) Hic est S. Virgilius, postea Episcopus Salisburgensis, de quo in Historia Salisburgensi Lib. II. Cap. IX. hæc leguntur: *Facile tamen orbi Christiano se purgavit, suamque opinionem communi postea calculo receptam, & tum ratione, tum nostrorum Sæculorum experientia comprobatam persuasit; cum ostendit, non se alterum orbem fingere, sed unum eundemque orbem a Deo conditum, ab eodem Protoparente propagines vitæ & peccati ducentem, a Christo eodem impendio redemptum, sphæricum corpus esse, utrinque habitatum, quod vel solaris globi & siderum cælorumque circumvolutio ostenderet. Sed & apud Romanam Curiam se perpurgasse argumento est, quod non multis post annis cum plausu Cathedræ Salisburgensi Pontificis ipsius suffragio admotus fuerit.*

Sæcul. VIII. A. C. 748.

dedit epistolam, eorumque nomina tredecim ex quatuor Provinciis Moguntina, Rhemensi, Rothomagensi, & Senonensi apponit. Laudat Præsules, quod tam inter se, quam cum Ecclesia Romana sint concordes, hortaturque, ut Bonifacium Sacræ Sedis Legatum adjuvent.

Epistolæ ad S. Bonifacium.

Quia S. Bonifacius petierat, ut Papa Episcopum in Franciam mitteret, respondet: *Donec te Deus incolumem servabit, non opus est mittere alium, qui vices tuas gerat. Mitte tales, qui tibi idonei videbuntur, ad prædicandum Evangelium in loco a te designando, & cura, ut Concilia celebrentur.* Approbat deinde, quod Franci Moguntiam in Metropolim & Sedem Bonifacii elegissent. Suadet, ut ab ea non discedat, sed licentiam dat, in senectutis suæ solatium Episcopum ordinandi illum, quem dignum sibi Successorem fore existimaverit, nempe Coadjutorem. Hæc epistola primo Maji, anno Constantini vigesimo nono, Indictione prima, seu anno Salutis septingentesimo quadragesimo octavo data est. Extat & alia triennio tardius nempe post annum septingentesimum quinquagesimum primum data, in qua Summus Pontifex, ut faveat S. Bonifacio & Successoribus ejus, Dignitatem Sedis Metropoliticæ Ecclesiæ Moguntinæ confirmat, & Civitates Tungrensem, Colonienſem, Wormatienſem, Spiren-

Zach. ep. 13. *ap. Othl. c.* 14.

Spirenſem, Ultrajectenſem, omnesque Germaniæ civitates, quo S. Bonifacius Fidem Catholicam invexiſſet, eidem ſubjectas eſſe declarat. Sæcul. VIII. A. C. 751.

Præterea huic epiſtolæ junctum erat Reſponſum ad aliam epiſtolam Papæ a S. Bonifacio per Lullum Presbyterum miſſam, in qua inter alia dicebat: *in vaſtiſſima Silva eſt locus deſertus in medio populorum noſtræ Miſſionis, ubi Monaſterium conſtruximus, & induximus Monachos Regulam S. Benedicti obſervantes, ſtrictiſſime abſtinentes a carnibus, a vino, & cereviſia, ſine famulis, labore manuum ſuarum contenti. Hunc locum piorum virorum & præcipue Carolomanni, olim Francorum Principis liberalitate acquiſivi, Salvatori noſtro dedicavi, eſtque mihi propoſitum cum conſenſu veſtro in refocillationem ſenectutis meæ ibi per aliquot dies quieſcere, & poſt mortem meam ibi-dem ſepeliri.* Nemo non videt, hunc locum eſſe Abbatiam Fuldenſem.

to. 6. Conc. p. 1530. Othl. lib. II. c. 2. Bonif. ep. 141.

ep. 12. ap. Othl. c. 12.

Zacharias Papa dato ad hanc epiſtolam reſponſo S. Bonifacio pro illo Monaſterio privilegium concedit, quod in litteris ſeparatis habetur. In iis Pontifex illud Monaſterium a Jurisdictione cujuscunque Epiſcopi, excepta Sacra Sede, eximit, & prohibet, ne quis Epiſcopus, niſi ab Abbate invitatus fuerit, ibi Miſſam celebrare præſumat. Hoc mihi om-

ep. 14. Othl. II. c. 15.

Sæcul. VIII. A. C. 751.

nium primum ejusmodi exemptionis exemplum occurrit.

art. 1. Papa in epistola principali, qua ad quæstiones a Lullo in quodam commentario sibi oblatas respondet, vetat Chri-
art. 9. stianos comedere varia volatilia, aliaque animalia, sive ut ipsorum sanitati consuleret, sive ut homines barbaros ad aliarum nationum mores adduceret.
art. 2. Tum subjungit: *De igne autem Paschali hæc est apud nos traditio: quinta Feria Paschæ dum Sacrum Chrisma consecratur, tres lampades magnæ capacitatis, oleo ex diversis Ecclesiæ candelis collecto, in secretiori Ecclesiæ loco ad figuram interioris Tabernaculi indeficienter maxima adhibita diligentia ardent, ita ut oleum ipsum sufficere possit usque ad diem tertium. De crystallis autem, ut asseruisti, nullam habemus traditionem.* Erant hæc crystalla vel specula caustica, vel novus ignis ex lapide excitabatur. Ex his dispicimus, hodiernum Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, ignem ex cote excutiendi ad accendendum cereum paschalem non esse morem primævum. Post pauca prosequitur Papa: *bonum & congruum est, an-*
art. 7. *te annum trigesimum neminem Presbyterum ordinari, sed si necessitas postulet, a viginti quinque annis ordinentur secundum legem Ministerii Levitarum. Quod*
art. 11. *spectat ad ordinationes a te factas extra*

tempus

tempus legitimum, Deum precamur, ut tibi indulgeat, scimus enim quod partim necessitas & paupertas ordinandorum, partim bonus zelus dilatandi fidem te ad id faciendum compulerit. Hujusmodi erant illo ævo Dispensationes. Nempe indulgentia post culpam commissam, non vero facultas ad eam imposterum admittendam tribuebatur. *Si Presbyterorum, qui de Laicis ad ordinem promoti fuere post crimina admissa, manifestata fuerit iniqua actio, Sacerdotali habitu priventur, & pœnitentiæ submittantur.* Sæcul. VIII. A. C. 751. 13.

Milonem quod contingit, & hujus farinæ homines, qui Ecclesiis plurimum nocent, eis secundum præceptum Apostoli opportune importune prædica. Si acquieverint admonitionibus tuis, salvabunt animas suas, sin vero, non perdes mercedem tuam. Hic est ille Milo Sedis Rhemensis usurpator, duobus adhuc annis superstes, & in venatione ab apro, quem insectabatur, anno 753. percussus in Silva prope Treviros, quæ hodieque ab eo nomen habet. Subjungit Pontifex: *Episcopus autem ille condemnatus latro & fornicator, qui post degradationem res Ecclesiæ sibi vendicare nititur, hic omnino ac destabiliter respuendus est.* Hic Pontifex loquitur de Gervilione, qui aliquamdiu Bona Ecclesiæ Moguntinæ sibi retinere volebat. At sequente tempore idem Gervi- 8. 2. Timoth. 4. 2. Zachariæ Papæ Epistolæ. *Bruwer. VII. ann. Trevir. c.* 10. 15. *Ser. II. rer. Mog.*

Sæcul. VIII. A. C. 751. Gervilio quæcunque habebat, greges & servos, Ecclesiæ donavit, uno fundo, unde aleretur, sibi concesso contentus, ubi annis quatuordecim Christianam vitam duxit, hospites suscipiens, & nunquam Moguntiam se conferens, nisi quandoque in Cœna Domini, ut aliorum pedes lavando in Ecclesia humilitatem profiteretur.

Tum Zacharias Papa in Epistola ad art. 14. S. Bonifacium hæc habet: *quando Pagani te persequuntur, si fieri potest, & locum inveneris, a prædicatione non desistas, sed instes. Si autem tolerare non valueris eorum persecutionem, habes præceptum Dominicum; transi ad aliam Ci-*
16. *vitatem. Sclavi Christianorum terram inhabitantes sine dubio tributum pendant, ut cognoscant hanc terram habere suum Dominum. Si enim sine tributo sedeant, ipsam aliquando sibi vindicabunt terram.* Hi Sclavi adhucdum Infideles erant.
17. Tandem S. Bonifacius Papam interrogaverat, quot in locis in Sacri Canonis celebratione cruces fieri debeant, quod Papa in commentario separato, quem tradidit Lullo Presbytero, indicavit. Hæc epistola quarto Novembris anno Constantini trigesimo secundo Indictione quinta seu anno reparatæ Salutis septingentesimo quinquagesimo primo data est.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XLIII.

S. ZACHARIAS PAPA.
CONSTANTINUS COPR. IMPERAT.
AISTULPHUS REX.

§. I.

Pipinus Rex Franciæ.

Sanctus Burchardus Episcopus Herbipolensis causam majoris momenti, quam ea fuere, de quibus Libro superiore egimus, Romæ pertractavit. Illuc enim missus est cum Fulrado Pipini Principis Capellano, ut Zachariam Papam consuleret, quid faciendum cum Regibus Franciæ, qui a longo jam tempore Regis nomen sine ulla Auctoritate gerebant; nimirum

Sæcul. VIII. A. C. 752.

Ann. Boisel. an. 749. Fuld. an. 751.

Sæcul. VIII. A. C. 757.

mirum quærebatur, an expediret, ut res in illo ſtatu relinqueretur. Reſpondit Papa; ad rei naturam magis accedere, ſi Regis nomen in Francia illi tribueretur, qui poteſtate Regia potiebatur. Hoc Reſponſo in Franciam delato Pipinus juxta Francorum conſuetudinem Rex eligitur (*), & manibus Sancti Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini pluribus aliis Epiſcopis aſſiſtentibus conſecratur. Bertrada quoque ejus conſors thori Regina ſalutatur. Idque Sueſſione anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, primo die, ut creditur, Martii actum. Ultra annos ſexdecim regnavit Pipinus, qui Stirpis ſecundæ Regum Francorum primus fuit. Childericus III. Rex Stirpis primæ ultimus, Princeps juvenis, ſimplex

Ann. Petav. 752. *Metens.* 750. *vid. Mabill. to. 4. act. SS. Ben. p.* 88. *n.* 4.

Cont. 3. *Fredeg. cap. ult. fragm. inter opera Greg. Turon. p.* 199 *Coint. an.* 752. *n.* 194.

(*) Exemplum prorſus ſingulare Regis, non ideo quod Reipublicæ noceret, ſed quod nihil prodeſſet, de ſolio dejecti! Si non omnes Stirpis Merovingicæ poſtremi Reges, ſed tantum unus alterve deſidia torpuiſſent, culpa ſua propria Regno indigni dici potuiſſent; nunc vero cum ab integro Sæculo Regis nomine contenti poteſtatem Palatii Præfectis relinquere veriſimiliter coacti fuerint, culpa potius in Proceres & inprimis in ſupremos Præfectos rejicienda videtur; nihil enim mirum, quod Regum iſtorum filii non majorem poteſtatem expeterent, quam a parentibus ſuis accepiſſent. Cur Majores Domus Regum

plex, & a ſuis contemptus in Monaſterium Sitivienſe ſeu S. Bertini detruditur; filius autem ejus Theodoricus in Monaſterium Fontanellenſe migrare juſſus. Sæcul. VIII. A.C. 752. *Chr. Fontan. c. 13. Ann. Fuld. 751.*

S. Fulradus, quem ad tantum negotium adhibuerant, in Alſatia nobilibus parentibus natus, in illa Provincia opulentiſſimus, Presbyter erat & Archicapellanus Palatii, ſeu ut alibi nuncupatur Archipresbyter Franciæ, quod ita accipiendum; nempe omnes Palatii Clericos ipſius Regimini fuiſſe ſubjectos. Namque ex epiſtola S. Bonifacii ad ipſum data diſpicitur, optime gnarum fuiſſe, quanta apud Pipinum Regem ejus eſſet Auctoritas. Jam anno nono Regis Childerici nempe ſeptingenteſimo quinquageſimo Abbatiæ S. Dionyſianæ in Francia præerat. In patria ſua S. Fulradus Monaſte- *Elog. to. 4. Act. SS. Ben. p. 334.* *Bonif. ep. 92.*

gum ſuorum pueritiam ad facta antiquorum Regum illuſtria reſpicere non docuerunt? cur ad Regnum proprio auſpicio capeſſendum teneram eorum ætatem non inſtituerunt? nimirum hac via ipſi nunquam ad Regnum perveniſſent. Ergo â miſero Childerico totius Francorum Nationis conſenſui & voluntati, cum præterea Zachariæ Papæ conſilium accederet, cedendum fuit. At in vicem ſimilia prope fata Stirps Carolina experta eſt, cum ſub finem Sæculi X. ab Hugone Comite Pariſienſi, & Hugone Capeto diu preſſa, & tandem eo modo, quo olim Merovingica, ex Francorum conſenſu Regno privata eſt.

Sæcul. VIII. A. C. 753. nasteria Leberathense & S. Hypoliti, hodie *S. Bilt*, prope Seleſtadium, S. Privati in Diœceſi Metenſi & quædam alia fundavit.

§. II.

Concilium Vermerienſe.

Coint. an. 753. n. 1. to. 6. Conc. pag. 1657. to. 1. Capit. p. 162. Rex Pipinus anno Regni ſui ſecundo, nempe anno Salutis ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio conventum Francorum Vermeriæ celebravit, ubi viginti & unus Canones ad Diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentes conditi creduntur. Plerique circa Matrimonium verſantur. Matrimonium in tertio propinquitatis gradu contractum nullum ſit, atque peracta pœnitentia utraque pars ad alias nuptias tranſire poſſit. *c. 1.* In quarto gradu *c. 2. 10. 11. 12. 18.* conjunctis ſolum pœnitentia injungitur, & non ſeparantur, ſed ad ineundum tale matrimonium licentia non conceditur. *c. 5.* Qui inceſtavit privignam, novercam, uxoris ſororem vel conſanguineam, nunquam vel illam vel quamcunque aliam ducere poſſit. Eadem pœna mulieri hujusmodi criminis reæ ſtatuitur. At pars innocens ad ſecundas nuptias tranſire poſſit; ſcilicet poſt mortem conjugis. Si mulier in necem mariti conjuravit & ipſe cum moderamine inculpatæ tutelæ aggreſſorem occiderit, illam dimittere poſſit, & poſt ejus mortem aliam ducere.

Quod

Quod ei nullatenus concederetur, si crederetur homicidii reus. Mulier vero rea nunquam alii nubere possit. Scilicet pœnitentiæ pro magnis criminibus injunctæ pars erat a nuptiis perpetuo excludi. Sæcul. VIII. A. C. 753.

Nemo ducat mulierem, quæ legitima vel illegitima Presbyteri uxor fuerit. Presbyter qui mulierem invitam velaverit, deponatur. Non veletur, nisi consenserit maritus, quod si consenserit, aliam ducere non possit. Servitus reddit matrimonium nullum, ita ut si quis mulierem servam duxerit, credens esse liberam, aliam ducere possit. Pari modo res se habeat, si mulier libera servo ignorans nupserit. Servum & servam conjuges, si diversis dominis venumdati fuerint, exhortari oportet, ut in suo statu permaneant. Clerici arma non gestent. Ordinationes ab Episcopis vagis factæ nullæ sint. Hi sunt hujus Concilii Canones, qui præ cæteris utiles, & clari mihi videbantur. *c.* 4. *c.* 16. 13. *c.* 19. *c.* 16. *c.* 14.

§. III.

Zachariæ Papæ obitus.

Zacharias Papa ad Dominum migravit mense Martio anno septingentesimo quinquagesimo secundo Indictione quinta, postquam annos decem, menses tres, & dies quatuordecim Sacram Sedem obtinuis- *Anast.*

Sæcul. VIII. A. C. 753.

tinuisset. Cum Mercatores Veneti Romæ multa mancipia utriusque sexus commisserent, in Africam avehenda & Infidelibus venumdanda, vetuit Zacharias, quia erant baptizata, & pretio, quo venierant, Venetis reddito, cuncta libertate donavit. Ceterum Patriarchium Lateranense propemodum a fundamentis reparavit. In eo Triclinium marmore opere vermiculato, & picturis ornavit. Struxit & aliud triclinium ante tabularium, ubi mappam Geographicam totius orbis pinxit. Intra Ecclesiam S. Petri omnes codices ad lectiones matutinorum per cursum totius anni necessarios in armario collocavit. Viginti libras auri, annuum censum, eidem Ecclesiæ dedit ad luminaria conservanda, & Altari vestem ex auro textam, gemmisque distinctam, in qua Nativitas Domini nostri JEsu Christi repræsentabatur. Suis pecuniis coronam ex purissimo argento centum viginti librarum ad sustentandos cereos vel lampades confecit. Donatione Fidelium multos fundos Ecclesiæ acquisivit, & multa extruxit ædificia. Cum in Palatio Patriarchali S. Georgii Caput in capsa reperisset cum inscriptione Græca indicante, cujus essent Reliquiæ, ob tantum thesaurum inventum hilaris convocato confestim populo eas in Diaconiam S. Georgii ad velum aureum di-

ctam

ctam solemni pompa transtulit, ubi multa miracula edita. Sæcul. VIII. A. C. 753.

Hic Papa præterea fundavit eleemosynam, quæ deinde ex Palatio Patriarchali pauperibus & peregrinis ad S. Petrum habitantibus frequenter deferebatur. Aliam largitionem pauperibus & ægrotantibus in omnibus urbis regionibus distribui jussit. Clericos unice amavit, censum eorum annuum ultra dimidium auxit, & tanquam optimus pater iis in omni necessitate succurrebat. Populus quoque ipso Pontifice securam & jucundam vitam degebat. Dialogos S. Gregorii in Græcum, linguam suam patriam, transtulit, ut illis serviret, qui latinam ignorabant. Tribus Ordinationibus mense Martio creavit Presbyteros triginta, Diaconos quinque & per diversa loca Episcopos octoginta quinque. Sepultus est ad Sanctum Petrum decimo quarto Martii, quo die Ecclesia Zachariam inter Sanctos colit. *Martyr. R.* 19. *Mart.* Vacavit Sacra Sedes diebus quindecim.

§. IV.

Stephanus II. Papa.

Zachariæ Papæ defuncto omnis populus Successorem suffecit Presbyterum nomine Stephanum & in Possessionem Palatii Patriarchalis Lateranensis immisit, sed ecce! die tertio, cum ma-

Sæcul. VIII. A. C. 753.

Anast.

ne a somno surrexisset, & sedens vellet res suas domesticas componere, subito potestate loquendi & mente privatus, altero die extinctus est. Quia consecratus non fuit, Pontificum numero non adscribitur.

Ergo conveniens populus in Ecclesiam S. Mariæ Majoris, postquam Dei Misericordiam & Sanctæ Virginis auxilium exoravit, unanimi consensu elegit Diaconum, itidem Stephanum nomine, qui dictus est secundus. Is natus Romæ Constantini filius parente præmature defuncto in Palatio Lateranensi in obsequio Pontificum educatus, per omnes Ecclesiasticos gradus ad ordinem Diaconatus evectus fuerat. In Pontificem electus, de more in Ecclesiam Lateranensem deportatus, & in possessionem Palatii Patriarchalis missus Sacram Sedem annis quinque & diebus viginti octo tenuit. Amabat Ecclesiam, Traditiones virili constantia servabat, verbum Dei intrepide prædicabat, pauperibus, viduis, Orphanis adjuvandis jugiter intentus. Sub initium Pontificatus sui quatuor hospitia antiqua jam diu derelicta in Civitate Romana restituit, & quintum etiam ad alendos centum pauperes fundavit. Aliud extra urbem prope Ecclesiam S. Petri ædificavit, multis Bonis locupletavit, & cum duabus Diaconiis S. Mariæ & S. Silvestri

vestri haud procul positis in perpetuum conjunxit. Sæcul. VIII. A. C. 753.

Interim Aistulphus videns Græcorum accisas esse vires, Ravennam obsidet, & ad deditionem compellit, atque Exarcho Eutychio in Græciam fugiente, Exarchatus in Italia sublatus est, postquam a temporibus Longini, a Justino juniore missi, annis ferme centum & octoginta stetissent. Aistulphus favente fortuna usurus, in Ducatum Romanum deinde arma intulit. Hinc Stephanus Papa, tertio Pontificatus sui mense, misso ad Regem Paulo Diacono fratre suo, & Ambrosio Primicerio, maxima dona ferentibus, qui de pace tractarent, obtinuit, ut Aistulphus pacem ad annos quadraginta paciscereturVerum elapsis quatuor mensibus fidem frangit, Papæ populoque Romano ultima minitatus, nisi totam Provinciam dederent, & Roma tributum annuum, nempe in singula capita solidum aureum, penderet. Mittit iterum Papa Abbates S. Vincentii ad Vulturnum, & S. Benedicti in monte Cassino, qui rogarent, ut pacem conservaret; at Aistulphus inauditos & spretos ad sua Monasteria redire jubet, & promittere, se ad Pontificem ne quidem amplius redituros. Hoc comperto Pontifex pro more suo ad Deum convertitur.

Rub. Hist. Rave. l. 4. p. 221.

Sup. lib. XXXIV. §. 20.

Aistulphus Rex Longobardorum.

Sæcul. VIII. A.C. 753.

§. V.

Monasterium Nonantulanum.

Act. SS. Ben. to. 6. init.

Giseltrudi Reginæ Aistulphi conjugis frater erat, nomine Anselmus, qui olim Dux Forojulienſis relicto Mundo Monasterium Fananense septem Leucis, seu viginti duobus millibus a civitate Mutinensi dissitum, Regis Aistulphi Sororii sui munificentia adjutus anno septingentesimo quinquagesimo fundavit. Cum Anselmus aliquamdiu ibi fuisset commoratus, etiam fundum Nonantulanum, duabus Leucis a Mutina distantem, a Rege donatum accepit, quem ipse & Monachi ejus manuum suarum labore purgarunt, ibique Ecclesiam & Monasterium anno tertio Regis Aistulphi, id est anno Incarnationis septingentesimo quinquagesimo secundo fundarunt. Anno sequente illa Ecclesia in honorem omnium Apostolorum manibus Sergii Archiepiscopi Ravennatis, Stephano II. Papa jubente, consecrata. Aistulphus hanc fundationem confirmavit datis litteris, in quibus nihil aliud a Monachis petit, quam ut sibi in magna Quadragesima lucillos quadraginta, & totidem in Quadragesima S. Martini, nimirum in Adventu, suppeditare teneantur. Aistulphus iter Romam cum Anselmo suscepit, atque hanc epistolam supra Corpus

Sancti

Sancti Petri in signum subjectionis erga Sacram Sedem obtulit. Papa vero Anselmum Habitu Monastico induit, baculum pastoralem tradidit, Abbatem consecravit, & Sergio Archiepiscopo præsenti, hæc enim Cæremonia in solemni Concilio peracta, commendavit. Consensit etiam Papa, ut Anselmus Corpus S. Silvestri auferret. Unde credere debemus, Regem Longobardorum bellum adversus Romanos moventem inducias per hyemem concessisse. S. Anselmus aliquot fundavit hospitia, in quorum uno centum pauperes, primo uniuscujusque mensis die, reficiebantur, atque per singulos annos hodieque Missæ trecentæ pro vivis & mortuis celebrantur. Ceterum annis quinquaginta Monasterio Nonantulano præfectus non nunquam mille centum & quadraginta quatuor Monachos non numeratis infantibus & noviciis rexit. Sæcul. VIII. A. C. 753.

Postquam Rex Aistulphus duos Abbates a Papa ad se missos re infecta repulisset, Joannes Constantini Imperatoris Silentiarius Romam pervenit cum litteris ad Papam & Regem Longobardorum datis, in quibus Imperator a Rege petebat, ut Civitates Imperio ereptas redderet. Papa Joannem illico Ravennam dimittit ad Regem, qui vagis verbis respondens incerta, suorum aliquem cum *Anast.*

Sæcul. VIII. A. C. 753. Legati titulo unacum Joanne Constantinopolim ire jubet. Papa quoque Delegatos misit cum Epistolis, rogans Imperatorem, quod jam sæpius monuerat, ut cum exercitu veniret & Romam Italiamque liberaret. Sed nec ista Legatione quidquam effectum, nec ullum Constantinus periclitanti Italiæ misit auxilium.

§. VI.

Califæ Abbasidæ.

Elmac. l. II. c. 1. Nimirum Constantino Copronymo in alia Orbis parte milite opus erat, volenti piscari in turbido & Musulmannis inter se ipsos divisis bellum inferre; quippe Califæ Merovano adversabatur potentissima factio, Duce *Ibrahim* filio Mahometis, filii *Aly*, qui Familiæ Abasinæ princeps extiterat. Nam Abas Mahometis falsi Prophetæ patruus fuit, cum Ommia Familiæ regnantis caput solum in gradu remoto eum contingeret. *Ibrahim Iman* salutatur Mechæ anno Hegiræ 127. JEsu Christi 744. sed elapsis annis quatuor a Merovano captus interficitur. Verum Ibrahimi Frater Abdalla, cognomento *Abulabas Saffah* huic factioni Ducem se præbuit, atque Cufæ in Arabia anno 132. die Veneris, decimo tertio mensis tertii, nempe ultimo Octobris anno Salutis 749. Califa proclamatus est. *c. 2.*

Is

Is viribus superior Merovanum Syria & Palæstina ejectum usque in Ægyptum fugere compulit, ubi desperatione actus multa mala Christianis intulit. Multos vinculis onustos carcere detinuit, atque inter alios *Chail* seu Michaelem, Patriarcham Jacobitam Alexandrinum, cui vitam adimere, etiam præsente carnifice, & gladium nudare jusso, sæpius minitatus est. Tandem Merovanus captus est & occisus anno eodem 132., JEsu Christi 750. In ipso extinctum est genus Ommiadarum, quod annis nonaginta & uno, ab anno Hegiræ quadragesimo primo, cum Moavia Califa electus est, regnaverat. In illa rerum vicissitudine Damascus illius Imperii caput esse cessavit, & Stirps Ommiadarum solum in Hispania conservata, quo Abderamus Hichami Califæ nepos anno 139. Hegiræ, Salutis vero 756. se recipiens, *Emir Almunenin*, id est, Fidelium Princeps proclamatus est, & Regni Sede Corduba electa, annis triginta tribus imperavit.

Sæcul. VIII. A. C. 753.

Isid. pac. p. 23

Sup. Lib. XXXIX. §. 32.

Theoph. an. 9. p. 357. c. Roderic. c. 18

Abdalla *Saffah* cum annis non plus quatuor & novem mensibus regnasset, e vivis abiit ultimo mense anni Hegiræ 136. id est, mense Junio anno salutis 754. Is Patriarcham Jacobitam Antiochenum constituit quemdam Episcopum nomine *Isaac*, jam ante quam Califæ culmen adeptus esset, suæ familiæ adscriptum, ei-

Elmac. p. 103.

Sæcul. VIII. A. C. 753.

que mandata conceſſit, quibus omnes huic electioni adverſantes vita privarentur. In eo tumultu duo Metropolitæ occiſi. Iſaac miſſa ad Michaelem Patriarcham Jacobitam Alexandrinum Epiſtola ſynodali rogabat, ut ſe ad Communionem reciperet, vel ad ſe veniret. Michael recipere eum recuſabat, cumque ſe itineri accingeret, delatum eſt nuncium in Ægyptum, Iſaaco in Ægypto vita functo quemdam nomine Athanaſium in defuncti Sedem ſe intruſiſſe. Sed ecce, ipſo altera die e vivis migrante, alius nomine Georgius Patriarcha Antiochenus ordinatur, quem cum paulo poſt Califa *Abujafar Almanſor*, qui *Saffah* ſucceſſerat, ejeciſſet, amicum ſuum quemdam Epiſcopum in ejus locum ſuffecit, qui nullam ad Patriarcham Alexandrinum Synodicam Epiſtolam dedit.

Itaque Conſtantinus Imperator occaſione belli civilis inter Ommiadas & Abaſidas ſolerter uſus anno ſeptingenteſimo quinquageſimo primo, Regni ſui undecimo, captis civitatibus Theodoſiopoli & Melitina Armenos quoque Imperio ſubjecit. Tunc Theodorus Vicarii minoris Armeniæ filius Patriarcha Antiochenus a Melchitis in locum Theophylacti anno ſuperiore defuncti ordinatus, Sedem annis viginti tribus tenuit.

Theoph. an. II. p. 358.

Eutychius an. tom. 2. *p.* 399.

§. VII.

Sæcul. VIII.
A. C. 754.

§. VII.

Concilium Iconoclaſtarum.

Conſtantinus his victoriis inflatus ad abolendam imaginum venerationem mentem adjecit, ſingulis diebus populum excitans, ut eas tolleret. Sic nempe viam parabat ad celebrandum Concilium, quod anno ſequente ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, Regni ſui decimo tertio Indictione ſeptima convocavit. Adfuere trecenti triginta & octo Epiſcopi, quorum principes erant Gregorius Neocæſarienſis, Theodoſius Episcopus Epheſinus, Imperatoris Apſimari filius, & Siſinnius cognomento Paſtilas Epiſcopus Pergenſis in Pamphylia; ſed nullus Patriarcha, nec quisquam Legatus nomine Sedis Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ aut Jeroſolymitanæ. Sedes vero Conſtantinopolitana vacabat. Quippe Anaſtaſius eodem anno extinctus fuerat ex morbo, quem Græce *Cordapſos*, nempe viſcerum nodum, vocant, unde excrementa ex ore egerere cogebatur. Hoc Conciliabulum in Palatio Hieriæ in Aſiæ ora Civitati Conſtantinopolitanæ directe adverſa decimo die Februarii inchoatum, & ſex menſibus continuatum usque ad diem octavum Auguſti, deinde in Eccleſiam Blachernarum translatum eſt. Ibi Conſtantinus Imperator

7. Conc. p. 18.

Cang. C. P. lib. IV. c. 23. vit. Steph. Jun. p. 444. Conc. Nicen. 2. act. 6. tom. 7. p. 395.

Sæcul. VIII. A. C. 754.

rator in Ambonem ascendit, & manu sua tenens Constantinum Monachum Episcopum Silæi magna voce pronunciavit: *Constantino Patriarchæ Oecumenico multos annos!* simulque sacrum habitum dedit & Pallium. Eodem die finitum est Concilium, cujus nihil amplius nobis supereſt, nisi Definitio Fidei cum titulo: *Definitio Sancti & magni Concilii Oecumenici.*

Præmissis longis ambagibus dicit Concilium, JEsum Christum nos ab Idololatria liberasse, & docuisse, Deum in Spiritu & veritate adorare. *Verumtamen,* subjungit, *cum Dæmonis invidia Ecclesiæ pulchritudinem non ferret, sub specie Christianæ Religionis Idolorum cultum sensim revexit, dum hominibus persuasit, ut adorent Creaturam, & pro Deo habeant simulacrum, cui nomen JEsu Christi tribuitur. Quapropter sicut olim Salvator Mundi Apostolos suos misit ad destruenda Idola, ita hodie quoque Servos suos Imperatores nostros, Apostolorum imitatores, suscitavit ad nos docendos, & dolos Diaboli evertendos.* Ita nempe hi Episcopi, turpes adulatores! Discipulos se profitentur Imperatorum, quorum unus puppus erat quadriennis, scilicet Leo Constantini filius, vigesimo quinto Januarii anno septingentesimo quinquagesimo natus, & in die Pentecostes

Conc. to. 7. p. 401.

p. 408.

p. 412.

Theoph. an. 9. p. 357. an. 10. p. 358.

stes sexto Junii coronatus anno septingentesimo quinquagesimo primo. Deinde profitentur, quod sex Concilia Oecumenica recipiant, eaque nominatim designant. His subjungunt: *Postquam igitur Doctrinam Conciliorum accurate examinavimus, visum est nobis, artem illicitam pingendi præcipuo Doctrinæ nostræ articulo, nimirum JEsu Christi Incarnationi, adversari, & sex Conciliorum Fidem evertere. Pictura inducit errorem Nestorii, JEsum Christum in duas Personas dividentis, & nihilominus Hæreses quoque confirmat Arii, Dioscori, Eutychis, & Severi, commixtionem & confusionem duarum naturarum docentium. Quippe pictor, si imaginem fecerit, vocat eam Christum; atqui nomen Christi simul Deum & Hominem significat. Ergo vel pictor, ut ipse quidem putat, immensam Divinitatem intra limites carnis creatæ incluſit, vel duas Naturas sine confusione unitas confudit.* (*) *Qui imagi-*

Sæcul. VIII. A. C. 754.

Conc. p.417. 420. &c. p.425.

(*) Vah! crassam Episcoporum Orientalium ignorantiam, vel magis servilem & abjectissimam assentationem! unde etiam dispicitur, quantum illi errent, qui a Communione & Doctrina Ecclesiæ Romano-Catholicæ, unica sensibili & infallibili veritatis Regula, recedunt. Populi vero in Oriente illo tempore potius seducti quam propria voluntate Hæretici dici poterant, quamvis plurimi Doctrinæ Catholicæ inhærerent.

Sæcul. VIII. A. C. 754.

maginem factam adorat, ejusdem blasphemiæ reus est, uterque anathematizari meretur.

p. 440.

Sine dubio errorem excusare volent dicentes: nihil aliud pingimus, nisi carnem, quam vidimus, quam attrectavimus, & quæ nobiscum conversata est. Sed dum hæc dicunt, impio Nestorio consentiunt. Quippe considerandum est, quod juxta Doctrinam Patrum Caro JESU Christi, quamprimum cœpit existere, statim Caro Verbi fuerit, & nunquam ideam alicujus separationis admiserit, sed tota a Natura Divina assumpta & tota Divinizata. Cur ergo pictores eam separant? Eadem ratio est circa Sanctam Christi animam. In primo instanti suæ existentiæ fuit anima Dei, & nunquam a Divinitate separata, etiam tunc quando a corpore suo separata est. Quomodo ergo insipientes isti pingere audent JEsu Christi carnem, tanquam carnem puri hominis? sic enim præsumunt, quod Caro Christi per se subsistat, eique aliam Personam tribuunt; unde consequitur, quod Trinitati quartam Personam adjiciant.

Fides Iconoclastarum.

Vera imago JEsu Christi illa est, quam ipsemet fecit, cum pridie quam pateretur, accepit panem, benedixit, Gratias egit, fregit, & dedit dicens: Accipite & manducate in remissionem peccatorum, hoc est Corpus meum. Et simili modo

modo dans Calicem dixit: Hoc est San- Sæcul. VIII.
guis meus. Hoc facite in meam comme- A.C. 754.
morationem. Ut ostenderet, se nullam p. 445.
aliam sub cælo speciem, nec figuram, ad
repræsentandam Incarnationem suam ele- Christus non
gisse. Quod autem hoc in facto Dei in- pingatur.
finite sapientis consilium fuit? Nimirum
ut clare demonstraret, quid in Mysterio
suæ Incarnationis fecerit, id est, sicut
illud, quod de nobis assumpsit, tantum
Essentia humana sine subsistentia personali
est, ne Divinitati nova Persona adderetur, ita, ut suam Imaginem haberemus,
nobis præcepit, ut offeramus materiam
electam, scilicet substantiam panis, sed
sine specie & figura humana, ne Idololatriæ occasio nasceretur. Sicut ergo Corpus naturale JEsu Christi sanctum est,
quia Divinum est, ita etiam evidenter illud, quod ex institutione Corpus ipsius,
seu sancta ipsius imago, est, aliquo modo
sanctificatur, & per Gratiam Divinum
fit. Id enim JEsus Christus facere voluit, ut, sicut carnem, quam assumpsit,
sanctificatione sibi propria & naturali ex
virtute conjunctionis Divinam reddidit,
ita panis Evchariſtiæ, tanquam vera Imago carnis ejus naturalis, Corpus Divinum
fieret, per adventum Spiritus Sancti sanctificatum, cooperante Sacerdote, qui offert, & panem, antea vulgarem, sanctum
facit. Ceterum sicut Caro vivens Domi-

ni

Sæcul. VIII. A. C. 754. *ni recepit unctionem Spiritus Sancti, mirum Divinitatem, ita etiam hic Panis Divinus cum Sanguine ipsius vivificante Spiritu Sancto repletus est.* (*) *Ergo jam demonstratum, id esse veram Imaginem Incarnationis JEsu Christi, quam ut faceremus, ore suo nos docuit.*

Inferius videbimus, qua ratione Catholici hanc objectionem, & cetera omnia hujus Concilii sophismata refutaverint. Interim notari potest, quod Episcopi Orientales tanquam certum præsumant, Evchariſtiam adorari, dum dicunt, JEsum Christum in ea nolle sub figura humana apparere, ne detur locus Idololatriæ, item quod Evchariſtiam appellent Panem Divinum & Corpus Divinum, atque Calicem Sanguinis JEsu Christi, quod confiteantur, Spiritum Sanctum descendere, & esse Sacrificium a Sacerdote oblatum. Tum hujus Concilii

in Conc. Nic.

(*) Mirum! quod Schismatici itti ad damnandas imagines argumentum petant ab Evchariſtia, unde S. Joannes Damascenus † demonstraverat cultum earum esse licitum. Ceterum Evchariſtia omnino imago est JEsu Christi in Cruce morte cruenta oblati; at Episcoporum verba: *Panis Divinus, Corpus Divinum, & Panis Spiritu Sancto repletus* de alia quam reali Christi præsentia explicari non possunt. Hinc eatenus Catholice loquebantur.

† *Lib. XLII. §. 20.*

cilii Definitio continuatur in hunc modum: Sæcul. VIII. A. C. 754.

§. VIII.

Imagines damnantur.

Porro illæ, quæ falso dicuntur imagines, nec a Traditione JEsu Christi, Apostolorum, aut Patrum originem ducunt, nec habent proprias preces, quibus sanctificentur, sed profanæ manent & contemptu dignæ, quales de pictoris manu prodierunt. p. 452.

Si quis interroget, quare damnemus Imagines Matris Dei & Sanctorum, qui simpliciter homines sunt, nec Naturam Divinam sicut JEsus Christus habent. Respondebimus; Ecclesiam, mediam inter Judæos perfidos & cæcos Gentiles positam utriusque erroris Cæremonias rejicere, nempe Judæorum cruenta Sacrificia, & Idolorum fabricationem & cultum, cujus mali fons est detestabilis ars pingendi. Nam cum Resurrectionis spem non haberent, hunc dolum excogitarunt, ut ea, quæ oculos nostros fugiunt, quasi præsentia redderent. Sanctis vero, qui cum Deo vivunt, injuria fit, si in materia inanimata arte Gentilium exhibeantur. p. 456. p. 457. p. 461.

Deinde Concilium affert aliquot Textus ex Sacra Scriptura ad Auctoritatem suæ Definitioni conciliandam, & p. 464.

Sæcul. VIII. A. C. 754.

quosdam Textus ex Patribus, ſcilicet S. Epiphanii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Joannis Chryſoſtomi, S. Athanaſii, S. Amphilochii, Theodori Ancyrani, Euſebii Cæſarienſis in Palæſtina. Denique concluditur; omnem imaginem quocunque modo pictam tanquam rem abominabilem ex Eccleſia eſſe ejiciendam, & omnibus hominibus prohibetur, ne deinceps ullam imaginem faciant, adorent, in Eccleſia, aut in domo privata collocent, vel occultent. Transgreſſores, ſi Epiſcopi ſint, Presbyteri, aut Diaconi, deponantur; Monachi, & Laici anathemate percutiantur, & præterea pœnas a Legibus Cæſareis præſcriptas ſubeant. Additur vero, & præcipitur, ne Eccleſiarum Præpoſiti vaſa ſacra, veſtes, vela, aliave mobilia ad Officium Divinum celebrandum pertinentia ſibi uſurpent. Si vero ea mutare voluerint, conſenſum Patriarchæ Conſtantinopolitani, & mandatum Imperatoris petant, ne ſub hoc prætextu vaſtitas in Eccleſias inducatur. Item prohibetur, ne Magiſtratus, aut quicunque Laici occaſione imaginum Eccleſias ſibi ſubjiciant, aut in ſervitutem redigant, quod a quibusdam factum erat.

473.

p. 505.

508.

512.

Inde Concilium pronunciat aliquot Articulos, quo modo Canones condi ſolent, & addit ubique Anathematiſmum.

p. 513.

Prio-

Priores quidem continent Doctrinam Catholicam de Trinitate & Incarnatione; verum postea adduntur aliqui contra Imagines JEsu Christi & Sanctorum. Nihilominus fatentur Episcopi, Sanctam Virginem omnibus reliquis creaturis esse majorem, atque ad ejus apud Deum intercessionem tanquam potentissimam esse recurrendum. Omnes etiam Sanctos, qui sub Lege Naturæ, Lege scripta, vel Gratiæ vixerunt, esse honorandos, atque eorum Patrocinium secundum Traditionem Ecclesiasticam esse implorandum.

Sæcul VIII. A. C. 754.

p. 5. 6.
p. 524.
Iconomachi.

p. 528.

Hac sententia pronunciata Imperatores Constantinus & Leo (nam pro more illius temporis semper ambo loquentes inducuntur) Concilium interrogarunt, an Decretum modo recitatum ex consensu omnium Episcoporum esset promulgatum. Responderunt: *Omnes hoc credimus. Omnes concordes sumus. Cum gaudio subscripsimus.* Tum sæpius in honorem Imperatorum acclamantes laudabant, quod præter alia strenue gesta etiam Idololatriam prostravissent.

p. 532.

Tandem nominatim S. Germano Constantinopolitano, Georgio ex Cypro & S. Joanni Damasceno anathema dicunt in hæc verba: *Anathema Germano, ambiguæ fidei homini, & ligni adoratori! Anathema Georgio ipsius Socio & Doctrinæ*

p. 533.

Sæcul. VIII. A. C. 754.

ctrinæ Patrum corruptori? Anathema Joanni (quem *Manſur* nominant) *execrabili viro & Saracenis faventi! Anathema Joanni, imaginum Cultori, & Impoſtori! Anathema Joanni, JEſum Chriſtum blaſphemanti, & Imperii proditori! Anathema Joanni, impii dogmatis Auctori, & perverſo Scriptura Interpreti! Trinitas hos tres viros depoſuit.* Hoc eſt illud Decretum Conciliabuli Conſtantinopolitani ab Iconomachis celebrati.

Theoph. an. 13. p. 359.

Die vigeſimo ejusdem menſis Auguſti anno 754. Conſtantinus Imperator, novus Patriarcha Conſtantinus, aliique Epiſcopi, in forum publicum proceſſerunt, & Decretum Concilii promulgarunt, Anathematiſmos in Germanum, Georgium, & Joannem *Manſur* repetentes. Hoc decreto in Provincias delato ubique Catholici conſternati viſebantur; Iconomachi vero Vaſa ſacra mutabant, & Eccleſias deformabant. Comburebantur Imagines, parietes vel dejiciebantur, vel picturæ corrumpebantur; ſolæ illæ ſervabantur, quæ arbores, aves, aut animalia, & inprimis, quæ ſpectacula profana, inſectationes ferarum, vel curſus equorum exhibebant.

vit. Steph. p. 445.

§. IX.

§. IX.

Sæcul. VIII. A. C. 754.

Papa Francos advocat.

Dum hæc in Oriente aguntur, Aistulphus Longobardorum Rex, Romanis, nisi se, urbemque ipsius potestati subjicerent, ultima minitabatur. Ergo Papa populum hortatur, ut Dei misericordiam imploraret, supplicationem quoque publicam imperavit, in qua multæ Reliquiæ deferebantur, & inter alia JEsu Christi Imago, quæ cælestis non humani artificis opus esse credebatur. Hanc portabat Papa humeris suis, incedens nudis pedibus, quem sequebatur populus omnis. Cinerem quoque capiti suo plerique asperserant, & miserandum ingemiscebant. Scripta pacis fœdera, a Rege Longobardorum violata, cruci, quæ portabatur ante procedentes, affixerant. Singulis Sabbatis Papa ejusmodi supplicationes repetebat. *Anast. in Steph.*

Tandem Stephanus Papa sentiens, Regis Longobardorum vim nec precibus nec donis, quæ immensi pretii sæpius miserat, arceri posse, cum præterea nullum ab Imperatore speraret auxilium, statuit Antecessorum suorum Gregorii III. & Zachariæ exempla sequi, & ad Francos respicere. Itaque Epistolam ad Regem Pipinum scripsit lamentabili oratione, eamque secreto, cujusdam hominis

Sæcul. VIII. A. C. 754.

minis peregrini opera usus, transmisit. Et rursus alia Epistola missa petiit: *Tu ipse Legatis ad me Romam missis manda, ut ad te proficiscar.*

Act. SS. Be. to. 4 p. 205. Coint. an. 753. n. 52.

Rex Pipinus dato Responso, quæcunque Pontifex petebat, concessit. Epistolam Regis attulit Droctegandus primus Abbas Gorziensis, quem Papa ad Regem remisit cum Epistola, nihil præter grati animi demonstrationem continente, nam reliqua Droctegandi fidei commiserat, oretenus referenda. Simul Papa datis ad omnes Duces Francorum literis hortabatur, ut ad auxilium S. Petri, quem eorum Defensorem appellabat, festinarent, promittens sua ex parte (*) remissionem peccatorum, centuplum in hoc mundo, & vitam æternam in altero.

Ep. 1. Steph. Carol. 10.

Interim Joannes Silentiarius cum Legatis a Papa illo missis, Constantinopoli reversus, iterum retulit, quæ Rex Longobardorum promiserat, & Imperatoris Epistolæ

(*) Diese Worte: *La remission de leurs pechés, le centuple en ce Monde. Remissionem peccatorum suorum, centuplum in hoc mundo.* hat unser Protestant auf seiner 303. Seite im sechsten Theile aegeben: Und versprach ihnen... eine hundertfältige Vergebung der Sünden und in jener das ewige Leben. Das ist eine grosse Nachläßigkeit, oder eine Verfälschung. Dieses letztere ist glaublicher.

Epistolam, in qua Papæ præcipiebat, ut Regem adiret, atque ex ejus manibus Ravennam, & ceteras illius Ditionis Civitates reposceret. Nihil præterea auxilii Italiæ propemodum oppressæ Imperator mittebat. Ergo Papa ad Aistulphum mittit, qui sibi & suis, ad eum venturis, itineris præsidium militare peterent, & his ab Aistulphi aula redeuntibus, adsunt Regis Pipini Legati, Chrodegangus Episcopus Metensis & Auctarius Dux, quibus mandatum erat, ut Papam, quod ipse postulaverat, ad Dominum suum deducerent. Sæcul. VIII. A. C. 754.

Chrodegangus in Hasbagnia, illa ferme Provincia, quæ hodie Brabantia dicitur, natus ex primis Francorum stirpibus, & in Regia Caroli Martelli educatus, officio Referendarii apud hunc Principem fungebatur. Erat juvenis formosus, & etiam linguæ latinæ præter patriam, nimirum Teutonicam, gnarus. Magna charitate pauperes alebat & defendebat. Anno septingentesimo quadragesimo secundo electus est Episcopus Metensis, atque hanc Ecclesiam annis viginti tribus, & mensibus quinque rexit. Aliqua etiam fundavit Monasteria, inter quæ numeratur Gorziense, anno circiter septingentesimo quadragesimo octavo conditum, nobilissimum postea litteratorum seminarium. *Boll. 6. Mart. to. 6. p. 452.*

Sæcul. VIII. A. C. 754.

Itaque Chrodegangus & Auctarius Romam pervenientes Papam accinctum itineri, quod ad Regem Longobardorum suscipiebat, invenerunt.

§. X.

Papa in Longobardia.

Nec mora, Pontifex Roma excedit die decimo quarto Octobris, Indictione septima, anno septingentesimo quinquagesimo tertio multis Romanis, aliarumque urbium civibus inter largos fletus comitantibus, & a proposito dimovere conantibus; cum viderent, quam magno periculo carissimus Pater, mala etiam affectus valetudine, se exponeret. Ipse in Deo confidebat, & gregem suum S. Petri Patrocinio commendabat. Cum jam non longe a Ticino abesset, misit Rex, qui venientem monerent, ne in conspectum admissus petere auderet, ut Rex Ravennam, Exarchatum, aliasve Imperii Civitates a se vel Antecessoribus suis occupatas restitueret. Respondit Papa; nullis comminationibus absterreri se posse, quin peteret. Ubi in Regia fuit, ingentia dona Regi obtulit, instantissime rogans, ut cuique, quod suum erat, restitueret. At Aistulpho id constanter abnuente, cum Legatus Constantinopolitanus idem peteret, juxta Papam nihil obtinuit.

At

At Legati Regis Pipini apud Regem Aistulphum vehementer instabant, ne Papam in Franciam profecturum prohiberet. Rei novitatem miratus Aistulphus Papam vocat interrogatque, an in Franciam ire serio vellet. Papa ingenue fatente, hanc profectionem animo constituisse, Rex admodum offensus, misit ex suis aliquos, qui eum secreto a proposito abstraherent, sed tandem coactus est consentire, atque Papa Ticino abiit decimo quinto Nov. Indictione septima eodem anno 753. Georgio Episcopo Ostiensi, Wilcario Episcopo Nomentano, Presbyteris quatuor, Diaconis tribus & quibusdam aliis Ecclesiæ Romanæ Clericis eundem sequentibus. Postquam e Ticino jam excessisset, cum sciret, sibi a Rege insidias strui, ad Alpes, quæ Italiam a Francia dividunt, pervenire, quantum potuit, contendit, quas ubi tenuit, Gratias Deo egit, quod sibi securitatem præstitisset. Sæcul. VIII. A. C. 754.

§. XI.

Papa in Francia.

Iter suum strenue prosecutus Stephanus Papa ad Monasterium S. Mauritii Valesiorum pervenit, quo Regem Pipinum etiam conventurum esse, præstitutum fuerat; sed postquam Papa aliquamdiu ibi expectasset, adsunt Fulradus Abbas

Sæcul. VIII. A. C. 754.

Palatii Archicapellanus & Rotardus Dux a Rege missi, Papam rogantes, ut ulterius in Franciam progrederetur, eumque, & omnes viæ socios honorifice deducere cœperunt. Regi Pipino Theodonisvillæ agenti referunt, Pontificem Alpes superasse; quo nuncio lætissimus misit filium suum primo genitum Carolum duodennem, qui Papam usque Pontigonem in Campania, ubi Rex quoque adfuturus erat, comitaretur. Cum Papa non plus tertio lapide seu una Leuca inde abesset, obvium se dedit Rex, atque ad ejus conspectum ex equo descendens cum Conjuge, filiis, & Optimatibus in terram se demisit. Imo quasi vicem stratoris agens aliquamdiu juxta equum Pontificis processit. Papa omnesque comites in laudes Dei effusi elatis vocibus Hymnos & Psalmos cantabant usque Pontigonem, quo in Festo Epiphaniæ sexto Januarii anno 754. perventum.

Fredeg cont. 4. *c.* 119. *Annal. Met. an.* 753. *Duch. tam.* 3. *p.* 276. *Anast.*

Primum quidem Papa Regem & Proceres donis cumulavit, at sequente die ad Regem venit cum omnibus Clericis suis sub cinere & cilicio, atque ad ejusdem pedes prostratus per Dei Misericordiam, perque Sanctorum Petri & Pauli merita obtestabatur, ut se, populumque Romanum a Longobardorum tyrannide liberaret, nec prius e terra corpus levavit, quam Pipinus & Proceres sibi dextras

tras porrexissent, quippe volebat, ut se ipse Rex humo attolleret, in pignus pollicitationis, Romanos ipsius potentia in libertatem assertum iri. Cum deinde Papa & Rex in Oratorio consedissent, illo preces repetente promisit Rex addito jurejurando, in omnibus se Pontificis suasionibus obsecuturum, & compulsurum hostes, ut Exarchatum Ravennatensem, Civitatesque Imperii restituerent. Quia vero summa hyems erat, Papam cum Sociis ad Monasterium S. Dionysii prope Parisios dimisit, & curam gessit, ut quam commodissime ibi habitaret. Interim missis ad Regem Longobardorum Legatis rogavit, ut ob Reverentiam Sanctorum Apostolorum Romam hostiliter invadere nollet, nec Romanos ad Superstitiones legibus eorum contrarias compelleret. Sed hac Legatione nihil effectum.

Sæcul. VIII. A. C. 754.

Anast.

§. XII.

Conventus Carisiacensis.

Rex Pipinus Festo Paschali, quod hoc anno septingentesimo quinquagesimo quarto in diem decimum quartum Aprilis incidebat, Carisiaci ad Oesiam celebrato, convocavit Conventum omnium Optimatum Regni sui, atque expeditionem in Italiam ad opem ferendam Papæ, ibi præsentis, præstituit. Papa etiam in eodem

Anast. tom. 6. Conc. p. 1650.

Sæcul. VIII. A. C. 754.

eodem loco interrogatus ad diversas super Disciplina quæstiones respondit. In eo responso novemdecim Articuli de Matrimonio, de Baptismo quinque, & de Clericis quatuor. Pleræque quæstiones circa illud Matrimonio versantur, quod nuptiæ semel initæ in perpetuum dissolvi non possint. Prohibetur, ne quis Commatrem suam, sive in Baptismo sive in Confirmatione, ducat. Unde dispicimus, quod in Confirmatione quoque Patrinos adhibere mos fuerit. (*)

c. 4. Pœnitentia præscribitur Presbytero, qui, cum aqua præsto esset, vinum adhi-

c. 11. buit in Baptismo. Si vero aqua defuerit, excusatur. Quod non ita accipiendum, quasi ejusmodi Baptismus ratus haberetur, sed tantum quod ille Presbyter ad pœnam Canonicam non compelleretur.

c. 12. Baptismus necessitate postulante ita collatus, ut aqua concha vel manibus capiti baptizandi affundatur, validus habetur. Ex hac consultatione eruitur, modum baptizandi per aspersionem, hodie communem, illa ætate fuisse raro adhibitum, sed plerosque per immersionem fuisse baptizatos. Videmus etiam aliquos

(*) Signum manifestum, quod Fideles Confirmationem, sicut Baptismum, Sacramentum esse crediderint.

quos Presbyteros de valore suæ Ordinationis dubitasse; cujus rei causa erat falsorum Episcoporum multitudo, de qua S. Bonifacium conquerentem audivimus. Stephanus Papa plerasque Quæstiones propositas ex Auctoritate veterum Decretalium S. Leonis, S. Innocentii, S. Siricii, aut Canonum Calcedonensium, Antiochenorum, Neocæsarienſium, Carthaginensium resolvit. Sæcul. VIII. A. C. 754.

In eodem Conventu Carisiacensi Rex Pipinus Stephano Papæ & Ecclesiæ Romanæ multas urbes & Ditiones Italiæ a Longobardis occupatas, tam suo nomine quam duorum Principum Caroli & Carolomanni filiorum suorum conscriptis litteris, donavit. (*) *Anast. in Hadr. inf. L. XLVI. §. 5.*

Inter hæc Carolomannus Regis Pipini frater in Franciam pervenit. Quippe Rex Aistulphus Abbatem Montis Cassini compulerat, ad eum e Monasterio emittendum, eo consilio, ut in Franciam profectionem susciperet, & Regem fratrem a sententia bellum in Italiam transferendi dimoveret. Et Carolomannus quidem, ut id Fratri persuaderet, nulli labori *Anast. in Steph. Act. SS. Ben. to. 4. p. 127.*

(*) Vel potius donaturum se promisit Provincias, quas jure Belli subigere sperabat. Ceterum Italia ab Imperatoribus Græcis derelicta videri poterat, cum Regionem procul distantem tueri vel nollent, vel non possent.

Sæcul. VIII. A. C. 754.

labori pepercit, sed incassum omnia. Namque Pipinus consentiente Papa eum in quoddam Monasterium Civitatis Viennensis misit, ubi secundum institutum, quod amplexus fuerat, viveret. Ibidem Carolomannus anno sequente septingentesimo quinquagesimo quinto vitam clausit, cujus corpus Pipinus ad montem Cassinum, feretro aureo inclusum, additis donis pretiosis, remisit.

Le Chron. Gass. lib. 1. c. 7.

§. XIII.

Papa ægrotat.

Anast.

Papa ad Monasterium S. Dionysii reversus itinere fatigatus & inæqualitate aeris vexatus in morbum incidit, cumque ad extrema deduceretur tam socii Itali, quam Franci actum esse de Pontificis vita arbitrabantur. Ipse vero in Deo confidebat. Et ecce quodam mane venientes & timentes ne jam animam efflasset, invenerunt incolumem. Referunt, superesse ipsius Epistolam, in qua narrat; *Fui in oratione in Ecclesia S. Dionysii subter campanis, & vidi ante Altare S. Petrum, S. Paulum, & S. Dionysium, ad quem S. Petrus dixit: Tua gratia est ejus sanitas. Et S. Dionysius thuribulum incensi & palmam in manu tenens cum Presbytero & Diacono venit ad me, & dixit mihi: Pax tecum, Frater! noli timere, ad Sedem tuam prospere revertetis.*

to. 6. Conc. p. 1649.

ris. Surge, & hoc Altare in honorem Dei & Apostolorum suorum, quos vides, dedica, Missam gratiarum agens. Moxque sanus Dei gratia factus volebam implere, quod mihi præceptum erat, & dicebant, qui ibi aderant, quod delirarem. Quapropter retuli illis tum Regi & Proceribus, quæ videram. Gesta sunt hæc anno 754. vigesima septima Julii, & altera die vigesima octava, quæ erat Dominica, illud Altare, sicut ipsi præceptum fuerat, consecravit. Sæcul. VIII. A. C. 754.

§. XIV.

Pipinus secundo ungitur.

Stephanus Papa inter illius Missæ solemnia aliam Cæremoniam memoratu magis dignam implevit, dum secundo Pipinum & duos ejus filios Carolum & Carolomannum cum Bertrada Regina unctione olei in Reges Franciæ consecravit, atque Francorum Proceribus Auctoritate S. Petri sub Excommunicationis pœna prohibuit, ne unquam vel ipsi vel eorum filii ex alia propagine sibi Reges constituerent. Childerici, Regum ex prima stirpe ultimi, obitus, nam hoc anno in Monasterio S. Bertini decessit, novæ Pipini unctioni ansam dederit. Tunc etiam Papa Regem & ambos ejus filios Romanorum Patricios appellavit, quo ad defensionem Urbis Romanæ susci-

Frag. ap. Greg. Turo. p. 991.

Coint. an. 754. n. 38.

ibid. n. 57.

pien-

Sæcul. VIII. A. C. 754.

piendam ſtimularentur. Baptiſmus quoque duorum Principum adoleſcentum usque ad illud tempus dilatus fuiſſe creditur, & Papa eosdem e ſacro fonte levaſſe; nam in pluribus Epiſtolis Regem Pipinum Compatrem ſpiritualem, Reginam Bertradam Commatrem, & duos Principes filios ſuos ſpirituales dicit.

Steph. III. ep. 3. to. 6. Conc. p. 1718

His Titulis, quibus Religio veneretionem pariebat, ornari illa ætate honori ducebatur. Ceterum Regem Pipinum Reginam Bertradam dimittere cogitantem cohibuit Papa, cujus ſalutaribus monitis obſecutus eſt Rex; & inde forte eſt, quod una cum Pipino uncta fuerit. Papa magnis privilegiis Abbatiæ S. Dionyſii collatis ſupra Altare etiam reliquit Pallium ſuum, quod hodiedum in illo Monaſterio aſſervatur. In illa tandem commoratione Stephani Papæ in Francia Clerici, qui eum comitabantur, rogante Pipino, meliorem cantum Francos edocuerunt, qui cantandi modus deinde in plures Eccleſias propagatus eſt.

Hild. Areop.

Valaf. c. 25.

§. XV.

Bellum in Longobardia.

Quamvis ſtatutum eſſet, bellum in Longobardos movere, nihilominus Rex Pipinus ſuadente Papa Legatis ad Regem Aiſtulphum tertio miſſis pacem obtulit, magna

Anaſt.

magna etiam dona promittens, si quæ u- Sæcul. VIII.
surpaverat, Ecclesiæ & Imperio redde- A. C. 754.
ret. Ipso pertinaci animo omnia recu-
sante Pipinus ducere exercitum cœpit,
& viæ dimidium emensus iterum, roga-
tus a Papa, effusionem sanguinis Chri-
stiani prohibere cupiente, Legatos ad
Regem Longobardorum direxit. Papa
quoque ad eundem litteras dedit, obte-
stans per omnia sancta Mysteria, & Ju-
dicii diem, ut Ecclesiæ & Imperio sua
restitueret. Cum igitur Aistulphus Re-
gi Pipino minaciter rescripsisset, is copias
admovet, & præsidiariis, quibus angu-
stos Alpium aditus defendere imperatum fuerat, concisis, Aistulphum Ticino se includere compellit, & urbem obsidet. Tunc iterum exhortante Papa, ut sanguini Christianorum parceretur, fœdera inter Romanos, Francos & Longobardos punguntur, promittuntque jurejurando & datis litteris Aistulphus & cuncti Gentis suæ Proceres, absque omni mora Ravennam & plures alias urbes reddere. His Pipinus recessit datos a Longobardis vades secum ducens, frustra admonente Pontifice & obsecrante, ne verbis eorum fideret, sed se in Italia præsente omnes conditiones impleri juberet.

Itaque Stephanus Papa Romam re- *Anast. ap.*
vertitur comitantibus Principe Hierony- *Coint. an.*
mo *an. 754. n. 75.*

Sæcul. VIII. A. C. 754.

mo Pipini fratre, Abbate Fulrado aliisque Proceribus, quos Rex itineris socios obsequii causa addiderat. Pontifici in campo Neronis prope Vaticanum procedenti obvios se intulerunt Episcopi Clericique, cantantes & Cruces portantes, sequente maxima populi multitudine & acclamante: *Laus summa Deo omnipotenti! advenit Pastor noster, in quo post Deum salus nostra est.* Papa aliquibus S. Dionysii Reliquiis e Francia allatis fundavit Græcorum Monachorum asceterium, in quo depositæ colerentur.

Hild. Areop.

Anast.

Ceterum, quod Pontifex prædixerat, ita evenit; nam Pipino in Franciam reverso, Aistulphus ne glebam quidem eorum, quæ abstulerat, reddidit; imo Romanos novis exagitare vexationibus cœpit. Ergo Papa eorum, quæ agebantur, Pipinum Regem certiorem fecit data Epistola, ab Abbate Fulrado deferenda. In ea loquitur in hunc modum: *Adjuro vos per Dominum Deum nostrum, gloriosam Matrem ejus, per virtutes Cælorum, & S. Petrum, qui vos Reges consecravit* (nam Epistola etiam ad Principes filios directa est) *sanctæ Ecclesiæ Dei omnia reddite, secundum Donationem, quam Beato Petro Defensori vestro promisistis, & fallacibus verbis hujus Regis atque Procerum ejus nolite fidem habere. Quippe in vestras manus tradidimus San-*

Ep. 7. Cod. Carol.

cta

Etæ Eccleſiæ cauſam; quapropter Deo & S. Petro in die terribilis Judicii rationem reddetis, dum interrogabimini, an hanc Eccleſiam pro viribus defenderitis. Vobis hoc opus bonum per tot Sæcula deſtinatum eſt, nulli enim Patrum veſtrorum tantus honor obtigit. Vos, inquam, Deus ad rem præſtantiſſimam perficiendam ab æterno elegit. Quia quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit. (*) Ita Stephanus Papa verba S. Pauli ad negotia temporalia transfert. Tum dicit Fulradum, & comites ejusdem ad Regem omnia, quæ Romani paterentur, ſingillatim delaturum.

Sæcul. VIII. A.C. 754.

Rom. 8. 30.

Haud diu poſtea Pontifex Wilcarium Epiſcopum Nomentanum ad Regem Pipinum miſit cum alia Epiſtola, in qua adhibens novas eloquendi figuras vehementiſſime Pipinum urgens dicit: *Ideo Rex Regum tot populos vobis ſubjecit, ut S. Eccleſiam tueremini. Non enim Deo defuit alius modus eam conſervandi, ſi ei placuiſſet, ſed cor veſtrum tentare voluit. Ideo nobis præcepit, ut ad vos iremus, & profectionem tot laboribus & peri-*

Epiſt. 9. *Cod. Carol.*

(*) Hæc Apoſtoli verba non leguntur in Epiſtola iſta, prout eam refert Cardinalis Baronius in Editione Colonienſi 1624. ſed in margine ſæpius notatur dari varia Exemplaria.

Sæcul. VIII. A. C. 755.

periculis plenam susciperemus. Et infra: *Scitote, Principem Apostolorum promissionem a vobis factam custodire, &, nisi impleatis, eandem in die Judicii contra vos productum. Tunc enimvero ingenioſe excogitatæ excusationes non admittentur.*

§. XVI.

Obsidio Romæ.

Anast. ep. 4. & c. 6. Carol. Interim Aistulphus copias urbi admovebat, quam prima die Januarii anno septingentesimo quinquagesimo quinto milite cinxit & tribus mensibus obsedit, omnia extra mœnia posita ferro & igne devastans, & quotidie vi summa irrumpere tentans. Sanctorum quoque corpora e Cœmeteriis effossa abstulit. Cum obsidio jam septem septimanis tenuisset, Papa itinere maritimo nec sine maximis periculis in Franciam misit Georgium Episcopum, Comitem Tomaricum & Abbatem, Warnerium nomine, qui a Pipino Romam missus, cum Urbs obsideretur ab hostibus, lorica pectus muniebat, & in mœnibus irruentes forti brachio repellebat. Hi duas, quas redderent, habebant Epistolas, unam ad Regem Pipinum, alteram ad Principes filios ejus, omnes Francos Ecclesiasticos, Laicosque suo & omnium Romanorum nomine datam, in qua nihil, quod in pri-

Ep. 4. & c. 6. Cod. Carol. Steph. ep. 4. to. 6. Conc. p. 1635.

ma

ma non legatur, dicit. Initium Epistolæ est ejusmodi: *Quam luctuosa & amarissima tristitia circumvallati, quantaque anxietate & angustia coarctati sumus, & quantas, crebrescentibus continuis malis, oculi nostri distillantes profundant lacrymas, credimus, quod & ipsa elementorum segmenta enarrent.* Post alia, Romani Aistulphum loquentem inducunt in hunc modum: *Aperite mihi portam, & tradite mihi Pontificem vestrum. Sin minus, videte, ne muros evertam, & uno vos gladio interficiam, & videam, quis vos eruere possit de manibus meis.* Sæcul. VIII. A. C. 755.

Postea de Longobardis loquens ait: *Ecclesias Dei incenderunt, sacratissimas Sanctorum imagines in ignem projecerunt, Munera Sacra, id est, Corpus Domini Nostri JEsu Christi in folles suos miserunt, & cibo carnium prius saturati comedebant eadem Munera. Velamina Altarium, & Ecclesiarum Dei omnia ornamenta auferentes in proprias utilitates usi sunt. Servos Dei Monachos plagis maximis tundentes laniaverunt. Sanctimoniales fœminas abstrahentes magna crudelitate polluerunt, quin etiam aliquas in ipsa contaminatione occidere nisi sunt. Domos cultas Beati Petri combusserunt, & omnium Romanorum ædes destruxerunt. Pecora abegerunt, vineas*

Sæcul. VIII. A.C. 755.

abſciderunt, meſſes contriverunt, jamque inedia morimur. Servos S. Petri & Romanorum pluvimos jugulaverunt, alios in captivitatem abſtraxerunt: innocentes infantulos a mamillis matrum rapuerunt & interemerunt. Tanta mala nunquam a paganis Gentibus paſſi ſumus.

§. XVII.

Epiſtola Nomine S. Petri data.

Tandem Papa, in extrema conſtitutus neceſſitate, induſtria, cujus exemplum nec ſuperiora nec ſequentia tempora in tota Hiſtoria Eccleſiaſtica præbent, uſus, data nomine S. Petri ad Regem & Francos Epiſtola Apoſtolum ipſum loquentem, quaſi adhuc in terra viveret, induxit. Titulus ex Epiſtolis Canonicis deſumptus eſt hujusmodi: *Petrus vocatus Apoſtolus a JEſu Chriſto Dei vivi Filio.* Et infra cum S. Petro etiam S. Virginem, Angelos, Martyres, omnes alios Sanctos perorantes inducit, ut Franci currerent & ſubvenirent antequam fons vivus, unde ſacrati & renati eſſent, areſceret, & antequam Mater eorum Spiritualis ab impiis violaretur. *Adjuro vos*, inquit, *Dilectiſſimi! per Deum vivum! minime permittatis, hanc Civitatem meam Romanam & in ea habitantem populum amplius a Gente Longobardorum lania-*

Steph. ep. 5. Cod. Carol. 3

laniari; ne lanientur & crucientur corpora & animæ vestræ in æterno atque inextinguibili igni tartareo, ne dispergantur oves Dominici gregis mihi commissi, ne vos dispergat & projiciat Dominus, sicut Israeliticus populus dispersus est. Et post pauca: *Si obedieritis velociter, magnam inde mercedem recipietis, omnes vestros inimicos superabitis, eritis longævi, bona terræ comedetis, & æterna procul dubio fruemini vita. Sin autem, sciatis vos ex Auctoritate Sanctæ & unicæ Trinitatis per Gratiam Apostolatus mei vos alienari a Regno Dei & vita æterna.* Sæcul. VIII. A. C. 755.

Hæc epistola plurimum confert ad cognoscendum illius ævi genium, & quousque prosopopœjam viri alias gravissimi, si hanc oratorum figuram in rem suam facere crederent, extenderint. (*) Ceterum epistola ista, sicut & priores, vocibus æquivocis scatet. Vox Ecclesia non congregationem Fidelium, sed Bona temporalia Deo consecrata significat. Grex

(*) Nimius est hic iterum nec satis æquus Judex P. Balduinus dicens, quod Fleurius Stephanum & Paulum Pontifices tanquam Impostores (Fourbes) redarguat, quod epistolam a S. Petro scriptam commenti essent. Qui vero nimium affert, nihil probat. Ceterum etiam Cardinalis Baronius de hujus epistolæ modo dicit: *quod nunquam hactenus factum vidimus.*

Sæcul. VIII. A. C. 755.

JEsu Christi non animæ sunt, sed corpora. Promissiones bonorum temporalium antiquæ Legis cum pollicitationibus Spiritualium donorum Evangelii miscentur, & argumenta, quæ Religio habet sanctissima, in causa Reipublicæ adhibentur. (*)

§. XVIII.

Donatio Pipini.

Pipinus summis precibus exoratus in Longobardiam cum universis viribus movit; cumque in finibus Italiæ esset, Romam pervenerunt Legati Imperatoris Constantini Gregorius Protonotarius & Joannes Silentiarius ad Pipinum pro-

(*) Poterat utique, & Sancta intentione poterat, Stephanus Papa, præsertim consentiente populo Romano atque pensatis illorum temporum adjunctis, impedire, ne Longobardi Ducatum Romanum & Exarchatum suæ potestati subjicerent, poterat ad eum finem obtinendum etiam argumenta spiritualia adhibere. Sedes reliquæ Patriarchales in Orbe Christiano, scilicet, Alexandrina, Antiochena, Jerosolymitana sub jugo Saracenorum tantum non oppressæ gemebant. Sedem Constantinopolitanam Imperatorum Græcorum vexabat insania. Non ergo miremur, quod tandem Pontifices credederint, ad Fidem Catholicam per totum Orbem facilius

proficiscentes. Eos docuit Papa, adve- Sæcul. VIII.
nire in Italiam Pipinum, quod prope A. C. 755.
ipsorum fidem superabat, atque addito Legato, qui suo nomine Regem adiret, in Franciam dimisit. Illi itinere maritimo Massiliam contendunt, ubi comperto, quod Pipinus jam Longobardorum ditiones invasisset, hoc nuncio perterriti, Legatum Papæ Massiliæ distinere conantur, ne Regem Franciæ adiret, sed cum frustra essent, Gregorius Legatorum alter ad Regem properans, eundem prope Ticinum habuit. Ibi igitur vehementer rogat, addens promissa ingentia, ut Imperatori Ravennam, ceterasque, quæ Exarchatus fuerant, Civitates restitue-

facilius propagandam, & Splendorem Cathedræ S. Petri conservandum, optimam fore rationem, si Ecclesiæ Romanæ illam libertatem & immunitatem, quam non a Longobardis, sed a Regibus Francorum sperabant, asserere omni virium contentione adlaborarent. Præterea permisit Deus, ut illam felicitatem & prosperitatem in rebus temporalibus, quam Stephanus Papa in suis epistolis Regibus Francorum promisit, si Patroni & Defensores Romanorum esse vellent, sequenti tempore abunde consequerentur. Hæc & plurima alia, quæ ad purgandum Stephani & Pauli Pontificum factum adduci possunt, considerare Fleurium oportuisset, & ab acerba censura abstinere.

Sæcul. VIII. A. C. 755.

ret. (*) Rex memor, quod in Conventu Cariſiacenſi hæc omnia Eccleſiæ donaſſet, reſpondit; nullatenus ſe conceſſurum, ut hæ Provinciæ e poteſtate S. Petri & Eccleſiæ Romanæ eriperentur, affirmans jurejurando, ſe nullis præmiis humanis inductum, tot præliis objeciſſe caput, ſed amore S. Petri, & ſpe veniam ſuorum peccatorum promerendi; denique, quidquid ſibi mundus promitteret, nunquam eo adduci poſſe, ut fidem datam falleret, & S. Petrum promiſſis fraudaret. Hoc Reſponſo dato Legatum Imperatoris Romam per aliam viam miſit, Civitatem vero Ticinenſem cum ad ultima redegiſſet, Longobardorum Rex pacem rogavit promittens, ſe pacta anni ſuperioris ſervaturum, & Civitates omnes redditurum, quas Rex Pipinus S. Petro, Eccleſiæ Romanæ & omnibus Pontificibus in perpetuum donavit. Hujus Donationis litteræ in tabularia ejusdem Eccleſiæ repoſitæ ſunt. Pipinus in Franciam rediens Abbati Fulrado, viro ſibi a conſiliis, mandavit, ut ſuo nomine Civitates reciperet. Is cum Delegatis Regis Aiſtulphi primum Ravennam, & deinde in omnes Pentapolis & Æmiliæ civita-

Cont. 4. Fred. n. 121.

(*) Simplicem profecto Græcorum Imperatorem! ſi credidit, Italiam nudis verbis ſervari poſſe.

vitates se contulit, quarum Claves ablatas Romæ cum exarata Regis Pipini Donatione super Confessionem S. Petri deposuit. Hac ratione Papa in possessionem Civitatum viginti duarum immissus est, scilicet Ravennæ, Arimini, Pisauri, Fani, Cæsenæ, Senogalliæ, Aesii, Fori Popilii, Fori Livii, Castri cari, Montis Feretri, Acerragii, quod hodie ignoratur, Montis Lucari, forte illius urbis, quæ hodie Noceria dicitur, Serravallis, S. Mariniaci, Bobii, Urbini, Callii, Lucceolorum prope Candianum, Eugubii, Commacli, & Narniæ. Ita hæ Civitates ab Anastasio enumerantur, atque hoc Ecclesia Romana Principatus terreni nacta est fundamentum. Sæcul. VIII. A. C. 755.

§. XIX.

Ecclesia Ultrajectensis.

Sanctus Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus comperta Papæ Stephani II. * electione datis ad eum litteris Communionem Sacræ Sedis, consilia & præsidium, quod ab Antecessoribus ejus, Gregoriis & Zacharia accepisset, petiit. Dicit se jam annis triginta sex S. Sedis Legatum esse; unde annus 754., si initium ducatur ab anno 718., dispicitur. Subjungit: *Rogo, ne mihi subirascaris, quod tardius ad te miserim. Quippe me plusquam triginta Ecclesiæ* *ep.* 91. * Stephani III. *Sup. t. XLI. §. 34.*

Sæcul. VIII. A. C. 755.

cleſiæ reparandæ, quibus Pagani ignem ſubjecerant, morabantur.

Haud multo poſt tempore S. Bonifacius ad Stephanum Papam alteram epiſtolam dedit ſcriptam in hunc modum:

Ep. 97. Sup. l. XLI. §. 1.

Sergio Papa S. Petri Sedem tenente Presbyter vir piiſſimus Willibrordus, alio nomine Clemens, cum Romam veniſſet, a Papa ordinatus Presbyter, ad Nationem Infidelem Friſonum miſſus eſt, quibus prædicaret Evangelium. Is igitur quinquaginta annis ibi fidem prædicans maximam incolarum partem convertit, templa idolorum deſtruxit, Eccleſias ædificavit, & præter cæteras unam in honorem Salvatoris ibique, nempe in urbe Ultrajectenſi, Sedem ſuam Epiſcopalem fixit. In illa civitate usque ad ultimam Senectutem permanens, ordinato ſibi Succeſſore, quievit in pace. Cum deinde Carolomannus Francorum Princeps curam Eccleſiæ Ultrajectenſis mihi dediſſet, juſſiſſetque, ut ibidem ordinarem Epiſcopum, præcipienti obſecutus ſum. Nunc vero Epiſcopus Colonienſis contendit, ſibi jus eſſe in hanc Sedem ob exiguam Eccleſiam in urbe Ultrajectenſi, quam cum Willibrordus inveniſſet funditus collapſam, & reſtauraſſet, in honorem S. Martini dedicavit. In rem ſuam affert Colonienſis, Regem Dagobertum Civitatem Ultrajectenſem cum hac Eccleſia collapſa Sedi Colonienſi donaviſſe

ea

ea conditione, ut Episcopus Colonienſis Frisones converteret; quod vero effectum non dedit. Imo ne quidem ibi prædicavit, ſed infideles fuerunt, donec Willibrordus ad eos miſſus eſt. Hodie vero Epiſcopus Colonienſis Ultrajectenſem Civitatem ſibi vindicare & Sedem Epiſcopalem ſupprimere cupit. Reſpondi; majorem rationem habendam eſſe Mandati Sacræ Sedis, jubentis, Epiſcopum ibi conſtitui, qui Friſonum Genti Fidem prædicaret, quam fundatæ exiguæ Eccleſiæ, jam collapſæ & negligentia Epiſcoporum Colonienſium deſertæ. At ille a ſententia ſua non dimovetur. Igitur a Bonitate tua expecto, ut mihi mandes, an probetur tibi meum reſponſum, & ea omnia ex Tabulis Eccleſiæ tuæ deſcribi cures, quæ in hac cauſa Sergius ad Willibrordum Epiſcopum ſcripſit. Aut ſi aliter tibi videtur, fac, ut ſciam, & mandatis tuis obſequar. Sedem Colonienſem tunc temporis tenebat Hildebertus, qui ante breve tempus ſucceſſerat Hildegario, a Saxonibus trucidato; ad eos enim a Rege Pipino miſſus fuerat de pace acturus.

Sæcul. VIII. A. C. 755.

Coint. ann. 753. *n.* 36. *&c.* *Ann. Fuld. an.* 753.

§. XX.

Lullus Archiepiſcopus Moguntinus.

Forſitan iſta Epiſcopi Colonienſis molimina S. Bonifacium annis gravem, & infirma valetudine affectum permoverint,

Sæcul. VIII. A. C. 755.

rint, ut in Frisiam rediret. Igitur consentiente Rege hoc iter suscepit, & postquam magnum Paganorum numerum in Frisia convertisset, & baptizasset, elapso non exiguo temporis spatio ad Ecclesias suas in Germaniam rerversus est, anno a condito Fuldensi Monasterio decimo, seu Salutis septingentesimo quinquagesimo quarto. Anno sequente iterum in Frisiam profectus est; prius vero, quam se itineri daret, Successorem in Sede Moguntina sibi ordinavit. Fuit is Lullus ex fidissimis sibi Discipulis electus, natus in Anglia, & olim in Monasterio Maldubiensi, seu Malmesburiensi Monachus. In Germaniam trajecerat cum aliquot sociis, a S. Bonifacio rogatus, ut laborem Apostolicos secum partiretur. Cum jam esset Presbyter, Romam a S. Bonifacio ad S. Zachariam Papam anno 751, ut diximus, mittitur, & elapso triennio Episcopus ordinatur anno septingentesimo quinquagesimo quarto secundum facultatem, quam idem Papa S. Bonifacio dederat, sibi Successorem deligendi. S. Bonifacius, ut consensum Pipini Regis in hanc Electionem obtineret, ad Fulradum Abbatem scripsit in hunc modum:

Act. SS. Ben. to. 4. p. 391.

Sup. lib. XLII. §. 57.

Fateor, me gratias tibi debere maximas ob plura beneficia mihi in adversis opportune præstita; sed rogo, ut, quæ bene cœpisti, perficias, & ad Regem deferas, me ami-

ep. 92.

amicosque meos sentire, instare vitæ meæ finem, id enim corporis infirmitates denunciant. Hinc obtestor Principem, ut jam nunc mihi aperiat, quæ beneficia post mortem meam Discipulis meis collaturus sit. Ferme omnes exteri sunt, aliqui Presbyteri in diversis locis pro Ecclesiæ Ministerio dispersi, aliqui Monachi in exiguis nostris Monasteriis erudiendis pueris operam dant. Sunt senes, qui multis annis mecum versati, me in laboribus meis adjuvarunt. Horum omnium cura me angit; timeo, ne post obitum meum dispergantur, & populi, qui regionibus Infidelium proximi sunt, fidem JEsu Christi amittant. Ideo pro ipsis & consilium tuum & præsidium peto. Præterea obtestor te in nomine Dei, ut Filium Fratremque meum Lullum facias constitui Episcopum, qui his Ecclesiis ministret, sitque Presbyterorum, Monachorum, & populorum Doctor. Spero ipsum Muneri suo non defuturum. Illud vero inprimis me affligit, quod Presbyteri mei, in finibus Paganorum existentes pauperrimam vitam degant; panem siquidem, sed non vestimenta, acquirere sibi possunt, nisi quis ipsis suppeditet, quod ego hactenus feci. Responsum tuum mihi mitte, ut eo majore solatio vel vivam, vel moriar.

Sæcul. VIII. A. C. 755.

Epistola S. Bonifacii.

Itaque S. Bonifacius Lullum Archiepiscopum Moguntinum Rege Pipino, Episco-

Othl. lib. II. c. 19.

Sæcul. VIII. A. C. 755.

Episcopis, Abbatibus, Clericis, & cunctis suæ Diœcesis Optimatibus consentientibus ordinavit, eique ultima mandata in Frisiam confestim discessurus dedit in hæc verba: *Instat hora mortis meæ, perfice, Fili mi! ædificium Ecclesiarum, quod in Thuringia inchoavi. Populorum conversioni strenue incumbe. Ecclesiam Fuldensem absolve, & cura, ut in ea sepeliar. Omnia, quæ nobis iter ingressuris necessaria sunt, confer, & in sarcinam eandem, qua libros meos, etiam immitte, linteum, quo defunctus involvar.* Ad hæc verba Lullus lacrymis diffluebat. S. Bonifacius Liobam quoque Abbatissam vocari jussam hortatus est, ut ex Germania nunquam discederet, quamvis esset advena, nec in observatione votorum suorum sive ob infirmitatem corporis, sive ob temporis longitudinem quidquam relaxaret, sed mercedem æternam cogitaret. Ei cucullum suum dedit, atque eandem Episcopo Lullo, & Senioribus Monasterii Fuldensis præsentibus commendans, jussit, ut in eodem secum tumulo sepeliretur.

Willib. c. II. vit. S. Liob. n. 20. to. 4. p. 255.

§. XXI.

S. Bonifacii Martyrium.

Willib. c. II. n. 34.

Tandem S. Bonifacius iter ingressus est, & secundo Rheno in Frisiam vectus multa Paganorum millia baptizavit, tem-

pla

pla evertit, Ecclesias condidit, adjutorem habens Eobanum, quem S. Willibrordo fatis functo Episcopum Ultrajectensem ordinaverat. Præterea cum ipso socii decem, Presbyteri tres, Diaconi tres, & Monachi quatuor in vinea Domini operabantur. Ceterum diem præstituerat, qua neobaptizatos confirmaret; verisimiliter hæc dies Paschæ fuit. Illi vero interea in suam quisque domum reversi fuerant. Hanc ergo diem & redituros Neophytos expectabat Sanctus Vir sub Tabernaculis cum sociis suis in ripa Burdæ amnis, qui illa tempestate oram Frisiæ Orientalis ab Occidentali dividebat, cum ecce! illa die summo mane adsunt non Neophyti illi, sed cohors Infidelium furiosorum, qui scutis & lanceis armati in Tabernacula S. Episcopi irruunt. Egrediuntur servuli, irrumpentes armis repulsuri; at S. Bonifacius audito clamore Clericos convocat, & acceptis Reliquiis, quas semper apud se habebat, tentorio excedens dicit ad suos: *Filii! nolite pugnare, nam docet nos Scriptura, malum pro malo non reddere. Adest dies a me jam diu expectata. In Deo confidite & salvabit animas vestras.* Tum Presbyteros, ceterosque socios exhortatur, ut ad Martyrium fortiter subeundum animos compararent.

Sæcul. VIII. A.C. 755.

vid. Mabill. tom. 4. act. p. 3.

Sæcul. VIII. A. C. 755.

Illico Infideles, furioso impetu in Sanctos Viros irruentes, ad unum omnes interficiunt; moxque victoria exultantes, ex castris prædas agunt. Arcas libris plenas & capsas Reliquiarum asportant, credentes, se magnam auri argentique vim reperturos. Ad navigia deinde diripienda discurrunt, in quibus annona vehebatur, statimque dolia vini auferunt inaperta; postquam vero, quid inesset, cognoverunt, potarunt avidis faucibus. Ubi deinde de præda & thesauris dividendis, quos frustra sperabant, deliberarunt, rixari cœperunt, & cum ferro non parcerent, non nulli jugulati sunt. Superstites ovantibus similes ad cistas currunt, effringunt, & nihil intus nisi libros contineri obstupescunt. Inde in rabiem acti codices per campos dispergunt, in paludes projiciunt, inter arundines & in locis desertis occultant, ubi nihilominus multo post tempore integri inventi sunt, quod prodigiis accensendum crediderunt.

S. Bonifacius Martyr.

Passus est S. Bonifacius Martyr quinta Junii anno 755., Indictione octava, anno, postquam in Germaniam venisset, quadragesimo, post susceptum Episcopatum trigesimo sexto, ætatis septuagesimo quinto, sociosque glorioso Martyrii habuit quinquaginta duos. Brevi post passionem ejus tempore Cuthbertus Archiepisco-

Mabill. act. to. 4. p. 90.

chiepiſcopus Cantuarienſis in ſua Synodo juſſit, ut ſingulis annis feſtum ipſius celebraretur. Præterea Eccleſia Catholica ejusdem memoriam honorat. Cum autem necis ejus fama totam Provinciam protinus pervolaſſet, Chriſtiani collecto valido exercitu, elapſo vix triduo Infidelium regionem invadunt, & licet plurimos reſiſtere non valentes fuga abſtulerit, magnum tamen eorum numerum gladio interimunt. Tum domos agrosque depopulantur, eorum uxoribus, filiis, & mancipiis in captivitatem abſtractis. Tandem illi pagani, qui non fugerant, tot malis preſſi meliorem ſortem elegerunt & ferme omnes Fidem ſuſceperunt. Ita S. Bonifacius opus, quod vivens inchoaverat, ſua morte perfecit. Sæcul. VIII. A. C. 755. *Martyr. R. 5. Jun.*

S. Bonifacii corpus primo Ultrajectum translatum & ſepultum eſt. Deinde vero Lullus Archiepiſcopus illud Moguntiam deferri juſſit, & quamvis populus Moguntinus cariſſimi Paſtoris Reliquias ſibi retinere cuperet, ut S. Viri voluntati, quam vivens manifeſtaverat, ſatisfieret, in Eccleſia Fuldenſi terræ mandatum eſt. Libri quoque, quos S. Viro occiſo Infideles in diverſa ſparſerant, illuc allati, atque hodiedum tres ibi viſuntur, quorum primus continet Canones novi Teſtamenti, id eſt, veterem concordantiam. Secundus Martyris ſanguine tinctus

Sæcul. VIII. A. C. 755.

ctus epistolam S. Leonis ad Theodorum Forojulienſem, Tractatum S. Ambrosii de Sancto Spiritu, & plura alia opera complectitur. Tertius est Liber Evangeliorum, quem S. Bonifacii manu scriptum ferunt.

Sup. lib. XXIX. §. 15

§. XXII.

S. Bonifacii Libri, & Discipuli.

Opera quæ nobis de S. Bonifacio supersunt, de quibus certius constat, esse ejusdem partus, sunt ipsius Epistolæ magno numero, sine ordine collectæ, cum pluribus aliis ad ipsum datis, vel a Discipulis ejus scriptis. Retuli memoratu digniores, ex quibus S. Viri zelus, candor, & humilitas elucent. Eidem tribuuntur Statuta seu Monita Episcopis & Presbyteris data in Articulos triginta sex divisa, unde sequentia notari merentur.

to. 6. Conc. p. 1890.

n. 4. *Presbyteri sine Sacro Chrismate, oleo benedicto, & Eucharistia non proficiscantur, ut ad officium suum semper inveniantur parati.*

n. 5. *Sub sigillo custodiant Chrisma & nemini sub prætextu medicinæ vel cujuslibet rei illud dare præsumant.*

n. 27. *Qui baptizantur, in lingua patria abrenuncient, & Fidem confiteantur, ut sciant, quid promittant.*

n. 28. *Si de aliquibus dubium est, utrum sint baptizati, absque ullo scrupulo baptizentur; his tamen verbis præmissis: Non te rebaptizo, sed si nondum es bapti-*

baptizatus, ego te baptizo etc. Hoc primum est, quod mihi occurrit, exemplum sub conditione quemquam baptizandi. *Quia varia necessitate præpedimur, Canonum Statuta de reconciliandis pœnitentibus pleniter observare, curet unusquisque Presbyter statim post acceptam confessionem pœnitentium singulos data oratione* (*) *reconciliari.* Id est, non expectetur, donec pœnitentia fuerit completa. *Qui pœnitentiam in infirmitate petit, & deinde oppressus obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, non solum per manus impositionem reconcilietur, sed infundatur ori ejus Eucharistia.* Ex his verbis videtur sola species vini denotari. (**) In ultimo Articulo Festa totius anni indicantur in hunc modum: *Natalis Domini, cum tribus diebus sequentibus, Circumcisio, Epiphania, Purificatio, Pascha cum tribus sequentibus diebus, Ascensio, Natalis S. Joannis, Festum SS. Petri & Pauli, Assumptio*

Sæcul. VIII. A. C. 755.

(*) Hæc *Oratio data* quid aliud fuit, nisi absolutio a peccatis? Inde contra Protestantes tam usus confitendi, quam reconciliandi peccatores probatur.

(*) Vel potius minima Eucharistiæ particulâ aquæ vel vino mixta, quo facilius eam moribundus sumeret. Nam nullibi legimus, S. Eucharistiam, sub specie Sanguinis tantum, Fidelibus fuisse collatam.

Sæcul. VIII. A. C. 755.

ptio S. Virginis (*), *Nativitas, & Passio S. Andreæ.* De Pentecoste prius aliqua mentio facta.

S. Bonifacius jure merito Germaniæ Apostolus, & Disciplinæ in Francia Restaurator habetur, cujus Monasterium Fuldense illo & sequente sæculo celeberrima totius Ecclesiæ Occidentalis schola evasit. Inter ejusdem Discipulos præcipui numerantur S. Burchardus Episcopus Herbipolensis, ante quadriennium vita functus, nempe anno 751. secunda Februarii, quamvis Ecclesia decima quarta Octobr. ejusdem memoriam colat. Is Successorem in Sede Herbipolensi habuit Megingaldum, alterum S. Bonifacii Discipulum. His item accensentur S. Lullus Archiepiscopus Moguntinus, S. Willibaldus Episcopus Eichstädtensis, qui Magistri sui vitam scripsit, S. Gregorius Abbas, qui etsi Episcopus non esset, mortuo S. Eobano Diœcesim Ultrajectensem rexit, S. Sturmius Abbas Fuldensis, S. Winebaldus S. Willibaldi Frater, & S. Walpurga Abbatissa.

Martyr. R. 14. Octobr.

§. XXIII.

(*) Ecce! primo hic occurrit vox *Assumptionis* Beatissimæ Virginis. Cum ergo Fideles in his Sæculis eodem modo locuti sint ac hodie, signum est, quod etiam idem de Assumptione ejusdem Virginis cum corpore & anima crediderint.

Sæcul. VIII. A.C. 755.

§. XXIII.

Concilium Vernense.

Eodem anno septingentesimo quinquagesimo quinto, Pipini Regis quarto, undecima Julii, idem Rex Concilium in Verno ad Sequanam universorum ferme Galliarum Episcoporum ad emendandam Disciplinam congregari jussit. Ibi propositum erat majores solummodo abusus tollere, donec commodiore tempore perfecta antiquorum Canonum observatio reduceretur, & tepor ex necessitate toleratus abigeretur. In illo Concilio viginti quinque Canones conditi, quorum præcipui sunt. *Ut bis in anno Synodus fiat. Prima Synodus prima die Martii, ubicunque Domnus Rex jusserit, in ejus præsentia. Secunda Synodus celebretur prima die Octobris, Suessione, aut alibi, uti in Kalendis Martiis inter Episcopos convenerit. Adsint in secunda Synodo Episcopi, Abbates, & Presbyteri, quos Metropolitani venire jusserint.* Hactenus prima dies Martii ad Conventus generales Francorum celebrandos, ubi de negotiis Reipublicæ ageretur, constituta fuerat, sed Pipinus eodem anno futuris temporibus primam diem Maji præscripsit.

to. 6. Conc. p. 1890.

can. 4.

Ann. Pet. to. 2. du Chesne. p. 7.

Episcopi Monasteria reforment. Quod si Episcopus non potuerit, Metropolitanus

c. 5.

Sæcul. VIII. A. C. 755.

provideat, si Metropolitæ non obediant Monachi, ad Concilium veniant, & Canonicam sententiam accipiant. Si Abbates aut Abbatissæ Synodum contempserint, excommunicentur, & alii in eorum loco secundum voluntatem Regis constituantur. Nulla Abbatissa duo Monasteria habeat. Non habeat licentiam exeundi extra Monasterium, nisi hostes immineant, aut Rex eam venire præceperit, semel in anno, & consentiente Episcopo.

c. 10. *Monachis non liceat Romam proficisci, aut alio, sine licentia Abbatis. Sed ex Monasterio, in quo alget charitas, & Regula negligitur, ad aliud magis Regulare transire consentiente Episcopo liceat. Si Monasterium Regale est, Monachi redituum suorum rationem Regi reddant, si Episcopale, Episcopo.* Monasteria Regalia nuncupabantur illa, quæ Reges fundaverant, erantque ab Episcopis exempta, & soli Archicapellano subjecta.

c. 7. *Baptisterium publicum nullibi sit, nisi in loco, ubi Episcopus constituerit, sed eveniente casu necessitatis Presbyteri ubique baptizare possint. Extra casum necessitatis nullus Presbyter baptizare, aut Missam celebrare sine jussione Episcopi audeat.*

c. 8. *Qui dicunt, quod se ex amore Dei tonsuraverint, de suis tamen vivunt, & Præpositum nullum agnoscunt, compellantur, ut cum Monachis in Ascetorio vivant,*

vivant, aut cum Clericis sub manu Episcopi sint. Episcopi sine Diœcesi, & quorum Ordinatio non est satis cognita, sine licentia Episcopi Diœcesani nullo officio fungantur. Episcopi, Abbates, Laici etiam pro administranda Justitia Salarium non accipiant. Dies Dominica non Judaice, quod populi adhucdum solebant, sed Christiane sanctificetur. Omnes Peregrini ab exactionibus Telonii exempti sint. Tam nobiles quam ignobiles publice nubant. Excommunicatus Ecclesiam non ingrediatur, nec cum quocunque Christiano bibat aut manducet. Nemo cum ipso oret, munera accipiat, osculetur, aut salutet. Qui sciens cum ipso communicaverit, & ipse excommunicatus sit. In fine hujus Concilii Vernensis in quibusdam exemplis octo Articuli visuntur, qui Concilio Metensi tribuuntur, & æque ad negotia temporalia, ac ad Religionem pertinent.

Sæcul. VIII. A. C. 755.

c. 13.

c. 25.

c. 22.

c. 15.

c. 19.

c. 9.

Alii quinque Articulos ultimos in Concilio Vernensi, & primos tres in Concilio Compendiensi anno 757. conditos putant.

Coint. an. 755. n. 208.

§. XXIV.

S. Othmari Calumniatores.

Sanctum Othmarum Abbatem S. Gallensem duorum Comitum Guarini & Rodoardi improbitas compulit, ut ad Re-

vit. c. 4. to. 4. Act. SS. Be. p. 157.

Sæcul. VIII. A. C. 755.

gem Pipinum querelas deferret. Nam cum Rheni superioris Provinciæ, quæ illa tempestate adhucdum Allemannia dicebatur, præessent, in suis præfecturis magnam partem Bonorum Ecclesiasticorum, præsertim agros Monasterii S. Galli vi ad se rapiebant. Igitur S. Othmarus veritus ne rei domesticæ penuria hujus Monasterii Disciplinam everteret, Regem Pipinum adit, Præfectorum avaritiam manifestat, aitque: *Nisi hominum istorum cupiditatem reprimis, o Rex! tu ipsum rapinæ participem facis.* Rex utrumque ad se vocatum increpat, præcipiens, ut omnia, quæ usurpassent, Ecclesiæ redderent, nisi se offensum vellent. Illi ad præturas suas reversi non modo Regis mandata contemnunt, sed etiam in Accusatorem iram & vindictam coquunt. Igitur S. Othmarum iterum ad Regiam pergentem, ut accusationem renovaret, immissis secreto militibus ab itinere vinculis onustum retrahunt, & quemdam Monachum, nomine Lambertum, subornant, qui Abbatem criminis incontinentiæ deferret.

Convocatur Concilium, anno septingentesimo quinquagesimo quinto, Sidonio Episcopo Constantiensi & Abbate Augiensi seu Richenoviensi Præside. Vir venerabilis Othmarus in medio Concilii collocatur, & Lambertus Monachus dicit,

cit, se quamdam fœminam nosse, quæ a viro beato vim fuisset perpessa. S.Othmarus primo nullum dedit responsum. At ceteris instantibus ait: *Fateor, me peccasse in multis; de hujusmodi autem objectione criminis secreti mei inspectorem Deum invoco testem!* Et quamvis illi urgerent, ut causam suam pluribus defenderet, tacitus perduravit, sciens, verba nihil profutura. Ergo damnatur & in Palatio prope Villam Potamum hodie *Podmen* includitur, quo cum nemo intrare vel colloqui cum eo permitteretur, & aliquot dies nihil cibi fuisset illatum, suorum Monachorum aliquis noctu advenire solebat, & ei victus solatia ministrare. Postmodum Gozbertus vir potens a Præfectis impetravit, ut Vir Sanctus suæ custodiæ committeretur, eumque in Rheni fluminis Insula nomine *Stein* custodivit, ubi Vir Sanctus, solitudinis amans, totum se se orationi & jejunio dedit. Ibidem S.Othmarus diem supremum oppetiit exactis annis quatuor, Pipini Regis septimo seu Salutis septingentesimo quinquagesimo nono, decima sexta Novembris, qua die Ecclesia ejusdem memoriam colit. Monasterium S. Galli annis quadraginta rexerat, quo etiam, elapso ab obitu ejus decennio, corpus repertum incorruptum translatum est. Ceterum Lambertum Monachum, qui S. Viro

Sæcul. VIII. A C. 755.

Mart. Rom. 16. *Nov.*

Sæcul. VIII. A. C. 756.

Viro crimen luxuriæ impegerat, mox postquam calumniam protulisset, febris corripuit; morboque usque adeo affectus est, ut reliquo vitæ tempore nec corpus erigere, nec caput ad conspiciendum cœlum levare valuerit; sed crimen suum & S. Viri innocentiam fatebatur.

§. XXV.

Desiderius Rex Longobardorum.

Anast. in Steph.

Aistulpho, Rege Longobardorum, ineunte anno septingentesimo quinquagesimo sexto, fatis functo Desiderius Thusciæ Dux Regnum sibi vindicare molitus est, utque arcanis consiliis Rachis, olim Regis, & tunc in Monte Cassino Monachi resisteret, confugit ad Stephani Papæ Patrocinium, pollicitus se Reipublicæ, nempe Imperio, reliquas Urbes, quas Longobardi possidebant, redditurum. Papa, hanc rem suadente Abbate Fulrado, eundem atque Paulum Diaconum Germanum suum cum Christophoro sibi a consiliis in Thusciam mittit ad Desiderium, quocum percussum est fœdus. Ad Rachim deinde Stephanum Presbyterum cum Epistolis ad ipsum & ad omnes Longobardos directis mittit. Ex alia parte Fulradus auxiliares Francorum copias Desiderio adduxit, effecitque, ut, si armis disceptandum esset, etiam

Sup. Lib. XLII. §. 55.

tiam adessent Romanæ. Ita Desiderius sine cæde Rex salutatur. Eodem tempore Papa misso Legato aliquas Civitates, a Desiderio promissas, nimirum Faventiam, totum Ducatum Ferrarienſem, præter duas alias urbes recepit. Sæcul. VIII. A. C. 756.

Præterea Stephanus ad Regem Pipinum mittens Georgium Episcopum, Joannem Sacellarium & Fulradum Abbatem, deferendas Epistolas dedit, in quibus eum de Electione Desiderii certiorem facit, rogat, ut eundem tueretur, si promissa impleat, & celeriter ad Desiderium mitteret, qui urgerent, promissa effectui dari. Subjungit Pontifex: *Rogamus te instantissime! ita cum Græcis agas, ut Fides Catholica in perpetuum conservetur, Ecclesia ab eorum nequitia liberetur, & omnia sua patrimonia ad sustentanda luminaria, ad alendos pauperes & peregrinos recuperet. Certiores nos fac eorum, quæ Silentiario* (nempe Legato Constantinopolitano) *respondisti, & descripta exempla litterarum, quas ipsi tradidisti, nobis mitte, ut ea, de quibus cum Fulrado inter nos convenit, juncta opera efficiamus.* *Epist.6. cod. Carl. 8.*

§. XXVI.

Constantinus Catholicos persequitur.

Constantini Imperatoris improbitas satis

Sæcul. VIII. A. C. 756.

tis demonstrat, Papam non sine causa Pipinum ad ferendum periclitanti Religioni auxilium contra Græcos exstimulasse. Quippe ille urbibus Theodosiopoli & Melitina captis, & inde Syris Armenisque accitis, agros in Thracia excolendos dedit anno Regni sui decimo quinto, salutis septingentesimo quinquagesimo quinto; unde numerus Hæreticorum Paulinianorum (hæc Secta Manichæorum erat) non parum auctus est. Præterea secundum Decreta Conciliabuli sui imagines confringebat, vel delebat, & persequebatur Catholicos, præsertim Monachos, in quos implacabili ira ardebat. Ergo Monachorum zelosissimi ex locis Constantinopoli vicinis, ex Bithynia & Provincia Prusiadena collecti ad Montem S. Auxentii se contulerunt, celeberrimum prope Nicomediam Monasterium, cujus Sanctus Fundator Concilio Calcedonensi interfuerat. Tunc vero illi Monasterio præerat Stephanus, Abbas numero sextus, fama pietatis & austerrimæ vitæ notissimus. Cum Monachi ex diversis his locis ad eum venissent, ob grassantem Hæresim afflictissimum, dixerunt: *Pater mi! angustia sunt nobis undique, timemus enim, ne bujus vitæ amor, homini innatus, ad prodendam Religionem nos impellat.* Stephanus respondit: *Quia tres solum reperire*

Theoph. p. 360.

Sup. n. 7.

v. S. Steph. p. 447.

p. 416.

p. 415.

rire est Provincias, quas detestabilis Hæ- Sæcul. VIII.
resis non inficit, suadeo, ut in eas vos re- A. C. 756.
cipiatis. Sunt Regiones Ponto Euxino proximæ, qua Scythiam contingunt, Cyprus Insula, Lycia inferior, Tripolis usque Tyrum & Joppen, tandem Neapolis & Roma antiqua. Scitis, quod Episcopi Romanus, Antiochenus, Jerosolymitanus, & Alexandrinus errori Iconoclastarum non solum Anathema dixerint, sed etiam sæpissime datis litteris tantum scelus Imperatoribus vehementissime exprobraverint, Apostatam & Hæresiarcham appellantes. Admodum venerabilis & sapientissimus Presbyter Joannes Damascenus, quem Tyrannus MANSUR nominat, non cessavit eundem per litteras exhortari, dicens, quod esset Hæreticus manifestus, Sanctorum hostis, Episcopi vero ipsi subjecti essent Parasitastri, Gastrimargi, & mimorum spectatores. Plura alia adjecit Stephanus, ut anxios consolaretur; quibus auditis Monachi, qui advenerant, mœrentes orarunt, moxque vale ultimo dicto, in illas provincias, sicut S. Abbas suaserat, divisi sunt. Itaque Monachi omnes relicta Constantinopoli, alii Ponti Euxini oras, alii Cyprum, alii Romam petierunt.

§. XXVII.

Sæcul. VIII. A. C. 756.

§. XXVII.

Persecutio sub Arabibus.

Theoph. an. 16. p. 361.

Christiani in Oriente quoque ab Arabibus persecutionem patiebantur. Theodorus Patriarcha Melchita Antiochenus, Theophylacti Successor, cum eorum invidiam incurrisset, accusatus, quod sæpe ad Constantinum Imperatorem litteras daret, quibus eorum Rempublicam proderet, & proscriptus est in Regionem Moabitarum, patriam suam, jubente *Salem* Syriæ Præfecto, *Ali* filio, Abdallæ fratre, & ex consequenti Califæ *Almanzor* Patruo. *Salem* etiam prohibuit, ne novæ Ecclesiæ ædificarentur, ne ullum signum Crucis publice exponeretur, & ne Arabibus fides Christiana prædicaretur. Agebatur tunc annus septingentesimus quinquagesimus sextus, Regni Constantini decimus sextus. Anno sequente 757. *Salem* Tributa Christianorum in singula omnino capita extendit, ita ut etiam a Monachis, ab Anachoretis & Stylitis ea exigerentur. Thesauros Ecclesiarum custodiri, & sigillum apponi jussit, quos Judæis a se accitis venderet; at coemerunt eos Liberti. Id de Libertis Ecclesiarum intelligendum arbitror. Præterea *Salem* viros sex, Persarum præcipuos, de Secta Magorum, ut sibi ab *Almanzor* imperatum erat, capi-

Id. an. 14.

capite plexit. Hi quibusdam suæ natio- Sæcul. VIII.
nis illudentes persuaserant, ut bonis suis A. C. 757.
omnibus venditis nudo corpore se de muris urbium suarum præcipitarent, concepta spe insana in cœlum volandi. Sed collapsi omnes colla fregerunt.

Arabes item stimulante invidia pro- *an.* 19.
hibuerunt, ne Christiani Actorum publicorum tabulas conficerent; verum post breve tempus abrogata est lex ista, & ipsi coacti tabulas iterum Christianorum industriæ committere, cum ipsi, ru- *Theoph.*
des admodum, notas arithmeticas for- *an.* 26.
mare nescirent. Abdalla quoque filius *Ali*, alterius Califæ *Almanzor* patrui Christianos vexavit. Is prohibuit, ne litteras discerent, verisimiliter litteras Græcas, & ne noctu congregarentur in Ecclesiis, unde etiam Cruces auferri jussit. Ceterum non obstante Arabum per- *Theop.an.*
secutione, & regnante *Almanzor*, Emesi 20. *p.* 360.
Ecclesia magnifici operis in honorem S. Joannis Baptistæ ædificata est, quo etiam Caput ipsius ex Monasterio cavernæ, ubi sub Marciano Imperatore anno 453. *Sup. Lib.*
inventum fuerat, translatum est; quæ *XXVIII.*
Translatio anno Constantini vigesimo, *§.* 43.
JEsu Christi septingentesimo sexagesimo, regnantis Almanzor quarto contigit.

Biennio ante, nempe anno 758. Cos- *Eutych. to.*
mo Patriarchæ Melchitæ Alexandrino 2. *p.* 399.

Sæcul. VIII. A. C. 757.

succeſſit Politianus, ſedemque illam annis quadraginta ſex tenuit.

§. XXVIII.

Stephani Papæ obitus. Paulus Papa.

Anaſt.

Stephanus Papa S. Sedem non ultra annos quinque, & dies viginti octo tenuit. Sæpe Clericos in Palatio Lateranenſi congregatos exhortabatur, ut Sacræ Scripturæ & librorum ſpiritualium lectioni ſtrenue incumberent, unde ſophiſmata hoſtium Eccleſiæ ſolide refutarent. Menſe Martio ordinavit Presbyteros undecim, & Diaconos duos, per diverſa autem loca Epiſcopos viginti. Tandem fatis functus vigeſima ſexta Aprilis, Indictione decima, anno 757. ſepultus eſt ad S. Petrum. Vigeſima ſexta Febr. ejusdem anni Stephanus Papa Fulrado Abbati S. Dionyſii conceſſerat Privilegium habendi Epiſcopum proprium, quem Abbas & Monachi eligerent, & Epiſcopi illius Provinciæ conſecrarent, ut illi Monaſterio aliisque a Fulrado fundatis præeſſet; quippe omnia illa Monaſteria ſub ſingulari Sacræ Sedis præſidio exiſtebant.

to. 4. Act. SS. Ben. p. 336.

Stephano Papa jam cum morte luctante diviſus eſt populus Romanus, quibusdam Theophylacto Archidiacono fa-

venti-

ventibus, & in ejus domo conventum agentibus, aliis Paulum Diaconum Stephani germanum in Papam designantibus, qui majorem Magistratus Populique partem constituebant. Paulus e Palatio Lateranensi pedem non extulit, Papæ & Fratri suo ægrotanti ministrans; at Stephano in tumulum illato, illis, qui Theophylactum Pontificem optaverant, nihil moventibus, postquam Sedes vacasset mensem unum, Paulus 22. Maji anno 757. ordinatur, qui annos decem & mensem unum sedit. Sæcul. VIII. A. C. 757.

Is ab unguiculis sedente Papa Gregorio III. cum Stephano Fratre suo in Palatium Lateranense missus est, ut Disciplinam Ecclesiasticam edoceretur; ambos deinde Zacharias Papa Diaconos ordinavit. Erat Paulo mitissima indoles, magnaque in proximum charitas; & si quemquam alterius forte malitia vel levissime offendisset, illico nihil omittebat, quo afflicto solatium afferret. Aliqui testatum fecerunt, quod noctu cum aliquot servulis ad domos pauperum præcipue ægrotorum, qui de lecto surgere non valebant, se conferre soleret, iisdem alimenta aliaque necessaria abunde suppeditans. Item per nocturnas tenebras ad carceres pergebat, reos, qui de vita periclitabantur, liberabat, alios æris alieni causa detentos, solutis ex suo

Sæcul. VIII. A. C. 757.

debitis, dimittebat. Viduas, Orphanos omnesque, quacunque necessitate premerentur, adjuvabat.

Quamprimum Paulus Papa fuisset electus, & priusquam ordinaretur, datis ad Regem Pipinum litteris eum de morte Stephani Papæ Fratris sui & de sua Electione certiorem fecit, eandem, ac defunctus coluerat, amicitiam & fidelitatem usque ad sanguinem non solum suo, sed etiam Populi Romani nomine promittens, & postulans, ut in futurum quoque Ecclesiam Romanam tueri dignaretur. Cum sub idem tempus Immon Pipini Legatus Romam perveniisset, visum est Papæ & Magistratibus, eum usque ad peractam Consecrationem suam retinere, ut ad Regem deinde reversus testatum facere posset, quantum Roma & Regem & Francos amaret.

§. XXIX.

Concilium Compendiense.

to. 6. p. 1694.

Sub idem tempus Rex Pipinus Compendii celebrabat universalem Nationis Conventum, qui Conciliis, sicut alii Conventus illorum temporum, accensetur, quia simul cum Optimatibus intererant Episcopi. Huic Conventui intererant etiam Legati a Stephano Papa in Franciam missi, nimirum Georgius Episcopus & Joannes Sacellarius, quorum consen-

sus

fus in quibusdam de octodecim Canonibus hujus Concilii exprimitur. Canones vero ferme omnes de Matrimonii causis decernunt, & cum iis, quæ in Concilio Vermerienſi ſtatuta fuerant, affinitatem habent. Sæcul. VIII. A. C. 757. c. 9. 11. 12. *Sup. n. 2.*

In pluribus casibus viri mulieresque in pœnam admissi incestus matrimonium inire vetantur.

Si pars una affirmet, & altera neget, matrimonium esse consummatum, fides habenda est marito.

Lepra judicatur causa legitima dissolvendi matrimonii, data licentia ad alias nuptias transeundi.

Illud etiam notatur, Dominos lubentissime concessisse, ut Vasalli sui in Feudis uxores ducerent, quo dulcius uni loco affigerentur. Quippe præcipitur, ut qui feudum mutans etiam aliam uxorem accepit, secundam retineat. Quod ita accipiendum; si prima mortua fuerit. Si qui propter Faidam fugiunt ex patria, nec illi viri nec illæ fœminæ nuptias ineant. *c. 6. v. conc. Vermer. c. 11* *c. 18.*

Hæc Faida nihil aliud erat quam Jus vindictæ, Legibus Barbarorum propinquis viri occisi concessum, ubicunque percussorem invenissent. Baptismus a Presbytero, qui ipse non est baptizatus, collatus valet. *v. Cang. Gloss.* *c. 9.*

Sæcul. VIII. A. C. 757.

In eodem Conventu Compendiensi Rex Pipinus Imperatoris Constantini Legatos excepit, qui inter alia dona Organa afferebant. Idque omnes Historici adnotarunt; quia nempe tunc primo in Francia fuerunt visa.

Ann. Nazar. Mass. Tib. Laureſch. Loiſel. Metens.

Ad hunc Conventum Tassilo quoque Dux Bavariæ advenerat, & Fidelitatem promiserat, juramentis gravissime se obstringens, nam primo Reliquias, quas Rex semper portare solebat, manu contigit; deinde supra tumulos S. Dionysii in Francia, S. Germani Parisiensis, & S. Martini Turonensis, quo se cum Proceribus Boicis contulerat, eandem promissionem renovavit.

§. XXX.

Pauli Papæ Ædificia.

Ann. Petav. Paul. epist. 6. Cod. Carol. 27.

Cum Bertrada Regina hoc anno 757. filiolam, cui nomen Gisella datum, enixa esset, Rex Pipinus linteolum, quo parvula e sacro fonte levata involuta fuerat, per manus Wulfardi Abbatis S. Martini Turonensis ad Paulum Papam transmisit, quod donum Papa suscepit tanquam certum pignus, Regem velle, ut Gisellam loco filiæ suæ spiritualis haberet, ac si eam suis manibus e fonte Baptismi levasset; populo deinde in Ecclesia S. Petronillæ congregato, in memoriam Regis dedicavit Altare, & Missa celebra-

ta

ta sub Altari linteum, quod receperat, depositi. Sæcul. VIII. A. C. 761.

Ecclesia S. Petronillæ in Vaticano erat prope S. Petrum, quo Paulus Papa transferri curavit hujus Sanctæ corpus, ex antiquo Cœmeterio, ab ejus nomine dicto, effossum. Nam hujusmodi Cœmeteria extra urbem posita, diu neglecta, & ædificia ad ea pertinentia collapsa fuerant, illo præsertim tempore, quo Aistulphus Romam obsidebat. Ergo Paulus Papa Sanctorum corpora inde translata, solemni pompa in Urbem invecta, congruo honore in Titulis, Diaconiis, Monasteriis, aliisque Ecclesiis sepelivit. Præterea in Ædibus suis paternis Ecclesiam in honorem Pontificum S. Stephani Martyris & S. Silvestri Confessoris construxit, & magnam vim Reliquiarum illo contulit. Ut vero etiam Officium Divinum ibi celebraretur, Congregationem Monachorum ibidem fundavit additis pinguibus reditibus; id enim apparet ex aliquo Privilegio, Leontio Abbati concesso in Synodo, cui Episcopi viginti tres, Presbyteri Ecclesiarum Romanarum Titulares octo, & Archidiaconus subscripserunt. Dies huic Synodo apposita est secunda Junii, anno regnantis Constantini quadragesimo, Indictione decima quarta, nempe anno Salutis septingentesimo sexagesimo primo.

Anast. Paul. ep. 12. to. 6. Conc. p. 1690. Sigeb. Chr. an. 758.

Sup. n. 16.

Anast.

Sæcul. VIII. A. C. 761.

Ecclesia dicti Monasterii marmore ornata erat & opere vermiculato, Ciborium autem seu Tabernaculum (*) argenteum. Græci erant hujus Congregationis Monachi, atque conjectura est, fuisse de numero illorum qui suadente S. Stephano Auxentino Romam confugerant, ut Persecutioni Constantini Imperatoris se subtraherent.

Sup. n. 26.

Paulus Papa aliam præterea Ecclesiam ædificavit Romæ in platea sacra prope Templum Romuli in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli, illo loco, quo tempore Martyrii sui oraverant, & vestigia genuum eorum petræ impressa dicebantur.

Item in Vaticano intra septa Ecclesiæ S. Petri extruxit Oratorium Sanctæ Virginis opere Musivo & ære pretioso decoratum. Inter alia visebatur Statua Sanctæ Virginis ex argento deaurato centum librarum. Atque in eodem loco sepulchrum sibi condidit.

§. XXXI.

(*) Tabernacle. Heißet bey unserm Protestanten auf der 324. Seite, Sacramentshäuslein. Auf der folgenden Seite hat er gegeben *Lettres datées*, Regierungsinsiegel. Es war nicht das Regierungsinsiegel, sondern nur das Jahr der Kayserlichen Regierung angesetzet.

§. XXXI.

Sæcul. VIII. A. C. 761.

Epistolæ Pauli Papæ ad Pipinum.

Epistolæ pleræque, quas habemus, Pauli Papæ, ad Regem Pipinum directæ sunt, quibus auxilium petit, tum contra Græcos, qui initis cum Longobardis consiliis Ravennæ inhiabant, tum contra Longobardos, & Desiderium Regem, qui in pactis observandis & restitutione Civitatum adhucdum tergiversabatur. Hæc negotia minutatim enarrare nolo quæ sunt mere temporalia; quamvis Papa Antecessoris sui exemplum secutus, ea semper cum spiritualibus confundat. (*) Quasivero Longobardi Christiani, & ultra annos quinquaginta Catholici, plus hostes Religionis essent, quam Heruli & Gothi Ariani, quorum imperium Papæ non detrectaverant; aut

(*) Hic reflectendum ad dicta in Nota ad Num. XVII.

Ceterum, quamvis etiam aliis modis potuisset, hac tamen ratione, & non alia, nempe Regum Francorum Patrocinio & præsidio placuit Divinæ Sapientiæ Romanorum Episcoporum Successionem, quæ in ceteris Sedibus Apostolicis interiit, conservare. Sane parum opis contra Saracenos, tunc temporis Christiano orbi formidandos, in Desiderio Longobardorum Rege fuisset, qui vix non precario † Regnum impetraverat. † *Sup. §. 25.*

Sæcul. VIII. A. C. 761.

quasi Regi Franciæ libera facultas non fuisset examinandi, an causa esset justa, & præterea an Francorum Reipublicæ expediret Longobardis bellum inferre.

Sup. Lib. XXIX. §. 34 L. XXX. §. 27. 49.

Id porro notandum, quod Epistolæ hujus Papæ, sicut etiam aliorum, diem appositam habeant Regni Imperatorum Constantinopolitanorum, utpote legitimorum Civitatis Romanæ Principum,

Cod. Carol. epist. 6.

& quod Senatus, Populusque Romanus Pipino scribentes Papam non Principem, sed solummodo Pastorem & Patrem suum appellent.

Illud quidem verum, Papæ adversus Græcos ad Pipinum scribenti, curæ fuisse, causam agere Religionis, quam illi in Oriente persequebantur; nam, ut Rex rerum statum plenius cognosceret, misit ei Pontifex descriptum exemplum Epistolæ, a Patriarcha Alexandrino ad se datæ, quam Monachus nomine Cosmus attulerat; unde eluceſcebat, Fidem Episcoporum Orientalium integram, & magnum pro ea conservanda zelum esse. Ad summum Pontificem delatum fuerat, Marinum Ecclesiæ Romanæ Presbyterum, in Francia degentem, Georgio Imperatoris Constantini Legato consilia suggessisse Regis Pipini suisque rebus noxia; unde Regem rogavit, ut Marinum Presbyterum, in quacunque visum fuisset Ditionum suarum Civitate, Episcopum

Cod Carol. ep 35. ibid. ep. 39.

pum ordinari juberet. Ut pœniteat eum, subjunxit Papa, criminis sui, & ne dæmon turbatam hominis mentem nactus, dum ambitione inflat, incautum perdat. Hoc castigationis genus omnino singulare fuit; sed Episcopatus in terra adeo remota Romanæ Ecclesiæ Presbytero honestum exilium videri poterat. Itaque Rex Pipinus propenso in Marinum animo Papam rogavit, ut ipsi Titulum S. Chrysogoni conferret, misitque Papa Institutionis litteras, dicens, factu- rum se semper, quod Regi gratum sciret. Ex ista quoque re, quam referam, cognoscitur, quantum Paulus Papa in omnibus Pipini offensam effugere conaretur, nam cum Remedius seu Remigius Regis frater & Archiepiscopus Rothomagensis Simeoni Ecclesiæ Romanæ Cantori, in Francia tunc versanti quosdam Monachos tradidisset, in cantu Ecclesiastico erudiendos, & priusquam eundem callerent, Papa Simeonem Romam revocasset, scripsit Rex, id Archiepiscopum Remigium vehementius dolere, moxque respondit Papa: *Certissimum habe; quod, nisi fatis cessisset Georgius, Cantorum nostrorum Rector, nunquam ausi fuissemus Simeonem a servitio Fratris tui avocare. Nunc vero ei districte præcepimus, ut missos a te Monachos maxima cura doceat, providimus etiam, ut*

Sæcul. VIII. A.C. 761.

Cod. Carol. ep. 25. embol.

Ep. 31. epist. 9. Carol. 43.

Sæcul. VIII. A.C. 761.

ut commode habitent, & hic permaneant, usque dum cantandi in Ecclesia artem plene didicerint. In alia Epistola dicit: *Mittimus vobis omnes libros, quos invenire potuimus, videlicet Antiphonale, Responsoria, Dialecticam Aristotelis, Libros S. Dionysii Areopagitæ, Geometriam, Orthographiam, Grammaticam, omnia Græce scripta, & horologium nocturnum*, id est, tale quod solis lumine non indigebat, sive rotulis sicut horologia nostra, sive aqua moveretur, vel etiam arenula delabente constaret, quales antiquæ clepsydræ erant.

Cod. Carol. ep. 25. embol.

§. XXXII.

Persecutio in Oriente. S. Stephanus Auxentianus.

Interim Constantinus Imperator Catholicos sacrarum imaginum causa persequi non cessabat, præprimis Monachos, quos *Amneomotettoi*, id est, fœcem abominabilem, & ne quidem hominum memoria dignam esse dicebat. Anno Regni sui vigesimo primo, JEsu Christi septingentesimo sexagesimo primo flagris concidi usque ad necem jussit Andream Monachum celebrem, cognomento Calybitam, seu Cretensem, qui Imperatori impietatem suam exprobrabat, eumque alterum Valentem, alterum Julianum Apostatam, appellabat. Andreas passus

Theoph. an. 21. p. 363.

passus est in Circo S. Mamæ extra urbem, jussitque Imperator corpus ejus in mare projici. At piæ ipsius sorores ablatum in quodam loco *Chrysis* dicto, unde & ipsi nomen hæsit, sepelierunt. Sæcul. VIII. A. C. 761. *Cang. C. P. Lib. II. p.* 107. *n.* 16.

Ecclesia ejus memoriam decima septima Octobris honorat. *Mart. Rom.* 17. *Octobr.*

Sub idem tempus cum fama S. Stephani Abbatis in Monte Auxentiano ad Imperatorem perveniisset, misit ad eum Patricium, nomine Callistum, cum mandatis ejusmodi: *Dic ei meo nomine, quod pietatis ejus amator cum sim, jubeam ipsum Definitioni Concilii nostri subscribere. Præterea Dactylos, ficus, & quædam alia edulia monasticæ professioni convenientia ad eum defer.* Callisto, quod sibi imperatum fuerat, facienti Stephanus respondit: *Domine mi! Definitioni Conciliabuli hujus, Doctrinam Hæreticam proponentis, subscribere nequeo, nec Prophetæ maledictionem in me provocare volo, si dulce esse dicerem, quod est amarum. Pro adoratione Sanctarum imaginum mori paratus sum, & Imperatorem Hæresiarcham, qui eas rejicere ausus est, contemno.* Tum dextram in pugnum contrahens adjecit: *Etsi plus sanguinis mihi non supereset, quam quantum hæc vola caperet, totum pro JEsu Christi imagine profundere cupio. Alimenta vero, quæ misit, ad eundem*

vit. S. Steph. to. 1. annal. gr. p. 457. *p.* 458. *Is.* 5. 20.

Sæcul. VIII. A.C. 763.

dem reporta; oleum enim peccatoris non impinguet caput meum.

Psal. 140. 5.

Imperator tantæ audaciæ responso ad iracundiam incitatus Patricium additis militibus illuc remittit cum mandato Stephanum e sua Cellula abstraheret, & ad Monasterium inferius deductum custodiret, donec nunciari juberet, quid de ipso decrevisset. Erat autem S. Stephani Cellula angusta caverna in vertice petræ, cubitum unum & dimidium

p. 432. longa, & duos alta. Qua autem Orientem spectat, loculum foderat, in quo orabat, sed tam humilem, ut non nisi inclinato corpore ibi esse posset. Reliqua pars hujus specus sine tecto erat, poteratque verius sepulchrum quam Cella

p. 435. dici. Discipulis suis interrogantibus, cur locum sibi angustissimum paraſſet;

Matth. 7. 14. respondit: *Arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Ibi igitur Vir Sanctus solis ardoribus, hyemisque rigori expositus perdurabat. Vestimentum erat tunica pellicea, quam catena ferrea decussata ab humeris usque ad renes, ubi clavis connexa erat cingulo ferreo, rursusque alteri sub axillis, circuibat.

p. 459. Milites ad hanc Cellulam pervenientes inde Virum Sanctum eruunt, portantque; nam, cum semper in illo specu perseveraret, curvata pertinaciter erant genua, quæ nec erigere poterat nec movere.

vere. Præterea continua abſtinentia vires omnes exhauſerat. Itaque milites novo ſpectaculo attoniti & commiſeratione moti e terra junctis viribus levant, monent, ut manus humeris ipſorum imponeret, & ipſi genua infirmi ſuſtentant. Ita ad cæmeterium Auxentianum deferunt, & cum ſuis Monachis includunt. Ipſi ad portam excubant, Imperatoris mandata expectantes. Interim S. Stephanus cum Monachis orationem decantabat hujusmodi: *Sanctam imaginem tuam, Domine! adoramus.* Et deinde aliam: *Incidi in latrones cogitationum mearum, qui me ſpoliaverunt.* Volebat dicere, quod e quiete ſua excitus, & a dulcedine contemplationis fuiſſet abſtractus. Hæc audientes Excubitores dicebant: *Revera hi Monachi, dum innoxii male habentur, merito nos latronibus æquiparant.* S. Stephanus & ſocii ejus ita incluſi ſex dies ſine cibo perſeverarunt; at die ſeptimo adeſt alius miles ab Imperatore miſſus, qui Virum Sanctum in ſuam Cellulam reduxit. Quippe Conſtantinus cogebatur expeditionem ſuſcipere in Scythas, id eſt, in Bulgaros, qui menſe Junio anno Conſtantini vigeſimo ſecundo, Indictione prima, ſeu anno ſeptingenteſimo ſexageſimo tertio Romanos laceſſere cœperunt. Milites abituri ſe S. Stephani precibus comendarunt.

Sæcul. VIII. A. C. 763.

Theoph. p. 364.

§. XXXIII.

Sæcul. VIII.
A. C. 763.

§. XXXIII.

Anna traducta.

p. 461. vit. At Calliſtus Patricius cuidam Monachorum S. Stephani, cui nomen Sergius, ſecreto locutus pecuniam dedit & plura promiſit, ſi S. Abbatem criminis deferre vellet. Sergius poſtquam Patri clam nocere fruſtra tentaſſet, Monaſterio egreſſus Aulicalamum Tributis in Sinu Nicomedienſi pendendis Præpoſitum adiit, quo adjutore libellum accuſationis Imperatori offerendum concinnavit. In eo dicebat: *Primo, Stephanus te tanquam Hæreticum anathematizavit, & maledicta ingerere necdum ceſſat.* Et poſt alia commentitia addebat: *Seduxit fœminam nobilem, quæ alitur in Monaſterio inferiore, unde noctu pro ſtupri conſuetudine*
437. *ad ejus cellulam evadit.* Erat hæc fœmina vidua, quæ liberis carens rebus omnibus venditis, relicta patria, familiaque, Auctore S. Abbate Inſtitutum Monaſticum amplexa fuerat. Mutato nomine eam Vir Sanctus Annam appellaverat, in filiam adoptivam receperat, & in Monaſterium mulierum infra montem poſitum miſſam illius congregationis Præpoſitæ ſollicite commendaverat.
p. 461. Calumniatores hujus mulieris mancipium quoque, quod ei ſerviebat, donis corruptum & promiſſis (nimirum libertatem

tatem & nuptias cum quodam Regiæ ministro pollicitabantur) impulerunt, ut quæcunque ipsi vellent, de Domina & Stephano, in judicio mentiretur. Sæcul. VIII. A. C. 763.

Ergo libellum accusationis ad Imperatorem per cursorem in Scythiam mittunt. Ille libello perlecto protinus Patricio Antheo, quem interim, dum ipse bellum gerit, Civitati Constantinopolitanæ præfecerat, scripsit in hunc modum: *Volumus, ut ad montem Auxentianum incunctanter te conferas, in quo quædam scorta sub pietatis prætextu degunt, quarum tu unam, cui nomen Anna est, per publicos equos quam celerrime ad nos mitte.* Antheus mandata impigre peragens ad Monasterium pervenit, cum Sacræ illæ mulieres Horæ tertiæ Laudes Deo canerent; tum confestim satellites, quibus cinctus erat, gladios stringunt, & Ecclesiam intrantes militari clamore & fulgore armorum fœminas terrent. Mox cantus Ecclesiasticus in ejulatum desinit. Aliquæ intra Sanctuarii cancellos se abdunt, aliæ sub Altare, aliæ ad montem excurrunt. Abbatissa vero, quæ in Cellula quiescebat, audiens tumultum intrepido animo egreditur, atque, *Quid perpetratis*, inquit, *viri, cum Christiani sitis? Si in Deo speratis, cur Barbarorum & Infidelium more in mulieres Deo sacras impetum facitis?* Illi

p. 462.

p. 463.

Anna falso accusata.

Sæcul. VIII. A. C. 763. 463.

reſponderunt leniter: *Annam Stephani Amaſiam nobis dede, hoc enim Imperatoris Edictum poſcit.* Ipſa eam protinus ac quamdam alteram nomine Theophanam accerſens, *Abite filiæ meæ*, inquit, *ad Imperatorem, ac prudenter ipſi reſpondete. Ite, ite in pace, Dominus ſit vobiſcum.* Sorores humeros palliolis ſuis operiunt, flexis genibus orant, & acceptâ Matris Benedictione, proficiſcuntur.

Poſtquam igitur in caſtra adductæ ſunt, Imperator ſorores disjungi ab invicem jubet, & deinde accitam Annam in hunc modum affatur: *Mihi quidem nullo modo dubium eſt, quin ea omnia vera ſint, quæ de te ad me perlata fuerunt; novi enim fœminei ſexus fragilitatem. Itaque jam cuncta mihi ſine diſſimulatione detegas, volo; nimirum quo pacto præſtigiator iſte huc te adduxerit, ut paternam hæreditatem pro nihilo duceres, ac denique hanc tenebrarum veſtem indueres.* Sic Imperator habitum Monaſticum denotabat, quod nigri coloris eſſet. Anna reſpondit: *Domine! en! corpus meum tibi proponitur; ferro, igni excrucia, occide etiam, nihil aliud ex Anna audies quam quod verum eſt. Nempe Sanctum hunc Virum eſſe, & mihi animæ meæ ſalutem attuliſſe.* Obriguit ad hæc Tyrannus, & immotus ſedit lævæ manûs digitum (ut illi in more erat) præmordens

dens, ac dextram manum in orbem tor- Sæcul. VIII.
quens, Annam ſedulo cuſtodiri jubet, A. C. 763.
ipſius autem comitem invitam licet &
repugnantem domum reverti; quo etiam
ut rediit, Antiſtiti ſuæ ac S. Stephano
cuncta expoſuit.

Ubi Imperator Conſtantinopolim re- 466.
diit, Annam in carcere Thermarum (erat
autem mire caliginoſus) ferreis vinculis
ligatam includi jubet, ac deinde per Cu-
bicularium quemdam hæc ei ſignificat:
*Craſtina die, cum interrogaberis, fac co-
ram omnibus vera dicas, parce tibi ipſi,
& cum Imperatrice honeſtam vitam de-
ge. Præſto enim eſt ancilla tua, quæ e-
tiam, ſi ea, quæ perpetrata ſunt, inficia-
ri volueris, te convincet, quod immemo-
randi commercii cum Stephano rea ſis.*
Anna ducto altum ſuſpirio reſpondit
breviſſime: *Vade, amice! vade, Dei vo-
luntas fiat.* At Imperator cum ingen-
tem hominum cœtum ante Palatii car-
cerem poſtridie mane collegiſſet, virga-
rum faſce in oculis ejus poſito, inquit,
*His corpus tuum lacerabitur, niſi exe-
crandos Stephani concubitus in apertum
proferas.* Ipſa, cum nihil reſponderet,
ab octo viris valentiſſimis in aere ad for-
mam crucis extenditur, acperdiu in ven-
tre & tergo tunditur. Quæ nihil niſi
pauca hæc verba: *Non novi virum,
quemadmodum ipſe ais, non novi. Do-*

Sæcul. VIII. A. C. 763.

mine miserere! At vero versipellis illa ancilla, quæ jurejurando eam accusaverat, jussu Imperatoris in ipsius conspectu

p. 468.

stans & adversus eam manus extendens, etiam ipsam conspuere non verebatur. Imperator videns eam obticere, verberum multitudine confectam credidit & in quodam urbis Monasterio includi jussit. Exinde nulla amplius de hac fœmina recurrit mentio. (*)

§. XXXIV.

Georgius Pseudo Monachus.

Imperator ad alias adversus S. Stephanum fraudes comparandas animum convertens (quærebat enim S. Virum interficere) postridie Georgium Syncletum juvenem sibi carissimum accersitum in alloquitur: *an tanta amoris tui erga me vis est, ut audeas pro me mortem oppetere?* Id cum juvenis jurejurando affirmaret, Imperator eum osculatus, inquit, *en, novum habemus Isaac!* & adjecit:

p. 469.

non jubeo, ut mea causa mortem subeas; verum hoc unum te rogo, ut ad Auxentianum montem propere te conferas, atque omni memoria indigno Stephano persuadeas, ut tibi Monasticum habitum impo-

nat,

(*) Addit Cardinalis Baronius: *Ibi quidem diem clausisse extremum Martyre dignum putamus.*

nat, quod cum contigerit, ſtatim ad nos quam celerrime poteris, redeas. Ille lubenti animo obſequitur, confeſtim ad montem vadit, & primum in loco virgultis pleno deliteſcit; unde media nocte egreſſus ante fores Monaſterii clamare cœpit, a via ſe aberraſſe, & timere, ne a feris abriperetur devorandus, aut in voraginem rueret. S. Stephanus Marino Diſcipulorum ſuorum præcipuo imperat; hominem admitteret; qui ad Abbatis genua ſe abjiciens Benedictionem petit. Statim ab indumentis atque a genis prorſus abraſis agnovit Abbas, quod a Regia veniret. Nam Imperator omnibus tam juvenibus quam ſenibus barbam ad cutem usque radere præceperat. Georgius, quin ex Aulicorum numero eſſet, minime inficias ivit, & adjecit: *Flagitioſiſſimus Imperator me & ſocios meos pene in Judaiſmum abripuit, atque in animæ periculum ingens incidi. Tandem perſentiſcens, in quo malo verſarer, Deo ducente huc properanter veni. Quocirca Venerande Pater! ne me abjicias de tua ſocietate, ſed Angelicum Habitum concedas.* S. Stephanus, *nequeo*, inquit, *Fili! hujusmodi rem aggredi, ne quid mihi periculi a Tyranno creetur, qui id ipſum prohibuit, & timeo, ſi ad ejus notitiam id devenerit, ne te cum animæ tuæ periculo ex hoc loco rapiat.* Georgius repo-

Sæcul. VIII. A. C. 763.

p. 470.

p. 471.

Sæcul. VIII. A. C. 763.

reposuit: *rationem Deo pro anima mea reddes, nisi me sine ulla cunctatione detonsum in Monachorum ordinem adscribas.* Nec instare cessavit, donec Abbas consensisset, eum habitu Novitiorum induere.

Dum hæc in Monasterio aguntur, Imperator ingenti populi multitudine collecta stans in gradibus Theatri in Hippodromo dixit: *tædet me vivere ob nefandi Monachorum agminis nequitiam.* Exclamavit populus: *Ne vestigium quidem Monastici habitus in tua urbe superest.* Tum ille iratus est editiore voce: *insidias eorum nullo pacto ferre queo. Omnes enim meos subdolo animo ad se pertraxerunt, atque etiam Georgium Syncletum meum a latere meo abreptum avulsumque Monachum effecerunt. Cæterum cura nostra in Dominum conjicienda est, brevi quod expetimus dabit, oremus!* Interim S. Stephanus Georgium, cum per triduum novitiorum vestem gessisset, accersit, prolixa oratione instruit, detondet, & Monastico Habitu adornat. Sed ecce! iterum triduo elapso impostor a monte aufugiens ad Aulam rediit. Imperator venientem ambabus ulnis amplexus, in alteram diem totius populi Conventum in Theatro denunciari jubet. Steterunt cujuscunque conditionis homines usque adeo conferti, ut plurimis spirandi liber-

p. 472.

p. 473.

tas

tas adimeretur. Exclamavit vero Imperator: *Exaudivit Deus preces meas! reddidit mihi virum, quem quærebam.* Ac simul populo spectandum Georgium produxit, quem cum promiscua illa multitudo in Habitu Monachi conspexit, exclamavit: *obtruncetur quamprimum nefandus iste! obtruncetur!* Id nempe de Stephano intelligi volebant. (*) Tum, jubente Tyranno, Georgio Sacram Epomidem (seu Scapulare) & deinde cucullum detrahunt, & de theatro projiciunt, quæ extemplo ab multitudinis pedibus conculcata sunt. Mox detractum eidem Analabum, seu redimiculum, quod e Monachorum collo pendebat in pectore decussatum, manibus arripiens Imperator undique contorquebat, scisitatus, quidnam istud esset. Senator aliquis, cui nomen Dracontius, *projice*, inquit, *Auguste! est enim Diaboli laqueus.* Hoc quoque una cum cingulo omnium pedibus conculcatum. Tum quatuor viri Georgium omni tegumento privatum in terram prosternunt, atque ab impuritate vestium Monasticarum purgaturi in

Sæcul. VIII. A. C. 763.

Copronymi fraudes. *p.* 474.

Sup. t. XX. §. 8.

p. 475.

(*) Imo populum Georgio hoc malum fuisse precatum apparet ex verbis adjectis ab Auctore vitæ S. Stephani apud Card. Baronium: *Cæterum ab Imperatoris mente & sententia prorsus aberrabant.*

Sæcul. VIII. A. C. 763.

jacentis caput, vas aquæ ampliſſimum effundunt. Tandem militarem veſtem imponunt, & Imperator ſuis manibus enſe ipſius humeris appenſo, eum Hippocomi ſui Dignitate ornat.

Mittit deinde Imperator ad Montem Auxentianum militum multitudinem, qui S. Viri Diſcipulos diſturbant, Monaſterium & Eccleſiam igni abſumunt, in cineres redigunt, a fundamentis deſtruunt. S. Stephanum vero e ſpelunca abreptum, ad Calcedonis navale abducunt. Quidam S. Virum fuſtibus cædebant, manus collo injiciebant alii, alii tibias laniabant per ſpineta trahentes.

p. 376. Erant etiam qui in venerandam ejus faciem conſpuerent, illudentes, & ſexcenta in eum dicteria jacientes. Tandem, quia incedere non valebat, lembo impoſitum juxta littora ad Monaſterium Philippici, prope Chryſopolim abducunt, includunt, & de ipſius ſtatu certiorem faciunt Imperatorem, qui promulgari juſſit, capitalem pœnam in eum eſſe ſancitam, qui ad Auxentianum collem vel ſolum appropinquare auſus fuiſſet.

§. XXXV.

Epiſcopi ad Stephanum miſſi.

Exinde Imperator Epiſcopos quinque accerſitos, Iconoclaſtarum præcipuos, videlicet Theodoſium Epheſinum, Cor-

Sæcul. VIII. A.C. 763.

Conſtantinum Nicomedienſem, Conſtantinum Nacolienſem, Siſinnium Paſtilienſem & Baſilium Tricacabanum, cum Patricio Calliſto, Comboconone Archinotario, & alio officiali, nomine Maſario, ad Conſtantinum Patriarcham Conſtantinopolitanum miſit, additis mandatis, ut ſimul omnes ad Monaſterium Chryſopolitanum pergerent. At Patriarcha, cui nota erat virtus & ſcientia S. Stephani, ire recuſavit. Ceteri igitur illuc ſe conferunt portantes ſecum Conciliabuli ſui Definitionem. Ubi ad Monaſterium pervenerunt, peracta in Eccleſia oratione, ſuper gradus, quibus ad balneum aſcendebatur, conſident, jubentque vocari S. Stephanum. Ille advenit a duobus viris ſuſtentatus, vincula ferrea in pedibus habens; cui ſpectaculo Epiſcopi illacrymati ſunt. Theodoſius Epheſinus ad eum dixit: *Vir Dei! quomodo tibi in mentem venire potuit, ut nos haberes Hæreticos, & opinionem tuam Doctrinæ Imperatorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Chriſtianorum omnium præferres? vel forte nos omnes id agere putas, ut animas noſtras perdamus?* S. Stephanus huic Epiſcopo gravi ſermone reſpondit: *Memento, quid Elias Propheta Achabo dixerit; non ego turbavi Iſrael, ſed tu & Domus Patris tui. Vos novam opinionem in Eccleſiam invexiſtis.*

Sup. §. 7. *vit. p.* 478.

3. *Reg.* 18. 17.

p. 479.

Sæcul. VIII. A. C. 763.

Psalm. 2. 2. *Vobis cum Propheta dicere possumus: adstiterunt Reges terræ, Principes & Pastores convenerunt in unum adversus JEsu Christi Ecclesiam, & in suis cogitationibus evanuerunt.* Tunc Constantinus Nicomediensis, triginta quinque annos natus juvenili fervore surrexit, Sanctum Abbatem humi sedentem pede percussurus; sed prævenit eum prætorianorum aliquis, & Viri Sancti ventri pedem impegit, quasi coacturus, ut surgeret.

Senatores Callistus & Comboconon Constantini Episcopi impetum cohibentes dixerunt ad S. Stephanum: *Alterutrum tibi eligendum offertur; vel subscribendum, vel tibi legi, Patribus, Imperatoribus refractario moriendum.* Sanctus Vir respondit: *Mihi vivere Christus est, ac pro Sancta ejus imagine mori gloria & lucrum meum. Verum legatur Definitio Concilii vestri, ut cognoscam, an quidquam rationi consentaneum contra Imagines afferat.* Mox Constantino Nacoliensi titulum legenti in hunc modum: *Definitio S. Concilii septimi Oecumenici,* S. Stephanus signum manu dedit, ut sisteret, & dixit: *quomodo Sanctum dici potest Concilium, quod Res Sanctas profanavit? nonne aliquis Episcoporum vestrorum in vestro Concilio a viris probis accusatus fuit Patenam Sanctis Mysteriis destinatam ideo conculcasse, quod Imagines*

p. 480. *Philip.* 1. 21.

JEsu

JEsu Christi, Matris ejus, & Præcurso- Sæcul. VIII.
ris ejus in ea conspicerentur? vos vero ei- A. C. 763.
dem Munus Episcopale asseruistis, & Ac-
cusatores ejus tanquam Idolorum fauto-
res excommunicastis. Quanta impietas! p. 481.
nonne titulum SANCTORUM *Apostolis,*
Martyribus aliisque viris justis rapuistis,
eos simpliciter Apostolos vel Martyres ap-
pellantes?

At rursus, quo pacto Concilium istud Oecumenicum esse possit, a Papa Romano (*) non approbatum, cum extet Canon prohibens, ne Causæ Ecclesiasticæ sine ipso definiantur? sed nec Patriarcha Alexandrinus, nec Antiochenus, nec Jerosolymitanus illud approbarunt. Ostendite eorum litteras. Et tandem qua ratione septimum Con-

(*) En Testimonium S. Viri ad Ecclesiam Constantinopolitanam pertinentis contra Protestantes invictum! unde liquet nullam Synodum sine approbatione Episcopi Romani vel in Hollandia vel ubicunque terrarum celebratam majoris Auctoritatis esse posse, quam Constantini Imperatoris Conciliabulum.

Wenn man von unserm Protestanten, welcher tausend solche Zeugnisse wider sich selbst aus dem Fleury übersetzet, verlangen sollte, daß er dem H. Stephanus eine Antwort gebe, würde er einmal so wenig als die an denselben von Constantino geschickte Bischöfe nur etwas erträgliches hervor bringen können.

Sæcul. VIII. A. C. 763.

Concilium vocatur, quod sex Conciliis prioribus non consentit? Basilius dixit: *In quo autem nos Conciliis prioribus adversati sumus?* S. Stephanus respondit: *An non ad celebranda Concilia Patres in Ecclesiis convenerunt? an in istis Ecclesiis non erant Imagines a Patribus receptæ, & adoratæ? responde mihi, Episcope!* Basilio dictis annuente, Sanctus Stephanus levatis in Cœlum oculis suspirans & manus extendens dixit: *Quicunque non adorat Dominum Nostrum JESUM Christum in sua imagine secundum Humanitatem inclusum, Anathema sit!* p. 483. cum plura addere vellet, tantam libertatem in viro obstupescentes & pudore obruti Mandatarii surgunt, nec aliud jubent, quam ut custodiæ traderetur. Constantinopolim reduces interrogat Imperator, quid effecissent, & ceteris Episcopis dissimulare conantibus, Callistus dixit: *Victi sumus, Auguste! viri hujus, mortem contemnentis, argumentis.* Imperator ira ardens illico scripsit sententiam, qua Vir Sanctus in Insulam Proconesum prope Hellespontum relegabatur.

§. XXXVI.

Exilium S. Stephani in Proconeso.

Decem & septem integros dies, quos in Monasterio Chrysopolitano S. Stephanus

phanus consumpsit, nihil prorsus cibi at- Sæcul. VIII.
tigit, tametsi Imperator plurima ad eum A C. 763.
alimenta mitteret; sed ille, sicut ante, p. 485.
omnia remittebat, nolens ab excommunicato quidquam accipere. Antequam illinc excederet, illius Monasterii Præfectum ægrotantem & a Medicis derelictum, dicto citius, sanitati restituit. In Insulam Proconesum delatus in spelunca deserta amœni aspectus, quæ in littore maris prope Ecclesiam S. Annæ Sacram sita erat, sibi domicilium elegit, herbas ibi nascentes opiparæ instar mensæ habens. Discipuli ejus e monte Auxentiano depulsi, cum locum exilii comperissent, in Proconesum Magistrum secuti sunt, duobus solum exceptis, qui a S. Viro defecerunt, videlicet Sergius S. Abbatis obtrectator, & Stephanus, qui olim Callisti Patricii minister e manibus S. Stephani Habitu Monastico recepto etiam Monasterii Presbyter ordinatus fuerat. Hunc igitur Imperator Sophiani Palatii Capellanum constituit, & ambo vestimenta sæcularia induerunt. Ceteri vero S. Ste- p. 486.
phani Discipuli omnes Proconesum appulsi se ipsius Disciplinæ sicut prius subjecerunt, & Monasterium construxerunt. Mater quoque ejusdem & Soror relicto Monasterio Trichinaritano, ubi degebant, ipsum adierunt, & contubernium in illa Insula amplexæ sunt. Illic itaque S. Ste-

Sæcul. VIII. A. C. 763.

S. Stephanus extructa columna, ac supra eam anguſtiſſima quadam ædicula, in ea ſeſe incluſit, ut ibi in rigore, cui adſueverat, viveret, annos numerans quadraginta novem. Nempe id contigit anno 763. natus enim erat anno primo Pontificatus S. Germani Conſtantinopolitani, Salutis noſtræ anno ſeptingenteſimo decimo quinto.

p. 405. *Sup. l. XLI. §.* 26.

Eodem anno ſeptingenteſimo ſexageſimo tertio, Conſtantini vigeſimo tertio, Coſmus cognomento Conamita Epiſcopus Epiphaniæ, quæ eſt Civitas Syriæ, a Civibus coram Theodoro Patriarcha Antiocheno accuſatus, quod vaſa Sacra diſſipaſſet, cum ea non poſſet reſtituere, abjecta Fide orthodoxa ad Hæreſin Iconoclaſtarum defecit. Hunc ergo communi conſenſu & ſententia tres Patriarchæ Theodorus Antiochenus, Theodorus Jeroſolymitanus, Cosmus Alexandrinus, & ſuarum Provinciarum Epiſcopi condemnarunt, atque in Feſto Pentecoſtes, poſt lectionem Sancti Evangelii, ſinguli in ſua Civitate anathematizarunt. Sub idem tempus contigit, ut Conſtantinus Imperator ex Patriarcha Conſtantinopolitano quæreret: quid hoc Religionem læderet, ſi dixerimus: *Mater Chriſti*, & non *Mater Dei*? at Patriarcha Principem complexus ait: *Domine! miſerere noſtri! ne tibi in mentem*

Theoph. an. 23. *p.* 364.

tem

tem veniat ſermo iſte. Nonne vides, quanta execratione in tota Eccleſia Neſtorius anathematizetur? Dixit Imperator: *Ego diſcere volens interrogavi. Sed hæc inter nos dicta alios non perveniant.* Alia die crumenam auro plenam manu torquens ex circumſtantibus quærit; quantum eam valere crederent. Reſpondent, eam maximi eſſe pretii. Mox auro extracto eandem quæſtionem movet, & qui proxime adſtabant, dicunt, eam jam nihili ferme æſtimari. Tunc ille: *Eadem de Matre Dei ratio habenda eſt. Quando JEſum Chriſtum in ſinu geſſit, maximi erat facienda; aſt, illo egreſſo, fœmina eſt aliis ſimilis.*

Sæcul. VIII. A. C. 763.

Theoſter. vit. S. Nic. c. 4. ap. Boll. to. 9. p. 261.

§. XXXVII.

Regula S. Chrodegangi.

Sanctus Chrodegangus Epiſcopus Metenſis Romam profectus a Paulo Papa obtinuit Corpora trium Sanctorum Martyrum Gorgonii, Naboris, & Nazarii, quæ in tribus depoſuit Monaſteriis, nempe, Reliquias S. Naboris ad S. Hilarium, hodie *Saint Avol*, in Diœceſi Metenſi, S. Nazarii in Aſceterio Laureſheimenſi, anno 764. prope Wormatiam fundato, cujus primus Abbas fuit Gundebaldus S. Chrodegangi frater. Reliquias vero S. Gorgonii in Monaſterio Gorzenſi anno 765. collocavit.

Transl. S. Gorg. to. 4. Act. SS. Ben. p. 204.

Sup. §. 8.

Eodem

Sæcul. VIII. A.C. 763.

Eodem anno, Pipini decimo quarto S. Chrodegangus Concilio seu Conventui generali Gentis Francorum Attiniaci ad Axonam in Diœcesi Rhemensi celebrato interfuit. De hoc Concilio nihil nobis supereſt, nisi nomina Episcoporum, qui adfuerunt, numero viginti septem, & Abbatum septendecim. Ibi legitur pactum initum, vi cujus, si quis eorum fatis fungeretur, quilibet centies Psalterium recitari, & centum Missas a suis Presbyteris celebrari curaret; Episcopus vero ipse triginta Missas offerret. Ejusmodi pacta in aliis quoque Conciliis illius ævi occurrunt. Episcopi hujus Conventus præ ceteris noti sunt S. Chrodegangus Metensis, S. Lullus Moguntinus, Remedius Rothomagensis Regis frater, Megingaldus Herbipolensis, Willirius Episcopus Monasterii S. Mauritii in Valesiis. Plures alii dicuntur quorumdam Monasteriorum Episcopi, videlicet Lobesienſis, S. Owani Eichstädtensis; hi enim abdicata Sede Episcopali secesserant in Monasteria in quibus erant Abbates, Episcopi titulum servantes. Inter simplices Abbates leguntur Fulradus Archicapellanus, qui primo loco ponitur, tanquam Abbas ad S. Dionysium. Postea leguntur etiam Abbates ad S. Germanum, Gemeticensis, Fontanellensis, Centulanus, Corbejensis, Rusbacensis & Senonensis ad S. Columbam. S. Chro-

to. 6. Conc. p. 1701.

Conc. Digl. p. 1796.

inf. l. XLIV §. 21.

S. Chrodegangum inprimis celebrem reddidit Clericorum Congregatio, quam in sua Ecclesia instituit additis reditibus sufficientibus, ut ab omni rerum temporalium cura liberarentur. Scripsit eis Regulam, exinde ab omnibus Canonicis receptam, (*) quam hodieque habemus. No-

Sæcul. VIII. A. C. 763.

Paul. Diac. ap. Boll. 6. Mart. to. 6. p. 452.

(*) Præter hanc genuinam Chrodegangi Regulam pro solis Canonicis Cathedralibus suæ Ecclesiæ Metensis & Matricularíis scriptam, extat alia, a quodam Interpolatore ad Canonicos aliarum Diœcesium accommodata, & magna sui parte in Regulam Aquisgranensem pro Canonicis & Canonissis scriptam translata. At hæc Fleurius ex Regula Chrodegangi genuina, quæ in Actis Conciliorum Tomo IV. Parisiis ex Typographia Regia anno 1714. editis occurrit, excerpsisse videtur, ut ipse insinuat, dum dicit, quod Regula S. Chrodegangi, quæ est incorrupta, triginta solum Articulos complectatur; nam interpolata, quæ post genuinam in dictis Actis pag. 1198. sub hoc Titulo: *Canonicorum Regula ab Anonymo quopiam interpolatore, ex Chrodegangi norma, Concilii Aquisgranensis Capitulis, atque aliunde consarcinata*, visitur, Capitulis LXXXVI. constat. Et præterea quæ de genuina affert Fleurius, in illis Articulis omnino leguntur.

Genuinam quidem Chrodegangi Regulam primus in lucem edidisse dicitur ex Manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ Coletus in Collectione

Sæcul. VIII. A. C. 763.

Nomen Canonicorum primitus omnibus Clericis dabatur, sive quod in Canonibus seu in Indice Ecclesiastico essent conscripti, sive quod secundum Canones viverent. At posteriore tempore illis speciatim datum est, qui vitæ communis Institutum, exemplum Clericorum S. Augustini, & ante ipsum S. Eusebii Vercellensis

Sup. lib. XXIV. §. 40. 41. Lib. XIII. §. 14.

Conciliorum anno 1729. quam ex Coleto Clerissimus vir Canoniæ nobis vicinæ inseruit suo libro, cui Titulus: *Vetus Disciplina Canonicorum Regularium & Sæcularium.* Sed hæc Regula jam prius edita, & eadem esse videtur, ac illa, quæ in Actis Conc. supra dictis extat; quippe ad Titulum: *Incipit Regula Chrodogangi Metensis Episcopi.* In margine hæc leguntur: *Ex Manuscripto Vatic. Andeg. & Fiscan. & Apographo Sirmondi. Extat & alia brevior, sed interpolata in Annal. Eccles. Franc. ad annum 757. Alia rursum aliquantum discrepans ab utraque tom. 1. Spicil. Dacheriani, ut diximus.* Ecce! hæc etiam Regula ex Manuscripto Vaticano & aliis mutuata dicitur, atque Interpolatæ Regulæ, & Editioni Dacherianæ opponitur. Cumque Fleurius hunc Tomum suæ Historiæ Eccles. etiam anno 1714. vulgaverit, hanc Editionem Parisiensem Actorum Conc. opera P. Harduini videre potuit.

Ceterum DD. Canonici Regulares habent etiam peculiarem Regulam, quæ est brevissima, & duodecim Capitulis absolvitur, ex Epistola S. Augustini 109. hausta.

lensis secuti, profitebantur. Hujusmodi Canonicis igitur S. Chrodegangus Regulam suam composuit, totam ferme ex Regula S. Benedicti excerptam, nempe quatenus vita Monastica Clericis Ecclesiæ ministrantibus convenire poterat. (*) Sæpe Ordinem Romanum & Ecclesiæ Romanæ consuetudines adducit. Sæcul. VIII. A. C. 763.

Regula S. Chrodegangi, quæ est incorrupta, triginta solum Articulos complectitur cum Præfatione, in qua Canonum contemptum, atque Pastorum, Clericorum & populi negligentiam deflet. Clericos hujus Congregationis ad paupertatem strictam non obligat, sed vult, ut quicunque suscipi petierit, omnia Bona sua solemni donatione Ecclesiæ Metensi S. Pauli conferat. Usumfructum vero retinere possit, & facultatem de supellectile sua, quoad vixerit, decernendi. Presbyteri in sua potestate habeant Eleemosynas, quæ ipsis pro Missa sua, pro Confessione, (**) vel pro charitate ægrotantibus impensa datæ fuerint; nisi forte eleemosyna non uni soli, sed omnibus *to. 7. Conc. p. 1445.* *c. 31.* *c. 32.*

(*) Illa ætate præter Canonicos seu Clericos Cathedrali Ecclesiæ adscriptos non aliæ Canonicorum Congregationes extitisse leguntur.

(**) Argumentum pro Confessione auriculari contra Protestantes. Item, stipendia Missarum esse rem usu antiquissimam.

Sæcul. VIII. A. C. 763.

nibus de Congregatione fuerit collata. Nullibi antea quidquam occurrit de retributione particulari pro Missis, aut aliis functionibus Ecclesiasticis data. S. Chrodegango Judice utilius est eleemosynam toti Congregationi conferre quam singulis, quod Dei Misericordia plurimorum precibus facilius, quam oratione unius, etiamsi zelosissimus sit, moveatur.

Quod ad clausuram spectat, Canonici

c. 4. per diem libere exire possint. Sed sub noctem cuncti se conferant ad S. Stephani Ecclesiam, Civitatis Metensis Cathedralem, ubi Completorium cantent. Postea non amplius liceat bibere, manducare, aut loqui usque mane post Primam cantatam. Qui in completorio non fuerit, non intret, nec ostium pulsare audeat, donec tempus Nocturnorum

Regula Canonicorum. advenerit. Nempe illo ævo adhucdum populus nocturnis horis interesse solebat. Archidiaconus, Primicerius, vel Ostia-

c. 3. rius neminem ab hac lege eximant, nisi talis subsit causa, de qua Episcopo rationem reddere possint. Omnes Canonici in eadem Domo clausa habitabant, & in diversis Dormitoriis communibus singuli lectos suos habentes cubabant. Nulla fæmina, nec Laicus sine licentia expressa ingrediebatur. Si quis ad mensam fuisset invitatus, arma ponebat extra Refectorium, & post refectionem statim e

clau-

clauſtro exibat. Coquis etiam, ſi forte alicujus hominis Laici opera fuiſſet neceſſaria, poſtquam miniſtraverant, exeundum erat. Sæcul. VIII. A. C. 763. c. 5.

Canonici noctu hora ſecunda ad Nocturnos ſicut Monachi ſecundum Regulam S. Benedicti (*) ſurgebant, & illo intervallo a Matutinis usque ad Laudes nemini licebat dormire, ſed legendum, cantandum, vel Pſalmi memoriæ imprimendi erant. *Sup. lib. XXXII. §. 14.* Qui per diem procul ab Eccleſia exiſtebant, ubi campana ſignum dari ad officium Divinum audiviſſent, illud in loco, in quo erant, recitare poterant. c. 6. Clerici baculos manu non teneant in Eccleſia, niſi id infirmitas corporis exigat. c. 7. Canonici illum locum domi teneant, qui ipſis pro tempore ordinationis ſuæ competit. c. 2. Alter alterum veneretur, & nullus alterum nudo ſuo nomine compellet. Poſt officium Horæ primæ quotidie Capitulum habebitur. Legatur ibi unus Articulus Regulæ, Homiliæ, vel alius liber, qui ad devotionem c. 8.

(*) Obſervandum, quod multi Tituli Capitulis præpoſiti iisdem verbis ac in Sacra Regula noſtra exprimantur verbi gratia: Capitulum ſecundum. *De Ordine Congregationis.* Tertium, *ut omnes in unam dormiant.* Decimum tertium, *ut non præſumat alter alterum cædere aut excommunicare &c.* Act. Conc. Tom. IV. Edit. Pariſ.

Sæcul. VIII. A. C 763.

excitet audientes. Episcopus vel Præpositus mandata sua denunciet, & delinquentes corripiat. Capitulo finito singuli ad opus manuum sibi injunctum se conferant.

c. 9.

§. XXXVIII.

Alimenta & Vestimenta.

De Alimentis statuitur, ut a Pascha usque ad Pentecostem Canonici bis in die reficiantur, & carnibus vesci liceat, sola die Veneris excepta. A Pentecoste usque ad Festum S. Joannis bis reficiantur, sed carnes non comedant. A Festo S. Joannis usque ad Festum S. Martini bis reficiantur, atque diebus Mercurii & Veneris a carnibus abstineant. A Festo S. Martini usque ad Natalitium Domini, a carnibus abstineant, & usque ad Nonam jejunent. A Nativitate Domini usque ad Quadragesimam jejunent usque ad Nonam diebus Lunæ, Mercurii, & Veneris, & his duobus diebus a carnibus abstineant, aliis diebus bis reficiantur. Si inter has Ferias Festum inciderit, in voluntate Præpositi sit dare licentiam vescendi carnibus. In Quadragesima (*) jejunent usque ad Vesperas, & vetitum

c. 20.

(*) Der Protestant giebt das Wort, *Carême, Quadragesima*, in den Fastnachten. Und gleich darunten: *Quando unica datur refectio*, man wird nach der Mahlzeit dreymal trinken, Viele andere Fehler zu geschweigen.

vetitum sit extra Monasterium manducare. In Refectorio septem mensæ sternantur. Supremæ accumbant Episcopus cum hospitibus & peregrinis, Archidiaconus, & quos Episcopus invitaverit. Ad secundam sedeant Presbyteri, ad tertiam Diaconi, ad quartam Subdiaconi, ad quintam alii Clerici, ad sextam Abbates, & quibus Præpositus licentiam dederit, ad septimam Clerici ex Civitate in præcipuis Festis. Panis mensura nulla ponitur. Prandentibus detur unum pulmentum, & duobus Canonicis duæ carnis portiones, cœnantibus autem una portio. Cibis Quadragesimæ etiam caseus accensetur. Potus singulis mensura præscribitur. Prandentes ad summum ter bibant, cœnantes vero bis, & ter, quando unica datur refectio. Qui a vino abstinent, Cerevisiam bibant. Omnes Canonici per vices in culina serviant, excepto Archidiacono, & quibusdam ministris aliis, qui in utilioribus occupantur.

Sæcul. VIII. A. C. 763.

c. 21.

c. 22.

c. 13.

c. 24.

In vestimentis hæc habeatur ratio. Media pars Clericorum, nempe Seniores, singulis annis accipiant Cappas novas, veteres autem junioribus dentur. Presbyteri & Diaconi, qui assidue deserviunt, singulis annis accipiant duas tunicas *, aut lanam, unde duæ tunicæ effici possint, & duas interulas *. Pro calceamen-

c. 29.

* Sarciles.

* Camisiles.

Sæcul. VIII. A.C 763.

tis singulis annis habeant unam pellem vaccinam, & solearum quatuor paria. Ad coemenda ligna pecunia eis detur. Hi sumptus vestiarii & lignorum accipiebantur ab Ecclesiæ Metensis reditibus, qui tam in civitate, quam ruri colligebantur. Clerici Beneficia habentes, inde sibi vestimenta comparare tenebantur. Illa ætate adhucdum Beneficium dicebatur possessio fundorum, ab Episcopo concessorum.

c. 28. Cura singularis geratur Canonicorum ægrotantium, præsertim si proprias facultates non habeant. Seorsim habitent, & constituatur Clericus, qui invigilet, ut omnia necessaria præbeantur. Qui cum

c. 10. Episcopo iter faciunt, vel soli, Regulam

c. 25. Congregationis, ut poterunt, observabunt.

c. 27. Rectores hujus Congregationis erant, primo Episcopus, & sub ipsius cura Archidiaconus & Primicerius, quos Episcopus castigare & deponere poterat, si officio suo deessent. Erat quoque Cellerarius, Ostiarius, infirmis Præfectus, Custodes trium præcipuarum Ecclesiarum, S. Stephani, S. Petri, & Sanctæ Mariæ,

c. 24. 4. qui ibi vel inde haud procul dormiebant, Regulæ tamen subjecti.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Sæcul. VIII. A. C. 763.

Pœnitentia.

Clerici bis in anno Episcopo confiteantur, nempe sub initium Quadragesimæ, & a die decima quinta Augusti usque ad primam diem Novembris. Aliis vero temporibus, quotiescunque voluerint, vel Episcopo, vel illi Presbytero, cui id Episcopus suo nomine commiserit, confiteantur. Qui Episcopo confessus, aliquod peccatum celaverit, aut aliis Confessariis revelare voluerit, si Episcopus id quacunque ratione potuerit deprehendere, talem Disciplina corporali vel carcere puniat. Nunquam ante legi, Confessionem præceptam. Sed S. Chrodegangus istud præcipit, tanquam temperaturus antiquas regulas, præcipientes, ut omnes malæ cogitationes Præpositis revelarentur. Jubet, ut Clerici singulis Dominicis & in Festis majoribus Corpus & Sanguinem Domini Nostri accipiant, nisi peccatis impediantur. c. 14.

Canonicus gravioris peccati, puta, homicidii, fornicationis, adulterii, furti reus, primum flagellis cædatur, deinde in carcere includatur sub arbitrio Præpositi, & nemo cum ipso communicet. E carcere emissus iterum, si Præposito visum fuerit, pœnitentiam publicam peragat, id est, ad singulas horas officii ante fores c. 15. c. 17.

Sæcul. VIII. A. C. 763.

Ecclesiæ veniat, & prostratus permaneat, donec omnes ingressi fuerint; tum officium stans extra Ecclesiam recitet. Illum abstinentiæ modum, qui sibi a Præposito præscriptus fuerit, servet. Qui admiserint peccata gravia, qualia sunt, inobedientia, seditio, murmuratio, detractio, ebrietas, jejunium violatum, aut quodcunque aliud Regulæ præceptum, bis secreto admoneantur, deinde publice, & si reus non emendaverit peccatum, excommunicetur. Si autem rudis admodum aut pervicax excommunicationis pœna non moveatur, punitioni corporali subdatur. His culpis illud quoque accensetur, si quis prope Crucem non permanserit. Stabat hæc Crux in medio Claustri, apud quam pœnitentiæ causa aliqui stare, aut flexis genibus orare ob leviores culpas jubebantur. Pro levioribus his culpis; si quis ad officium Divinum vel ad mensam tarde occurrerit, si aliquid fregerit, vel amiserit, pœna imponebatur arbitraria, & semper levior illi, qui se ipsum accusabat. Sub pœna excommunicationis nemini licebat cum excommunicato communicare. Privatis item non licebat excommunicare aut cædere alterum ob quamcunque causam, sed offensum a Præposito remedium quærere oportebat. Econtra nemo delinquentis causam defendendam in se suscipere sub præ-

vit. S. Landeb. n. 5. to. 3. Act. SS. Ben. p. 711.

c. 18.

c. 16.

c. 12.

c. 13.

prætextu amicitiæ vel propinquitatis audeat. Sæcul. VIII. A. C. 763.

Clerici Congregationi illi non adscripti, sed extra claustra degentes in Civitate Metensi, in diebus Dominicis & Festis ad Nocturnos & Matutinos venire in Ecclesiam Cathedralem tenebantur. Capitulo, Missæ intererant, & in Refectorio septimæ mensæ sibi præparatæ assidebant. Canonicis licebat habere Clericos, qui sibi ministrarent, licentiam dante Episcopo. Hujusmodi ministri Disciplinæ subjecti erant, & officiis interesse in habitu ordini suo Clericali convenienti, sicut Clerici exteri, tenebantur; sed Capitulum non adibant, nec in Refectorio manducabant. *c.* 86. *c.* 33. *c.* 21. 30. *c.* 3. *c.* 1.

Quidam pauperes dicebantur Matriculariі, quia in Matricula seu Indiculo vel Ecclesiæ Cathedralis, vel aliarum Ecclesiarum adscripti erant, quos cum S. Chrodegangus videret esse extra curam Canonicorum, & nec rudes doceri, nec errantes corripi, in sua Regula statuit, ut bis in mense diebus Sabbati ad Ecclesiam Cathedralem hora Tertiæ Canonicæ venirent, & Episcopus ipsis prælegi aliquam Homiliam, unde erudiri possent, curaret, aut absente Episcopo iisdem Presbyter, Custos S. Stephani, vel quadam lectione, vel sermone legem Dei prædicaret. Eidem Presbytero bis in anno, *c.* 34.

Sæcul. VIII. A. C. 763.

anno, nempe in Quadrageſima, & menſe Octobri confiteantur. In qualibet Matricula ſit Primicerius, qui eorum mores obſervet. Ad Concionem venientes Presbytero Cuſtodi neceſſitates ſuas ſpirituales & corporales aperiant. Refractarii de Matricula deleantur, & alii eorum loco adſcribantur. Illis diebus, quibus ad audiendam Doctrinam venerint, diſtribuatur eis panis, vinum, lardum vel caſeus, & pecunia ad emenda ligna.

Huic S. Chrodegangi Regulæ ideo diutius immoratus ſum, quod exinde ab omnibus Canonicis, ſicut Regula S. Benedicti a Monachis, recepta fuerit. Ceterum S. Chrodegangus obiit anno 766. & in Abbatia Gorzienſi, quem locum ſepulchri ſibi ante elegerat, tumulatus fuit.

v. Boll. 6. Mart. to. 6 p. 452.

§. XL.

Miracula S. Stephani Auxentiani.

Interim S. Stephanus in Inſula Proconeſo, loco exilii ſui plurimis clarebat miraculis. Cæcus quidam eum adiens, ſupplices voces mittebat. Ipſe autem, humiliter ac modeſte de ſe ſentiens, detrectavit; quæſivit tamen: *an fidem in Deum habes? an imaginis JEſu Chriſti, Matris ipſius, & Sanctorum cultor es? an credis in Deum, qui etiam per imagines ſanat, quod contigit in converſione*

Sup. addit lib. XXIV. §. 25.

Sanctæ

Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ? Respondit cœcus: *Credo & adoro.* Mox subjecit S. Stephanus: *in Nomine Domini JEsu Christi, cæci illius Salvatorem, in quem tu credis, & in Imagine sua adoras, libere solem aspice!* illico aperti sunt oculi illius, & abiit laudans Deum gaudio immenso repletus. Sæcul. VIII. A. C. 764.

Fæmina, quæ Cyzici degebat, filium a malo Dæmone vexatum, ferme novennem, ad S. Virum adduxit. Ipse in loculo suo pro puero orans, jussit eum adorare JEsu Christi Imaginem, & sanum ad suos remisit. *p.* 490.

Fæmina nobili genere orta Heracleæ in Thracia ab annis septem fluxu sanguinis laborans ad S. Stephanum confugit. Is formans super eam signum Crucis, Imaginem JEsu Christi adorare jussit, & ipsa elapso triduo ab omni infirmitate liberatam se sensit. *p.* 491.

Multa alia edidit miracula, illis præ aliis auxilium ferens, qui in mari periclitabantur. *p.* 492.

Nam quando mare tempestatibus agitari & fluctus surgere conspiciebat, fratres suos jubebat in orationem se dare, & procella quiescente vectores ad eum veniebant dicentes, quod ipsum vidissent in sua navicula Rectoris munere fungentem. *p.* 493.

Anno exilii sui secundo nempe Christi septingentesimo sexagesimo quarto S. Stephanus orbatus est Matre sua, & sorore, quæ septimo post die, ut ipsa prædixe-

Sæcul. VIII. A. C. 764.

dixerat, ad cœleſtia ſecuta eſt. Sub idem tempus quidam miles, nomine Stephanus in cohorte Armenorum in Thracia ſtipendia merens, cum media ſui corporis parte captus eſſet, Proconeſum ad Virum Sanctum venit, qui jubens eum adorare imaginem JEſu Chriſti & S. Virginis, in pedes toto corpore erectum ſanumque dimiſit. Commilitones ejus redeuntem interrogare; qua ratione convaluiſſet, cumque ille reſpondiſſet, quod has imagines adoraſſet; quaſi furore perciti exclamare; *væ tibi! in Idololatriam proruiſti.* Mox rem iſtam deferunt ad Præfectum, qui eum ad Imperatorem celeriter dimiſit. Imperatore quærente, an in Idololatria perſeveraret, miles in genua provolutus, protinus Imaginum Cultoribus anathema dixit, profeſſus ſe fuiſſe deceptum; eumque Imperator Centurionis munere auxit. Ecce autem, eundem militem domum ſuam repetentem equus conſternatus effudit in terram, & pedibus contrivit. Ipſe haud multo poſt animam efflavit. Hac re ad Imperatorem perlata protinus S. Stephanum revocari jubet dicens, quod etiam in exilio populos Idololatria pervertere non ceſſaret.

p. 494.

p. 495.

§. XLI.

§. XLI.

Sæcul. VIII. A. C. 764.

Stephanus coram Imperatore Fidem confitetur.

Ergo Imperator S. Stephanum Constantinopolim revectum in carcerem prope Thermas vinculis ferreis manus pedesque constrictum conjicit. Paucis diebus elapsis quæstionem de eo habuit privatim ad Heliacum, qui Pharus dicitur, duobus tantum primi ordinis viris comitantibus. Cum Vir Sanctus ad eum duceretur, a quodam Viro pio nummum petiit, quem Cucullo suo furtim imposuit. Tyrannus vero ubi eum ingredientem vidit exclamare cœpit: *O calamitatem! videte a quonam homine ego Imperator calumniam patiar!* Vir Sanctus oculis in terram dejectis nihil respondebat. At Imperator furiose eum intuitus dixit: *Non mihi respondes? scelestum caput!* S. Stephanus respondit: *Auguste! si me condemnare in animo habes, supplicio quam celerrime affice. Si autem idcirco me adesse jussisti, ut interrogares, iracundiam lenitate tempera. Istud enim omnes leges præcipiunt.* Tum Imperator: *dic age, quibus Patrum Decretis non paruimus? quos Canones contempsimus, ut apud te in Hæreticorum numero censeamur?* S. Stephanus respondit: *Ideo, quia venerandas Imagines, quas a Patribus*

p. 496.

Sæcul. VIII. A. C. 764.

bus omnium Sæculorum accepimus scelerate ab Ecclesiis ejeciſtis. Imperator reposuit: *Impie! ne has imagines dicas, non enim sunt, sed Idola, quidnam porro Idolis cum rebus Sanctis commune est! quid luci cum tenebris?*

p. 497.

S. Stephanus respondit: *Domine! nunquam præceperunt Christiani, in imaginibus materiam adorari; sed nomen illius rei, quam videmus, adoramus, & cogitatione ad Exemplar ascendimus. Ita intellectus noster sursum elevatur usque ad Cœlum, & imaginatio humana figitur.* Tum Imperator: *Æquumne est ea, quæ mens nostra nullo modo comprehendere potest, per colores in sensum cadentes exprimere?* S. Stephanus: *Ecquis enim mortalium, qui quidem mentis compos sit, dum ea, quæ in Ecclesia conspiciuntur, adorat, Creaturam, nempe lapidem, aurum vel argentum, sub eo prætextu, quod rei Sanctæ nomen gerat, adorare intendit? Vos vero inter Sanctum & profanum minime distinguentes, Christi Imaginem non secus, ac Apollinis Statuam, Deiparæque item non secus, ac Dianæ Idolum appellare minime horruistis, quin ipsam quoque pedibus protriviſtis, & exussistis.* Imperator dixit: *O cæca mente perdite! his imaginibus proculcatis Christumne proculcavimus? absit!*

p. 498.

S. Stephanus.

Tunc

Tunc vero S. Stephanus nummum, quem in hunc finem attulerat, & sinu proferens dixit ad Imperatorem: *Domine! cujus est Imago hæc & Superscriptio?* Eo autem mirante & respondente: *Cujus tandem alterius, nisi Imperatorum?* (erat nempe imago ipsius Constantini & Leonis filii ejus) & rursus S. Stephanus: *quid vero si eam contumeliose in terram projecero, & pedibus protrivero, an idcirco pœnas aliquas luam? Quidni autem,* dixerunt ii, qui adstabant, *cum imaginem & nomen Imperatorum semper invictorum proculcares?* Hic Vir Sanctus ab imo pectore gemitum emittens, *quas tandem pœnas eum subiturum putatis, qui JEsu Christi & Matris ejus Nomen in suis Imaginibus proculcarit? an non igni æterno tradendus est?* Vix hæc dixerat, cum nummum projectum calcavit. Cum autem ii, qui astabant, ferarum ritu accurrissent, ut Sanctum Virum præcipitem in mare dejicerent, prohibuit Imperator, sed collo vinculis adstricto, & manibus a tergo revinctis, ad publicum Prætorii carcerem amandavit, ut videlicet ob protritam Imperatoris Imaginem pœnas a lege constitutas subire cogeretur. Sæcul. VIII. A. C. 764. p. 495.

§. XLII.

Persecutio necdum cessat.

Præterea Imperator multos etiam prin-

Sæcul. VIII. A. C. 766.

cipes, & milites accusatos, quod Imagines adorarent, diversis pœnis affecit. Jusjurandum ab omnibus sub Imperio suo degentibus exegit, ne quisquam adoraret imagines, atque Constantinum Patriarcham compulit, ut super Ambonem ascenderet, & veram Crucem manu contingens eodem juramento se obstringeret; quo facto, mensæ Regiæ assedit floribus coronatus, indulgens, ut Citharœdi admitterentur, & carnibus vescens, contempta, quam amplexus fuerat, professione Monastica.

Theoph. n. 25. p. 367. 368.

Vigesima prima vero Augusti, Indictione quarta anno 766. Imperator, ut vestem Monasticam dehonestaret, Monachos, quotquot capi subito potuerunt, adegit in Hippodromo ambulare, singulos fœminam manu ducentes, conspuente eos populo & omnis generis contumeliis afficiente. Vigesima quinta ejusdem mensis modo erubescendo in Hippodromo circumduci jussit Duces nobilissimos novemdecim, accusatos, quod contra eum conjurassent, re ipsa vero, quod invideret viris, quos ob speciem honestam & robur omnes collaudabant. Non nullos ob amorem Religionis, & quod ad S. Stephanum ingressi Viri Sancti in patiendo fortutudinem laudibus prosequerentur interfecit, quos inter viri octo memoria digni sunt, videlicet, Constantinus

tinus Patricius & olim Logotheta Dromi, seu equis cursoriis Præfectus, & frater ejus Strategius Patricius & Excubitorum Domesticus, id est, Dux Prætorianorum. Antiochus, etiam aliquando Logotheta Dromi, & Siciliæ Prætor. David Spatharius, id est, Scutarius, & Comes obsequii (hoc nomine quædam cohortes dicebantur) Theophylactus Protaspatharius, Scutariis Præfectus & Thraciæ Prætor. Christophorus Spatharius, Constantinus Protostrator, seu primus Imperatoris Armiger, Bardanis Patricii filius. Theophylactus Candidatus seu Corporis Custos. Hos cum in Hippodromo palam traduci, a populo conspui & irrideri jussisset, duos deinde fratres Constantinum & Strategium capitis animadversione punivit; ceteros vero erutis oculis in exilium misit, quos singulis annis centum plagis vapulare jubebat.

Sæcul. VIII. A. C. 766. *vid. Cang.* *Theoph. p.* 369.

Tandem etiam in Constantinum Patriarcham tempestas desæviit. Nam die trigesima supradicti mensis Augusti anno 766. quosdam Clericos Laicosque antea ipsius Patriarchæ amicos instruxit, ut dicerent: *audivimus Patriarcham adversus Imperatorem loquentem.* Cumque ipse inficiaretur, Actores supra veram Crucem jurarunt. Constantinus illico misit, qui rebus in Domo Patriarchali sigillum apponerent, & Patriarcham pri-

Sæcul. VIII. A. C. 766.

mum in Hieriam, & postmodum in Principem Insulam relegavit. Elapso deinde trium mensium & dimidii intervallo, nempe decima sexta Nov. ejusdem anni 766. Indictione quinta, Nicetam Evnuchum, e Sclavis ortum ordinari jussit.

Theoph. an 26. p. 370.

Interim Catholicos, Episcopos, Monachos, Laicos Magistratus & homines privatos persequi non cessans Constantinus, ubique & voce, & datis litteris preces ad S. Virginem vel Sanctos dirigi vetabat. Reliquias, quarum apud omnes maxima erat veneratio, resodi, & consumi jubebat. Impios vocabat, qui eas honorarent, comminatus, se earum Cultores privatione Bonorum, exilio, tormentis, morte extirpaturum. Ipso mandante Lipsanum S. Euphemiæ, quod erat Calcedone, in mare unacum loculo projectum est, quod ferre non posset, oleum pretiosum præsente toto populo inde manare. Sed hæ Reliquiæ non sine prodigio conservatæ, & in Insula *Lemnos* iterum inventæ. Interim Imperator illam Ecclesiam convertit in armamentarium, in quo artifices tela fabricabant, & ubi prius fuerat Sacrarii locus, alvum purgabant.

§. XLIII.

Concilium Gentiliacense.

In Occidente Legati Constantini Imperatoris

ratoris ad Francos in quodam Concilio Gentiliaci prope Parisios auditi fuere; ibi enim Rex Pipinus Festum Paschæ anno septingentesimo sexagesimo septimo decima nona Aprilis celebravit. Huic Concilio Pauli Papæ quoque Legati interfuere, qui cum Græcis præsentibus aliquam de Trinitate Quæstionem, videlicet, an Spiritus Sanctus æque ac Filius procedat a Patre, agitaverunt. Nam jam illo tempore Græci Latinis objiciebant, quod Symbolo Constantinopolitano vocem *Filioque* adjecissent. De Sanctorum Imaginibus quoque mota est quæstio, videlicet, an illæ in Ecclesiis essent collocandæ. Credibile est, Græcorum Legatos Imperatorem Dominum suum apud Regem Pipinum voluisse defendere, a Romanis accusatum, quod in Oriente Religionem turbaret, & bellum in Imagines moveret, atque Græculos retorquendo accusationem Romanos arguisse, quod circa Trinitatem errarent. Quid in eo Concilio definitum fuerit, nescimus.

Sæcul. VIII. A.C. 766.

v. Coint. an. 767. n. 1. 2. &c.

to. 6. Cont. p. 1703.

§. XLIV.

Pauli Papæ obitus. Constantinus intruditur.

Paulus Papa æstate sequente cum per maximos calores in Ecclesia S. Pauli demoraretur, morbo correptus expiravit

Anast. in Paul. v. Papebr.

Sæcul. VIII. A. C. 767.

vigesima prima Junii anno septingentesimo sexagesimo septimo, cum S. Sedem tenuisset annos decem & mensem unum. Una ordinatione mense Decembri creavit Presbyteros duodecim, Diaconos duos, & per diversa loca Episcopos tres. Primum ad S. Paulum, ubi decesserat, sepultus; at post spatium trium mensium translatus est trans Tiberim ad S. Petrum, ibique in Oratorio S. Virginis, quod extruxerat, terræ mandatus. Sanctis adscriptus est, & honoratur vigesima octava Junii. Sacra Sedes vacavit mensibus tredecim, non sine turbis.

Martyr. R. 28. Junii.

Anast. in Steph. III.

Paulo Romano Pontifice ad extrema deducto, Dux quidam nomine Toto, qui a multo tempore cum fratribus suis Constantino, Passivo, & Paschale Nepesina in urbe morabatur, Romam venit, collecta valida manu militum & agrestium, quos repente ex Nepesina Civitate & ex aliis Tusciæ locis exciverat. Urbem ingressi per portam S. Pancratii, cum in ædes Totonis pervenissent, statim Constantinum ipsius Germanum hominem Laicum in Papam eligunt, moxque loricati & arma quatientes in Palatium Patriarchale Lateranense & in atria Vicedomini introducunt. Accersitum deinde Georgium Episcopum Prænestinum compellunt, ut eum Tonsura Ecclesiastica initiaret. Repugnabat Episcopus, & ad pedes Constantini

stantini corruens per Divina Mysteria adjurabat, ut ab impio proposito recederet, ne per eum monstrum inauditum pateretur Ecclesia. At seditiosi comminantes, nisi faceret, ipsum ultima esse passurum, tandem eo adegerunt, ut timore turbatus, manum imponeret, & Constantinum initiaret, qui Lateranum vi obtinuit. Altera die (erat autem Feria secunda) vigesima secunda Junii idem Episcopus Constantinum in Oratorio S. Laurentii in eodem Palatio Subdiaconum contra Canones ordinat. Dominica sequente Constantinus stipatus armatorum phalange Basilicam S. Petri ingressus ab eodem Georgio & duobus aliis Episcopis Eustrasio Episcopo Albanensi, & Citonato Portuensi ordinatus Episcopus Romanus Sacram Sedem mensibus tredecim vi occupatam tenuit. Nullum antehac similis invasionis exemplum in Historia Ecclesiæ Romanæ occurrit. Georgius Prænestinus, qui Constantinum consecraverat, post paucos dies pessimo morbo correptus arescentibus membris Missarum solemnia amplius celebrare non valuit, & dextra ejus ita contracta est, ut eam ad os elevare prohiberetur. Sic tremens & languens vitam finivit. Sæcul. VIII. A. C. 767.

Sæcul. VIII. A. C. 767.

§. XLV.

S. Stephanus in Carcere.

Interim S. Stephanus Constantinopoli in carcere detinebatur. Hunc locum ingressus statim prædixit, eundem ultimum fore, in quo vivens commoraretur, & summo solatio perfusus est, quod ibi trecentos quadraginta duos Monachos e diversis Regionibus adductos inveniret. Quibusdam abscissæ nares erant, aliis effossi oculi, aut manus amputatæ, aliis mutilatæ aures, quod Decreto contra sacras imagines subscribere detrectassent. Alii flagrorum, quibus corpora sua concisa fuerant, ostendebant vestigia, alii capita ab Iconoclastis ad ludibrium abrasa, plerique autem genas pice illitas & ambustas. Has multiplices cruciatus notas cernens Stephanus Deo gratias agebat, quod Sanctis Confessoribus donum patientiæ tribuisset, & se ipsum lacrymis dignum judicabat, ut qui in earundem plagarum partem cum illis minime veniisset. Illi vero Stephanum Pastoris sui & Magistri loco habebant, Salutis præcepta audiebant, & intima cordis aperiebant Ita Prætorianus carcer conversus est in Monasterium, in quo officium Divinum secundum Regulam peragebatur. Illi autem, quibus carceris custodia mandata erat, & ad quos

quos pridem Sancti Viri fama pervenerat, mirabantur, & ad eum tanquam Dei Angelum oculos convertebant. Sæcul. VIII. A. C. 767.

Quidam custodum dixit ad uxorem suam: *Carissima! morte moriemur præ Tyranni hujus furore; Virum enim perinde ac Deum hodierna die vidi, hunc inquam in vincula conjectum Monachum, quem Auxentianum vocant.* Mulier solertissime virum interrogans vitæ sancti hujus Patris rationem omnem perscrutata est. Clam viro deinde in carcerem ingressa, & S. Viri pedes amplexa ait: *Ne repellas me, Pater mi! ut ut indignam, patere, ut ea, quæ tibi sunt necessaria, subministrem. Non horreas peccata mea, spero enim, Deum exiguum istud obsequium remuneraturum.* S. Stephanus pro ea quidem oravit, sed noluit, quidquam ab ea suscipere; ipsa vero vehementius instante, respondit: *Non memini, me unquam cum Hæreticis ullum commercium habuisse.* Credebat enim, eam Iconoclastarum errore infectam. Hæc ut illa audiit, humi se se provolvens, exclamavit: *Absit hoc a me, Pater mi! ut Christi, aut Matris ipsius, aut ullius Sancti imaginem contempserim. Scio enim, quas pœnas daturi sint, qui eo audaciæ prorumpunt. S. Pater noster Germanus imaginum persecutores in censum illorum hominum referebat, qui olim cla-*

p. 501.

p. 502.

p. 503.

Sæcul. VIII. A. C. 767.

marunt: Crucifige! Crucifige! rogo vero, *ne me Marito, nec Custodum cuiquam prodas.* Hæc locuta, statim domum recurrit, atque aperta arca tres imagines arcanas eduxit, unam Dei Genitricis filium complectentis, & duas alias S. Petri & S. Pauli Apostolorum, quas cum reversa coram S. Stephano adorasset, ipsi postea porrexit, *Accipe*, inquiens, *venerande Pater! has orans ante oculos tuos pone, atque hinc tibi mei, hoc est, mulieris peccatricis memoria refricetur.* Ita S. Stephanus in ejus petitionem consensit; ipsa vero deinceps Sabbato ac Dominico die ad eum panis ferme uncias sex, & aquæ non plus tribus poculis afferebat. Tantulum singulis hebdomadis ipsi cibi ac potus fuit totos undecim menses, quos in Prætorio transegit.

§. XLVI.

Alii Martyres.

p. 504. Quadam die, Sancto Viro cum aliis Monachis captivis sedente, sermo ortus est, de suppliciis illis, quæ Viri Sancti durante persecutione passi fuerant. Tum Antonius Cretensis Pauli Abbatis passionem narravit in hunc modum: *Paulum Abbatem comprehendi jussit Insulæ Præfectus Theophanes cognomento Lardotyrus, qui in Prætorio hinc Imaginem JEsu Christi Cruci affixi humi de-*

posuit.

posuerat, & illinc cruciatus instrumentum, quod Catapultam vocant. Ad Abbatem deinde conversus, ait: Unum e duobus tibi Paule proponitur, nimirum, ut vel calcata imagine vitam obtineas, vel hoc tormenti genere excrucieris. Paulus respondit: Absit a me, Domine JEsu! ut imaginem tuam pedibus teram, atque hæc locutus humi se curvans osculum fixit. Præfectus ira æstuans, nudari Sanctum Virum, & in catapulta extendi jubet. Illico tortores eum duabus tabulis inclusum a collo usque ad talos firmissime comprimunt, omnia membra clavis ferreis vinciunt, prono in terram capite suspendunt, & infra eum non exiguo igne accenso suffocant. Sæcul. VIII. A. C. 767.

Hoc eo commemorante, Patribusque fletu largo madentibus, vir senio gravis Theosterictus Presbyter Monasterii, quod *Peleceta* nuncupatur, in medium prodiit, nasum absciissum exhibens, & genas ferventi pice ac bitumine illitas miserumque in modum ambustas, dixit: *Nemo siccis oculis commemorare potest crudelitatem Asiæ Præfecti cui cognomentum Lachanodracon erat.* S. Stephanus ad Theosterictum: *Loquere, Pater mi! etenim per ejusmodi exempla præparamur, ut animi promptitudine similia perferamus.* Tum Theosterictus locutus est in hunc modum: *Appetente nocte in Cœna* p. 506. *Domi-*

Sæcul. VIII. A.C. 767.

Domini, nobis Divina Myſteria celebrantibus, Præfectus iſte Imperatoris juſſu cum valida militum manu irrumpit, jubet ceſſare Divina, Monachos ſelectiſſimos triginta & octo comprehendit, in collo & manibus vinculis ferreis adſtringit. Reliquos vero verberibus crudelem in modum lacerat. Aliquos ambuſſit, alios dimiſit, poſtquam eorum barbam pice illitam exuſſit, amputatis prius naribus, quorum numerum ego augeo. Necdum exſatiata rabie totum deinde Monaſterium incendit, ſtabula æque ac Eccleſias in cineres redigit. At Monachos illos triginta octo, quos ceperat, abduxit; ad extremos Epheſi fines relegavit, ubi eos in veteris balnei formice concluſit, ac obſtructo deinde aditu, & monte vicino per cuniculos ſubruto vivos ſepelivit.

p. 507.

Tum rogatus a Patribus Stephanus, ut ad mitigandum eorum mœrorem & ipſe orationem haberet, in exemplum ipſis propoſuit Petrum Blachernis in vincula conjectum, & præſente Imperatore tamdiu nervis bubulis cæſum, donec animam exhalaret. Item Joannis Abbatis Monaſterii Monagrienſis, quem Tyrannus ſacco incluſum, gravi ſaxo appenſo in profundum mare projeciſſet, quod adduci non potuiſſet, ut imagines JEſu Chriſti & Matris ejus calcaret.

§. XLVII.

§. XLVII.

Sæcul. VIII. A. C. 767.

S. Stephanus in carcere ultimo vitæ tempore.

Sanctus Stephanus ſuam ex hoc mundo ad Deum migrationem animæ oculis proſpiciens, accerſita muliere nutrice ſua, ait: *Proximos quadraginta dies in ſilentio, oratione & abſtinentia tranſigam. Panem igitur & aquam non amplius afferas, novi enim mihi vitæ finem imminere.* Hoc temporis ſpatio non ceſſavit Monachos captivos exhortari, ne in tantis ærumnis animum deſponderent. Viri etiam nobiles & pii ex Civitate vilibus pannis obvoluti clam ad eum ingrediebantur, ut Benedictionem reciperent, & ſalutaria monita audirent. *p.* 509.

Die trigeſima octava mane peracto officio Horæ primæ hoſpitalem illam fœminam vocat, & præſentibus Monachis ita alloquitur: *Veni, mulier Benedicta! Deus tibi miſericordiam, quam mihi præſtitiſti, in centuplum reddat! accipe Imagines tuas, præclarum tuum depoſitum, quod tibi in hac vita adverſus omne malum præſidii loco ſit, & orthodoxæ fidei tuæ pignus.* Tum alte ingemiſcens dixit: *Craſtina luce ex hac vita ad alium Mundum atque alium Imperatorem proficiſcar.* Ipſa cum acerbum gemitum edidiſſet, receptas imagines & linteo abſcon- *p.* 510.

Sæcul. VIII. A. C. 767.

sconditas, ne ab Iconoclastis conspicerentur, domum retulit.

Vet. Cal. ap. Ruf. Ant. Lib. IV. c. 4. & 15. p. 316.

Interim Constantinus Paganorum ritu Brumalia, id est sacra Bacchi agebat (nam veteres Romani Liberum Patrem Brumum appellabant) 24. Nov. celebrari solita. Ad Imperatorem in porticu sedentem cum Symmystis suis & inter profanas libationes citharam pulsantem ab impiis quibusdam defertur, Stephanum Auxentianum, nefandorum hominum principem, ex Prætorio Monasterium effeciſſe, eumque totas noctes illic in cantillandis Psalmis traducere. *Præterea*, inquiebant, *complures Cives illuc proficiscentes Idolorum cultum ab eo docentur.*

Hæc ille ut audivit, ira inflammatus militi Prætoriano imperat, ut S. Virum extra Civitatem duceret ad alterum maris littus, illic nempe ubi prius S. Mauræ Martyris Templum situm erat, quo everso locum illum in carnificinam mutaverat. Ibi etiam Constantinus fœdera cum Dæmonibus occulte sanciebat; quippe cujusdam viri, Suphlamii nomine, filium ipsis immolavit. Tunc vero Edictum promulgavit, ut illi omnes diligentissime perquirerentur, qui Monachum affinem, amicum, aut vicinum haberent, aut solummodo pullam vestem ferre deprehenderentur. Hi igitur fla-

Constantinus Idololatra.

vit. S. Steph. p. 512.

gris

gris concisi in exilium mittebantur. Qui inimicitias alebant, adversarios deferebant, Servi Dominos accusabant, urbs tota in gravissimo luctu versabatur. Sæcul. VIII. A. C. 767.

Cum igitur S. Stephanus ad locum supplicii duceretur, Imperator e Palatio progressus stabat in Milii porticu. Ibi prius sex Concilia Oecumenica ad docendum populum depicta erant, quibus jussu Tyranni deletis Circus & equi depicti tunc visebantur. In hoc loco ambulantem Imperatorem cum adulatores faustis omnibus prosequerentur, ipse dixit: *Nulla mihi requies est; ita immemorandi isti exitium vitæ meæ afferunt.* Hic vero quidam ejus factionis exclamavit: *Et ubinam tandem, Domine! ullus eorum delitescit, aut in hac Urbe tua, aut in alia Regione? An non omnes funditus deleti sunt? En enim Imperii quoque tui hostem, Stephanum Auxentianum, abduci hodie vidi, ut, quas meritus est, pœnas subeat.* Tunc Imperator: *Et quid jucundius Stephano accidere queat, quam ut gladio vitam finiat? Nihil ardentius, ut arbitror, ex quo captus est, expetiit. Sed faxo, ut multo graviore mortis genere mulctetur.* His illico mittit, qui suo nomine juberent, Stephanum rursus in carcerem reduci.

v. Cang. L. C. P. p. 72. 73

vit. p. 513.

p. 514.

Sub vesperam Constantinus duos fratres tum Dignitate claros, tum corporis simul

Sæcul. VIII. A. C. 767.

simul atque animi pulchritudine florentes (quos postea invidiæ œstro percitus interfecit) vocari jubet. Cum ergo ipso cœnante venissent, dixit: *Ite ad Prætorium, & meo nomine ad Auxentianum Stephanum dicite: Vides quantum tui cura afficiar, ut qui tibi ex ipsis mortis faucibus erepto vitam concesserim. Tandem igitur aliquando voluntati meæ obsequere.* Adjecit: *Non quidem me fugit, quin homo contumax ad contumelias potius nobis inferendas prorupturus sit. Tunc vero a vobis & a fronte & a tergo eum tamdiu verberari volo, quoad misere animam efflaverit.* Duo illi fratres cum ad Prætorium venissent, Sancto Viro quidem, quæ jussi fuerant, exponunt, sed in fide firmissimum experti, petita Benedictione ejus pedes osculati sunt. Ad Imperatorem reversi dixerunt: *Miserum illum in pristina sententia perstantem tot plagis proscidimus, ut nunc Spiritus pene expers jaceat. Certe crastina inter vivos non erit.* Fabulam effusissimo risu excepit Constantinus, & amplius ingurgitationi indulsit.

§. XLVIII.

S. Stephani Martyrium.

p. 516.

Sanctus Stephanus sub auroram coacto ad se Monachorum agmine ultimum vale dixit, agonem suum precibus eorum

rum commendavit, tolli sibi sacram epo- Sæcul. VIII.
midem, atque deinde Analabum cum A. C. 767.
loro jussit. Cucullum quoque exuere volenti dixerunt; convenire, ut in pretioso habitu Monastico moreretur. At ille respondit: *Athletam nudum luctari decet, & præterea æquum non est, sanctum Habitum a furente populo contumelia affici.* Ergo pelliceum duntaxat pallium retinens, & cum fratribus sedens de rebus, quæ ad salutem pertinebant, colloquebatur. Imperator, certior factus, duos fratres sibi fuisse mentitos hora ferme octava strato se proripit, ad aulæ Vestibulum currit, exclamans: *O vim mihi illatam! nemo est, qui mihi opituletur! quid mihi cum immemorandis istis?* Tum compotatoribus suis ad con- *p.* 517.
vivia & sacra Bacchi strenue redeuntibus ait: *Non sum Dominus vester, non sum Imperator. Alium habetis, cujus pedes lambitis, & Benedictionem petitis. Nemo in me obsequiosus est, ut illo de medio sublato animum meum reficiat, & recreet.* Illis quisnam hic esset scisscitantibus, respondit: *Stephanus Auxentianus est, hominum nefandorum princeps.*

Nondum Stephani nomen ad eorum aures totum pervenerat, jamque horrendo clamore omnes, ut erant, ad carcerem Prætorii concurrunt vociferantes: *Date nobis Stephanum Auxentianum!*

Sæcul. VIII. A. C. 767.

Ille intrepido animo occurrens, *ego sum*, inquit, *quem quæritis.* Ipsi vero illico Virum Sanctum arripiunt, in terram allidunt, vincula ferrea, quibus pedes ejus adstringebantur, funibus innectunt, ad publicam viam raptant, calcibus in eum insilientes, saxis impetentes, fustibus caput totumque corpus diverberantes. Cum per primam Prætorii portam diriperetur præter S. Theodori Oratorium, manibus humi fixis se sustentans, sublato aliquantum capite & elevatis in Cælum oculis ultimum adorationis munus Martyri persolvit. Quod ex sanguinariis illis hominibus aliquis, Philomatius nomine, conspicatus, exclamavit: *Videtisne? nefandus iste tanquam Martyr mori cupit!* Hæc locutus ad siphones, qui illic erant, ut in subitis incendiis adhiberentur, decurrit, avulsum ab iis haud parvum lignum trahit, Sanctum Virum quam vehementissime potest in cerebri membrana ferit, ac protinus interimit. Sed ecce, Dei vindictam! simul atque feriit Philomatius, ipse quoque in terram, Diabolica plaga percussus, ruit, dentibus horrendum in modum stridens, nec ante mortem ab hoc flagello liberatus est.

p. 518.

S. Stephani Junioris cruciatus.

Adhuc tamen furibundum vulgus S. Martyris corpus raptabat. Latera ad saxa offendentia conterebantur, digiti una-

unacum ungulis avellebantur, ſpargeba- Sæcul. VIII.
tur ſanguis, unus e ſceleſtis illis gravis- A. C. 767.
ſimum lapidem utraque manu acceptum in ipſius ventrem injecit, quo rupto confeſtim abdita viſcerum compages in terram effuſa trahebatur. Mortuum enim percutiebant non viri duntaxat ſed etiam mulieres, imo & pueri, ludo litterario relicto (ſic enim Imperator juſſerat) lapidibus defunctum inſectabantur. Ac quisquis in eum, dum raptaretur, incidens lapidem non jeciſſet, Imperatoris hoſtis cenſebatur, & pœnas dabat. Cum ad Bovis locum Martyrem trahentes perveniſſent, caupo quidam piſces coquens, vitæ uſura adhuc eum frui arbitratus aſſumpto flagrante titio- *Cang. 1. C. P.*
ne in calvaria ipſum ferit, ac repente *p. 82. vit. p.*
confracto occipitio cerebrum fluere cœ- 520.
pit. Theodorus autem quidam vir pius a tergo ſequens ſimulato lapſu cerebrum collegit, & furtim in ſudariolo excepit. Tum furentium veſtigiis inſiſtit, ut cerneret, quonam tandem Martyris reliquias projicerent. Exinde flagitioſa illa turba acceſſit ad Monaſterium, in quo erat S. Viri ſoror, volens eam compellere, ut egrederetur, & fraternum corpus ſaxis peteret. Verum illa in obſcurum quoddam ſepulchrum ſeſe abdens hujusmodi facinus effugit. Tandem Martyris cadaver in foveam proji- *p. 521.*

Sæcul. VIII. A. C. 767.

ciunt, ubi prius Ecclesia S. Pelagii Martyris steterat, quem locum deinde Imperator ad mortem damnatorum & paganorum sepulchrum esse jusserat. Post-modum ad Tyrannum reversi, quam strenue rem gessissent, referunt. Ille lætissimus ad mensam latrones invitat, & horrendam lanienam per ordinem rei peractæ audiens magnopere ridebat.

Cang. C. P. L. IV. p. 150.

S. Stephanus junior (ita enim nominatur, ut a primo hujus nominis Martyre discernatur) anno Salutis 767. vigesima octava Nov. nobilissimo Martyrio perfunctus est, annos natus quinquaginta tres. Atque ea die Ecclesia ejusdem memoriam colit. Porro pius ille Theodorus, qui partem cranii & cerebri collegerat, ad Monasterium beati Dii profectus has sacras Reliquias Abbati dedit, qui eas in Ecclesiæ Sanctuario secreto occultavit. Verum interjecto aliquo tempore Theodorus apud Imperatorem accusatus, quod Imagines adoraret, exilio mulctatur, atque cum uxore & liberis in Siciliam Insulam ablegatur.

Mart. Rom. 28. Nov.

p. 523.

§. XLIX.

Constantinus Patriarcha Constantinopolitanus degradatus & capite plexus.

Eodem anno 767. sexta Octobr. Indictione sexta ineunte, Imperator Constanti-

stantinum Patriarcham e Principis Insu- Sæcul. VIII.
la, exilii sui loco, Constantinopolim de- A. C. 767.
duci jussit. Prius crudelem in modum *Theoph. an.*
cæsum, ita ut ingredi non valeret, in Ec- *27. p. 371.*
clesiam S. Sophiæ deferunt, & coram San-
ctuario, in loco, qui *Solea* dicebatur, se-
dere cogunt. Aliquis Imperatoris a se- *Cang. C. P.*
cretis apud illum erat tenens manu vo- *III. c. 2. n. 73.*
lumen, in quo ejus crimina erant adno-
tata, eaque præsente omni populo & Pa-
triarcha Niceta in Throno suo sedente
prælegebat, & ipse Notarius prælegens
ad singula accusationis capitula libro Con-
stantini faciem pulsabat. (*) Ambo-
nem deinde conscendere jusso, missi a *Conbef. not.*
Niceta Patriarcha Episcopi Pallium de- *in Theoph.*
trahunt. Ipse condemnatum anathema-
tizavit; quibus peractis Constantinus re-
tro gradiendo Ecclesia exire adigitur.
Hic videmus exemplum Degradationis,
quæ pœnam capitalem præcedere de-
bebat.

(*) Quæ fuerint hæc crimina, Cardinalis Baronius nos docet his verbis: *Hic quidem, quam secreto acceperat ab Imperatore, ipsius impietatem, qua negabat Christum Deum, ejusque Matrem esse Deiparam nominandam, loco vindictæ, id ipsum in Insula ubi relegatus fuerat, omnibus propalavit (ut Cedrenus & alii tradunt) quamobrem evocatus Constantinopolim; quas jussus sit pœnas dare, luereque supplicium, ita Theophanes narrat &c.*

Sæcul. VIII. A. C. 767.

p. 372.

Postera die cum ludi Circenses agerentur, raserunt faciem ejus, & denudaverunt genas, capitisque & superciliorum pilis ablatis indutum habitu laneo sine manicis asino imposuerunt, aversa facie caudam animalis manibus suis tenentem. Ita miserum in toto Hippodromo circumducunt, cuncto populo imprecante illi mala, & conspuente. Asinum vero trahebat Constantinus nepos ejus, cui nasum reciderant. Ubi ad metam pervenerunt, in qua equi sistebant, de asino dejiciunt, collum ejus calcibus proterunt. Tandem considere jussum populus usque ad ludorum equestrium finem irrisit.

Hist. miscel. L. XXII. p. 721.

Decima quinta ejusdem mensis Imperator missis ad Patriarcham Patriciis significari jubet: *Quid dicis de Fide nostra, & de Concilio, quod coegimus?* Tunc infeliciissimus hominum sperans, Imperatorem placari posse, respondit: *Bona est Fides tua, & legitimum fuit Concilium.* At illi: *Hoc est, quod ex ore tuo polluto audire cupiebamus. Nunc igitur abi ad tenebras, & anathema esto.* Mox lata in eum sententia, & in veteri theatro, quod Cinegium dicitur, ubi damnati ultimo supplicio affici solebant, gladio percussus est. Caput deinde auribus suspensum in foro Milii triduo, horrendum populo spectaculum, pependit.

vit. Cang. C. P. Lib. II. p. 108.

Cor-

Corpus pede resti innexo per plateas tractum in locum, quo capite plexorum cadavera mittebantur, projectum est, atque etiam illuc post tres dies caput delatum. Sic periit Constantinus Patriarcha jubente Imperatore, cujus liberos duos, ipsi e tertia sua conjuge natos, e fonte sacro Baptismi levaverat; unde multo magis apparet Tyranni sævitia, quippe illa sacra cognatio tanquam fœdus spirituale habebatur, quod inter Papam, & Regem Pipinum initum vidimus. Sæcul VIII. A. C. 767. *Sup. n. 30.*

§. L.

Necdum Persecutionis finis.

Ex eo tempore Constantinus Imperator majore insania in Catholicos debacchari cœpit. Missis, qui Petrum celebrem Stilitem mandatis ipsius impiis non obtemperantem adducerent, ligatis pedibus vivum per civitatem raptari, & in locum a S. Pelagio dictum projici jussit. Alios saccis inclusos appensis lapidibus in pelagus mergi præcepit. Quibusdam eruti sunt oculi, abscissæ nares, aut corpus verberibus dilaniatum. Constantinopoli Imperator suis ipse manibus in Orthodoxos sæviebat, itemque opera Antonii Patricii & Domestici, Petri Officiis præpositi, militumque, quos suo errore imbuerat In Provinciis vero *Theoph. p. 371.*

Sæcul. VIII. A. C. 767. carnificis munus demandabat Prætoribus, quales erant in Natolia Michael Melliſſenus, in Thracia Michael Lachanodracontius, & Manes Dux Bucellariorum, id eſt, militum, quorum manibus ad interficiendos mortis reos utebatur.

An. 26. p. 371

p. 373. Ceterum Conſtantinus citharæ ſonitu, conviviis, ſaltationibus & turpibus colloquiis delectabatur. Si quisquam corruens, aut dolorem repente ſentiens ſolitam Chriſtianorum vocem emitteret, *Dei Genitrix, juva!* (*) aut ſi vigiliis adeſſe & Eccleſias frequentare deprehenderetur, ut inimicus Imperatoris damnabatur, & homo nefandus appellabatur. Monaſteria in domicilia militum iconoclaſtarum convertebat, eisque dedit Cœnobium Dalmatii, in Urbe Conſtantinopolitana optimum, item Cœnobia Calliſtrati & Dii. Alia a fundamentis deſtruxit. Viros militia & dignitatibus claros, qui vitam deinde Monaſticam amplexi fuerant, morti ſubdebat, & maxime illos, qui ſibi adhæſerant, quosque libidinis ſuæ & nefandorum actuum conſcios habuerat, par pudori non futurus, ſi ejusmodi flagitia propalarent.

Cang. C. P. Lib. IV. p. 155.

Nice-

(*) Ex his contra Proteſtantes antiquiſſimus in Eccleſia uſus Sanctos non modo honorandi, ſed etiam in auxilium vocandi probatur.

Nicetas Patriarcha, ut Imperatori adu- Sæcul. VIII.
laretur, Imagines tam musivi operis A. C. 767.
quam in ligno pictas in domo Patriar- *Cang. C. P.*
chali & Monasterio Abrahami delevit. *IV. c. 6.*

§. LI.

Constantini Antipapæ litteræ.

Interim Romæ hæc agebantur. Con- *Cod. Carol.*
stantinus Antipapa, datis post ordina- *ep. 98.*
tionem suam sine mora ad Regem Pipinum litteris, quas quidam a Rege Legatus, ut Roma Acta Sanctorum in Franciam deferret, suscepit reddendas, significabat, invitum se a populo fuisse electum, videbaturque oratio hominis ab avaritia & ambitu alieniſſimi, vel potius, qui ipsi ab Epistolis erat, ea modestia loquentem induxerat, qua maxime Pipini præsidium ei conciliari posse credebat; tota enim ad id ipsum obtinendum scripta erat epistola. Dicit etiam transmittere se, quæ de Actis Sanctorum comparari potuissent. Cum nullum accepisset responsum, secundam scripsit, vehementius instans & rogans Regem, ne falsa de se deferentibus fidem haberet. Subjungit: *Certiorem te facimus, quod duodecima mensis Augusti, Indictione quinta* (nempe anno 767.) *Jerosolyma ad nos venerit Presbyter, nomine Constantinus, afferens Epistolam Synodicam Patriarchæ Jerosolymitani ad Paulum*

Sæcul. VIII. A. C. 767.

Anteceſſorem noſtrum datam, atque a duobus aliis Patriarchis Alexandrino & Antiocheno pluribusque ex Oriente Metropolitis approbatam. Hanc acceptam gaudio perfuſus approbavi, & ſuper Cathedram populo prælegi curavi, cujus Exemplar Græcum unum, & alterum latinum tibi mittimus, ex quo cognoscas, quam pio affectu omnes in Oriente Chriſtiani in Sacras Imagines ferantur.

Conc. Nic. 2. act. 3. to. 7. p. 175.

Epiſtola Synodica iſta Theodori Jeroſolymitani eadem procul dubio eſt, quam pro more Coſmo Patriarchæ Alexandrino, & Theodoro Patriarchæ Antiocheno miſerat. In ea multis Fidem ſuam exponit de Trinitate, & de Incarnatione, duas Naturas, & duas Voluntates diſerte confitetur. Sex Concilia Oecumenica recipit, & ex numero Perſonarum in Sexto damnatarum nomen Honorii non expunxit. Tandem ubi loquitur de Articulo, de quo tunc præcipue diſceptabatur, dicit: *Recipimus, & amplectimur Traditiones Apoſtolicas, qua Sanctos tanquam ſervos, filios, & amicos Dei honorare, & adorare docemur. Præterea adoramus ſanctas Imagines Domini noſtri JEſu Chriſti ſecundum ſuam Humanitatem, & Sanctæ Matris ejus, Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, Confeſſorum, & Juſtorum.*

p. 183.

Hæc

Hæc distinctio Confessorum & Justorum notari meretur, atque sæpius in illius ævi Scriptoribus recurrit. Sub Confessorum nomine illos solum, qui pro Fide aliquam ærumnam passi fuissent, indicare, sub nomine autem Justorum, vel Perfectorum, alios Sanctos, qui postea Confessores appellati sunt, complecti voluisse videntur. Sæcul. VIII. A. C. 768.

§. LII.

Constantinus ejectus.

Nullo tenemus indicio, Regem Pipinum litterarum Antipapæ Constantini rationem habuisse, nec quidquam movisse, quo ejus usurpationem confirmaret. At Romæ Christophorus Primicerius & Consiliarius cum filio suo Sergio Sacellario seu Thesauri Custode mori potius constituit, quam impiam in Sedem S. Petri præsumptionem æquo animo ferre. Ergo simulant cupere se Monasticam professionem amplecti, & licentiam a Constantino petunt se se in Monasterium S. Salvatoris in Longobardia recipiendi. Papa, postquam Christophorus sibi fidem juraſſet (verisimiliter quod nihil contra ipsum moliturus esset) utrumque dimisit. Verum, quasivero rem quidem bonam perjurio quærere licitum crederent, ubi in Longobardiam pervenerunt, declinaverunt a Monaste- *Anast. in Steph.*

rio

Sæcul. VIII. A.C. 768. rio, ubi eos Abbas expectabat, & Theodicium Ducem Spoletanum obtestati sunt, ut se trans Padum ad Desiderium Regem Longobardorum deduceret, quem deinde summis precibus exorarunt, ut immane scandalum ab Ecclesia tolleret. Constantinus Papa una Ordinatione Presbyteros octo, quatuor Diaconos, & toto, quo sedit, tempore, Episcopos octo creavit.

Interim Christophorus & Sergius a Rege Longobardorum dimissi in Civitatem Reatinam divertunt, & inde Sergius atque Valdipertus Presbyter præcedentes, cum manu civium Reatinorum & Furconinorum aliorumque Longobardorum ex Ducatu Spoletano, repente Romam perveniunt sub crepusculum vigesima nona Julii in Vigilia SS. Abdon & Sennen, Indictione sexta, nempe anno 768., & pontem Salarium occupant. Altera die se portæ S. Pancratii admovent, ubi propinqui Sergii excubantes signo dato, acceptoque aperiunt. Ita Sergius & Valdipertus Romam ingressi stipantibus Longobardis in murum cum vexillo militari evadunt. At Longobardi Romanorum vim formidantes, descendere non ausi Janiculum reliquerunt.

His ad Totonem & Passivum Constantini Papæ fratres perlatis, confestim

ad

ad portam S. Pancratii procurrunt paucis quibusdam comitantibus, quos inter sequebantur Demetrius Secundicerius, & Gratiosus Chartularius ipsorum proditores, quippe cum Sergio consilia communicaverant. Dum inter hæc Racipertus Longobardorum fortissimus Totonem a tergo hastis aggreditur, Passivus ad Constantinum fratrem properat nuncians quæ rerum facies esset. Ergo latebras quærunt & in diversis primum Palatii Lateranensis cubiculis diliteſcunt, tum in Oratorio S. Cæsarii se occultant. Aderat cum ipsis Theodorus Episcopus & Constantini Vicedominus. Sed elapsis aliquot horis militum Romanorum Duces adveniunt, eosque ex hoc Oratorio ad locum tutiorem deducunt. Sæcul. VIII. A. C. 768.

Altera die, quæ erat Dominica, ultima mensis Julii, Valdipertus Presbyter, Sergio inconsulto, collecta Romanorum manu ad Monasterium S. Viti se confert; unde Philippum Presbyterum evocatum ad Basilicam Lateranensem deducunt inter maxima lætitiæ signa clamantes: *Philippus Papa! quem S. Petrus elegit!* cum in Lateranum perveniſſent, & quidam Episcopus solitas preces super eum recitasset, dedit omnibus pacem & in Palatium introductus est. Ibi in Cathedra Pontificali consedit & deinde ad triclinium ascendens, sicut Papæ consueverant, Philippus unius diei Papa.

Sæcul. VIII. A. C. 768.

verant, cum quibusdam Militiæ & Ecclesiæ præcipuis viris mensæ accubuit.

§. LIII.

Stephanus Papa.

Eodem die Romam perveniens Christophorus, ubi hanc Electionem comperit, ira accensus coram toto populo juravit, se Urbe non egressurum, priusquam Philippus e Palatio Lateranensi fuisset expulsus. Gratioso protinus hæc imperata faciente Philippus modestissime ad suum Monasterium reversus est.

Altero die Lunæ, prima Augusti, Christophorus Episcopos, Clericorum præcipuos, Militiæ Duces, milites, cives, totumque populum Romanum convocavit, unoque consensu statuerunt, Stephanum Siculum, Olivi filium, in Petri Cathedram esse evehendum, Virum in Divinis Scripturis eruditum in Traditionibus Ecclesiasticis versatum, earumque observantissimum. (*) Eum olim Romam

(*) Hic Stephanus ab illis, qui Stephanum II. subito mortuum numero Pontificum accensent, Quartus dicitur. Quotiescunque vero Scriptores in numero variant, potius ad tempus, quo Papa aliquis sedit, quam ad numerum est attendendum. Ceterum quæ hic de unanimi consensu eligentium, & vita S. Stephani referuntur, notari

mam e Sicilia advectum Gregorius III. Papa in S. Chryſogoni Monaſterium a ſe tunc primum fundatum miſerat. Inde evocatum Zacharias Papa in Palatio Lateranenſi Cubiculo ſuo præfecit. Exinde Presbyterum ordinatum Titulo S. Cæciliæ, nihilominus eundem ob vitam caſtiſſimam in Laterano detinuit. Sed nec ſubſequentes duo Pontifices Stephanus & Paulus eum a ſe avelli paſſi ſunt; ſed idem Paulo ſupremo morbo decumbenti miniſtravit, a lecto ipſius non diſcedens, donec Spiritum reddidiſſet. Paulo defuncto ad Titularem ſuam Eccleſiam S. Cæciliæ ſe recepit, unde ad Summum Pontificatum evocatus inter populi acclamantis plauſus in Lateranum deducitur, & ſervatis omnibus, quæ Canones præſcribunt, ordinatur. Sæcul. VIII. A. C. 768.

Stephano vix dum electo, impii homines Theodorum Epiſcopum, & Conſtantini Vicedominum corripiunt, oculos eruunt, linguam exſecant, & in Monaſterio montis Scauri incluſum, fame ſitique mori compellunt, miſerando ejulatu hauſtum frigidæ rogantem. Paſſivum quoque erutis oculis in Monaſterium S. Silveſtri detrudunt, & utriusque bona

notari poſſunt propter flagitioſam Notam, quam Interpres Proteſtans infra, ut videbimus, adjecit.

Sæcul. VIII. A. C. 768.

bona diripiunt. Constantinus etiam comprehensus, equo sella muliebri strato impositus, & gravibus ponderibus ad pedes ejus alligatis publice ad Monasterium Cellas novas abripitur.

Tum Sabbato mane quibusdam Episcopis, Presbyteris, & Clericis in Lateranensi . Basilica Salvatoris congregatis Constantinus introducitur, & post lectionem Canonum deponitur in hunc modum: Maurianus Subdiaconus Orarium seu Stolam collo ejus detractam ad ipsius pedes projicit, & calceos proscindit. Altera die Dominica, septima Augusti Stephanus in Ecclesia S. Petri Episcopus consecratur, ubi etiam super ambonem confessio publica populi Romani, culpam suam agnoscentis, quod præsumptionem Constantini non prohibuisset, recitata est.

Sed necdum improborum furor quievit. Nam Gracilis Tribunus Alatri (Campaniæ oppidum est) qui Constantini stabat in partibus, Romam adductus in carcerem detrusus est effossis oculis & lingua exsecta. Ipse Constantinus ex Monasterio ad Cellas novas abstrahitur, & erutis oculis in platea jacens relinquitur. Valdipertus Presbyter accusatus, quod Christophorum Primicerium meditatus fuisset occidere, & Urbem Longobardis tradere, ex Ecclesia Dominæ Nostræ ad Marty-

Martyres id est ex Rotunda quo confugerat extractus, & in horridum antrum detrusus, oculorum effossione & linguæ præcisione vitam finivit. Ita tunc Romæ, quæ Dominum nesciebat, vivebatur. Stephanus Papa post suam ordinationem sine cunctatione Sergium Christophori filium, & tunc Ecclesiæ Romanæ Nomenclatorem ad Regem Pipinum & Principes filios ipsius misit cum litteris, quibus rogabat, ut Episcopos Sacræ Scripturæ & Canonum scientia insignes ad celebrandum in causa Constantini intrusi Concilium mitterent. Sæcul. VIII. A. C. 768.

§. LIV.

Pipini obitus. Carolus & Carolomannus Reges.

At Sergius, ubi in Franciam pervenit, Pipinum Regem vita functum esse comperit. Plurima quidem Rex Pipinus insignis Pietatis specimina ediderat, sed singulare omnino illud est, quod habemus in Epistola data ad S. Lullum Archiepiscopum Moguntinum, in qua jubet supplicationibus publicis Gratias Deo agi, quod fructus terræ uberrimos concessisset. Conveniens admodum nobis videtur, inquit, ut quilibet Episcopus in sua Diœcesi Litanias (id est procedente populo supplicationes publicas) celebret, sine jejunio, sed ut laudetur Deus, & *ep. 96. inter Bonif.*

Sæcul. VIII. A. C. 768.

quisque eleemosynas, quibus pauperes pascantur, distribuat. Nomine nostro impera, ut quisque decimas, etiam invitus, præbeat. Nempe in principio Decimæ erant eleemosynæ sponte oblatæ. Sed & aliud insigne Regiæ Pietatis Monumentum reliquit posteris Pipinus, videlicet Abbatiam Prumiensem, quam ut in Diœcesi Trevirensi fundaret, Berthæ Reginæ precibus dedit. Huic Abbatiæ, postea celeberrimæ, cujus fundatio ad annum 760. refertur, primus Abbas Assuerus præfectus.

Sup. Lib. XXXIV. §. 50. Conc. Matisc. c. 5.

Rex Pipinus, priusquam supremum diem oppeteret, omnibus Optimatibus & Episcopis Imperii Francorum ad S. Dionysium convocatis, ipsisque consentientibus, duobus filiis suis Carolo, & Carolomanno Regnum divisit, eadem die Dominica decima octava Sept. 768. coronatis. Et Carolus quidem Novioduni, at Carolomannus Suessione, vivente Rege Patre, diademate redimiti sunt. Tunc Carolus ætatis suæ annum agebat vigesimum primum, Carolomannus vero decimum septimum. Hic est ille Carolus, cui rerum gestarum gloria Magni nomen peperit. Elapso exinde sex dierum spatio e vita excessit Rex Pipinus, videlicet vigesima quarta Sept. annos natus quinquaginta quatuor, postquam annos sexdecim & menses quatuor imperasset. Sepul-

Contin. 4. Fred. c. ult.

ibid. c. 136. Ann. Fuld. &c. v. Coint. an. 768. n. 9.

Sepultus est ad S. Dionysium, cui Monasterio maxima contulerat beneficia. Sæcul. VIII. A. C. 768.

§. LV.

Ecclesia Hispaniæ.

Eodem anno septingentesimo sexagesimo octavo e vivis abiit Froila Rex Christianorum in Hispania, postquam regnasset annis undecim & tribus mensibus. Is Alphonso Catholico, æra 795. seu anno 757. successerat, sæpiusque Arabibus prœlio victis, Episcopatum Luci Augusti vulgo *Lugo*, veteris in Asturia Civitatis, quæ hodie destructa est, Ovetum transtulit. Civitas Ovetana originem suam debet cuidam Monasterio, Froila regnante fundato a Monachis, ut ibi S. Vincentii Reliquias deponere possent. Quandoquidem Christiani Valentia ab Arabibus pulsi has Reliquias itinere maritimo usque ad Promontorium, quod inde in Provincia Algarbiæ a Nomine S. Vincentii dictum, & prius Promontorium Sacrum appellabatur, detulerunt. Ex hoc loco Sancti hujus Reliquiæ ad diversa Hispaniarum loca pervenerunt. Froila regnante aliqua Monasteria fundata feruntur; sed Hispania tunc sub jugo Saracenorum gemente, de his nihil satis certum litteris proditum ad nos usque translatum habemus.

Sebast. Salmant.

Sandoval. not. p. 110.

Id. p. 97.

Sebast.

Sæcul. VIII. A. C. 768.

Froila cum ſua manu fratrem Vimaranum occidiſſet, & ipſe interfectus eſt, habuitque Succeſſorem in Hiſpania Aurelium Patruelem, qui annos decem Regnum tenuit.

§. LVI.

Capitulare primum Caroli.

tom. 1. Cap. p. 189.

Ad initium Regni Caroli in Francia refertur Capitulare, quod ad reformationem Diſciplinæ Eccleſiaſticæ tendit. In eo Carolus loquitur in hunc modum:

c. 1. *Cum nos omnes Subditi noſtri, præſertim Epiſcopi & Clerici, id rogarent, Servis Dei diſtricte prohibemus, ne arma geſtent, ne militent, ne exercitum ſequantur, illis ſolummodo exceptis, qui delecti ſunt ad celebrandum Officium Divinum, id eſt, Miſſas celebrandas, & portandas Reliquias. Ad quod præſtandum unus, duove Epiſcopi cum Presbyteris Capellanis*

c. 2. *ſuffecerint. Quilibet Præfectus militum apud ſe habeat Presbyterum, qui confitentibus peccata ſua pœnitentiam injungat.*

c. 5. *Sacerdotes ſub pœna Depoſitionis nec Chriſtianorum, nec Paganorum ſanguinem*

c. 3. *fundant. Nulli Clerici cum canibus, aut Falconibus venentur. Epiſcopi aut Pres-*

c. 4. *byteri ignoti non admittantur ad Miniſterium, niſi prius in Synodo ad examen vocati fuerint.*

Epis-

Episcopus singulis annis Diœcesin suam visitet, ut Confirmationem conferat, populum doceat, & abominationem superstitionum paganarum, quales sunt Sacrificia in funeribus, Sortes, seu Divinationes, Phylacteria, Auguria, Incantationes, Sacrificia brutorum sub prætextu Sanctos honorandi, prohibeant. In bis Comites tanquam Ecclesiæ Defensores Episcopis auxilium præstent. Quilibet Presbyter in Quadragesima Episcopo suo rationem reddat de modo, quo munere suo fungitur. Nemo cujusquam Ecclesiæ administrationem sine consensu Episcopi Diœcesani in se suscipiat. Episcopi hominum incestorum, eorumque omnium, qui graviorum criminum rei sunt, singularem curam gerant, nec in peccatis suis perire illos sinant. Item sollicite curent, ne ægroti & pœnitentes sine Extrema Unctione, Reconciliatione, & Viatico (*) decedant. Nullus Sacerdos Missam celebret nisi in loco Deo consecrato, aut si in itinere sit, sub tentorio & supra tabulam lapideam ab Episcopo consecratam.

Sæcul. VIII. A. C. 768.

c. 7.

c. 6.

c. 8.

c. 10.

c. 14.

Presbyteri sufficienti scientia ad obeundum munus suum non imbuti, si ab Episcopo

c. 15. 16.

(*) Ecce antiquissimum usum trium Sacramentorum morientium, quæ Lutherus temere rejecit!

Sæcul. VIII. A. C. 768.

piscopo moniti discere neglexerint, interdicantur, & Ecclesiis, quas possident, priventur. c. 17. *Nullus Judex Presbyterum vel Clericum sine communicatione Episcopi sub pœna Excommunicationis detineat, aut condemnet. Nec Episcopi, nec alii bona aliena sub prætextu Divisionis Regnorum retineant.* c. 18. Francia inter Carolum & Carolomannum divisa huic Decreto condendo ansam dedit.

§. LVII.

Concilium Romanum.

Sergius Stephani Papæ Legatus comperto Regis Pipini obitu nihilominus iter strenue prosecutus Reges Carolum & Carolomannum adiit, qui concessis omnibus, quæ petebat, in Italiam rediturο comites dederunt duodecim Episcopos Franciæ in Scripturæ & Canonum scientia versatissimos, videlicet Villicarium Senonensem, Lullum Moguntinum, Gavianum Turonensem, Adonem Lugdunensem, Herminardum Bituricensem, Danielem Narbonensem, Tilpinum Rhemensem, omnes Metropolitas. Ceteri quinque erant Herulfus Lingonensis, Josephus Avenionensis, & tres alii, quorum Sedes non satis clare designantur. Villicarius Roma redux ex Monasterio Agaunensi Reliquias attulit S. Victoris de numero Martyrum Legionis Thebanæ,

Anast. in Steph.

v. Coint. An. 769. n. 2. 3.

næ, quæ in Eccleſia Senonenſi hodieque aſſervantur. Daniel a Rege Pipino ſibi & Succeſſoribus ſuis Jurisdictionem in mediam partem Civitatis Narbonenſis obtinuerat. Sæcul. VIII. A. C. 769.

Tilpinus Archiepiſcopus Rhemenſis anno 753. ordinatus fuerat, defuncto Milone, qui hanc Eccleſiam annos quadraginta oppreſſerat. Herulfo Lingonenſi Monaſterium Elvacenſe in Diœceſi Auguſtana, patria ipſius, natales ſuos debet. *Coint. an. 753. n. 70. Id. an. 754. n. 70.*

Ubi igitur Epiſcopi duodecim menſe Aprili Indictione ſeptima anno ſeptingenteſimo ſexageſimo nono Romam pervenerunt, Papa pluribus aliis Epiſcopis ex Thuſcia, Campania & reliquis Italiæ partibus congregatis Concilium in Baſilica Salvatoris in Palatio Lateranenſi celebravit. Miſer Conſtantinus oculis orbatus introductus interrogatur, quomodo, cum eſſet Laicus, Sacram Sedem invadere inaudito facinore auſus fuiſſet. Affirmavit, vim ſibi a populo illatam, ſeque invitum ad Palatium Lateranenſe deductum, atque Romanos, ut id facerent, ideo fuiſſe permotos, quod ſe ob mala, quæ a Paulo Papa pati coacti fuiſſent, ulciſci vellent. Poſtea in terram ſe projiciens manibus in pavimento extenſis, inter gemitus confeſſus eſt, quod noxius eſſet, & peccata ſua ſuper numerum *Anaſt.* Antipapa judicatur.

Sæcul. VIII. A. C. 769.

rum arenæ maris excreviſſent, atque Miſericordiam a Concilii Patribus efflagitavit. Mox juſſus eſt e terra ſurgere, & illo die nihil in eum ſtatutum.

Altero die iterum introducitur Conſtantinus, & interrogatus de electione ſua illegitima reſpondit, nihil novi ſe fuiſſe molitum; quippe Sergium adhuc Laicum Archiepiſcopum Ravennatem & Stephanum etiam Laicum Epiſcopum Neapolitanum fuiſſe conſecratum. Episcopi hujus reſponſi inſolentia irritati eum in collo pulſari & ex Eccleſia ejici jubent. Mox in eundem pronunciatur ſententia, qua ad pœnitentiam perpetuam condemnabatur. Tum omnia quæ tempore Pontificatus ſui egerat, examinata, & in medio Sanctuarii Concilii Acta, quibus Electio ejus fuerat confirmata, igni tradita. His peractis Stephanus Papa cum omnibus Epiſcopis populoque Romano in terram proſtratus clamavit: *Kyrie eleiſon*, cunctique inter lacrymas fatebantur, quod recipiendo Communionem e manibus Conſtantini peccaſſent. Tunc iis injuncta eſt pœnitentia. Poſtea Canones inferuntur, quibus examinatis Concilium promulgavit Decretum, quo ſub Anathematis pœna prohibebatur, ne quis Laicus ad Epiſcopatum promoveretur, nec Clericus, qui non per gradus ad Diaconi vel Presbyetri Cardinalis, id eſt

Act. 3. to. 6. Conc. p. 1722

est Titulum in Civitate habentis, ordinem ascendisset. Hoc Decretum in tertia Sessione conditum. Item prohibebatur sub Anathematis pœna, ne quis Laicus de Militia, sive ex alio hominum ordine Pontificis interfit Electioni, quæ Episcopis & toti Clero competit, & priusquam Papa eligatur, & ad Palatium Patriarchale deducatur, totus exercitus, cives, populusque Romanus eum salutatum veniant. Tum de more Decretum Electionis fiat, cui omnes subscribant. Eadem ratio in aliis Ecclesiis servabitur. Id est, Electionem ab Episcopis & Clericis factam populus ratam habebit. Sæcul. VIII. A.C. 769. Concilium sub Stephano IV.

Subjungitur prohibitio, ne quis tempore Electionis ex arcibus Thusciæ vel Campaniæ Romam adveniat. Servis quoque prohibetur, ne adsint, & ne quicunque demum cum armis vel fustibus venire audeat.

In eadem Sessione de Ordinationibus a Constantino factis statutum est in hunc modum: *Primo præcipimus, ut Episcopi, quos consecravit, si prius Presbyteri, aut Diaconi fuerint, ad pristinum ordinem descendant, & deinde pro more, facto Electionis suæ Decreto, ad Sacram Sedem veniant, & a Papa Consecrationem accipiant, ac si nunquam ordinati fuissent Episcopi. Omnes ceteræ functiones Sacræ a Constantino exercitæ renoventur,* to. 6. 1725.

Sæcul. VIII. A. C. 769.

ventur, excepto Baptiſmo & ſancto Chriſmate. Presbyteri vero & Diaconi, quos in Eccleſia Romana ordinavit, ad ordinem Subdiaconi, vel illum, in quo prius erant, redeant, tuaque in poteſtate ſit (hic Sermonem ad Papam convertunt) *eos ordinare, vel, quod viſum fuerit, de iis decernere. Laici quos tonſuravit, vel ordinavit, in Monaſterio includantur, vel domi ſuæ pœnitentium more lugeant.*

Morin. de Ordin. Exerc. IV. c. 5. n. 4.

De Ordinatione Episcoporum.

Hoc Decretum effectui datum eſt. Episcopi a Conſtantino ordinati ad Eccleſias ſuas redierunt, ibique rurſus electi Romam repetierunt, ubi eos Stephanus Papa conſecravit; Presbyteros vero, & Diaconos iterum ordinare noluit, ſed in ordine, quem prius habebant, quoad vixerunt, remanere coacti ſunt. Quidam Theologi putant, novam & ſecundam Conſecrationem illorum, qui a Conſtantino ordinati fuerant, non fuiſſe veram Ordinationem, ſed ſimplicem Cæremoniam, qua ipſis habilitas & Exercitium Muneris ſui redditum fuerit. (*)

In

(*) Non caret difficultate hic caſus. Cardinalis Baronius ad hunc locum hæc verba ſubjicit: *At, quod ad Epiſcopos ſpectat, ne eos exiſtimes iterum conſecratos, ſed accepiſſe duntaxat more Majorum Benedictionis Myſterium, quod Auctor nominat Benedictionis Sacramentum, ritus illos omnes adhiberi ſolitos in reconciliatione Schiſmatici vel Hæretici.*

In quarta hujus Concilii Sessione de Veneratione Imaginum actum. Producti & examinati sunt multi textus Patrum, & Epistola Synodica Theodori Patriarchæ Jerosolymitani ad Paulum Papam data, tandemque definitum, Reliquias & Imagines Sanctorum secundum antiquam Traditionem esse honorandas, & Concilio Græcorum ante breve tempus contra Imagines celebratum Anathema dictum. Concilio Romano soluto Papa, Episcopi, omnes Clerici, populusque inter preces publicas Psalmos canentes & nudis pedibus ad S. Petrum processerunt. Ibi Leontius Scriniarius seu Secretarius super ambonem ascendens Acta Concilii clare voce legit. Tum tres etiam Episcopi Itali ascenderunt, & in cunctos, qui Decreta hujus Concilii violarent, Anathema pronunciarunt. (*)

Sæcul. VIII. A. C. 769.

§. LVIII.

(*) Unser Protestant, welcher in dem drey und fünfzigsten §. die Worte: *sella muliebri*, übersetzet: auf einen Nothstuhl, hat hier eine gut Lutherische Anmerkung angeflicket dieses Innhalts: Der hier erwähnte Pabst wird Stephanus der dritte genennet .... hat *Fleury* gleich nicht von ihm geurtheilet, so lehret doch die bloße Erzählung daß er ein lasterhafter Mann und ein recht grober Heuchler gewesen, der seine Schritte zum Päbstlichen Stuhle mit

Sæcul. VIII. A. C. 769.

Anast.

§. LVIII.

Michael Ravennæ intrusus.

Haud multo post tempore ex hac vita decedente Sergio Archiepiscopo Ravennate, cum Michael Scriniarius ejusdem

---

mit Menschenblute beflecket, und den *Constantinus* schändlich mishandeln lassen. Die erneuerten *Ordinationen* waren mehr ein Werk seines Stolzes, und Hasses als einer Liebe zur Wahrheit, und Besten der Kirche. Hätte er gewußt, was die Römische Kirche in den künftigen Zeiten glauben würde, so hätte er gewiß diese Handlung nicht vorgenommen, und diese würde nicht nöthig gehabt haben, auf eine so künstliche Art zu distinguiren um das Vorhergehende und Nachfolgende auf einen Leisten zu bringen. Man lieset bey keinem Schriftsteller, daß er dem Pabst Stephanus an den damal verübten Grausamkeiten Schuld gäbe; es sagt es ganz allein unser Uebersetzer, dessen Zeugniß einmal nichts werth ist. Aus dem Anastasius wird der Anfang dieses Handels also erzählet: Ægrotante Paulo Romano Pontifice Desiderius Longobardorum Rex, libidine Imperii prope hæreditaria occasiones cum quæreret Ecclesiæ perturbandæ, Totonem Ducem Nepesinum solicitavit, ut Sedem invaderet Apostolicam. Und wiederum: Stephanus, ut cædibus finem poneret, Legatum direxit Sergium . . . . ad Pipinum, & Carolum Francorum Reges &c.

Der

jusdem Eccleſiæ in nullo Sacro Ordine constitutus Arimini Ducem Mauritium adiiſſet, is collectis copiis conſentiente Deſiderio Longobardorum Rege Ravennam venit, armatorum ope efficit, ut Michael eligeretur, & in poſſeſſionem mittit. Sæcul. VIII. A. C. 769.

Tum

Der Herr Fleury urtheilet den Pabſt Stephanus nicht, ſondern er ſaget, im LX. §. man hätte ihm den gebührenden Gehorſam nicht geleiſtet. Platina in Stephano III. redet alſo: Nam cum Deſiderii Longobardorum Regis ſubornatione & Pauli cognomento Aphiartæ Imperatoris Conſtantinopolitani fraude crebræ ſeditiones in populo Romano orirentur, quod Deſiderius revocare animos Romanorum a Carolo ad Imperatorem ſtuderet, & interfecti plerique ſunt, & Conſtantinus, cujus cauſa tot mala committebantur, ab adverſa factione, reclamante Stephano, & indignante, oculis capitur &c. Und endlich: Ad Stephanum Virum Sanctiſſimum redeo &c. Nun laſſe ich den Leſer das Urtheil ſprechen; ob die Feder unſers Proteſtanten, wenn er über die Römiſchen Päbſte Anmerkungen machet auch wider das klare Zeugniß älterer Schriftſteller, einen andern Trieb haben könne, als eine niederträchtige Schmähſucht?

Hier merke ich auch an, daß er nicht allein ein mächtiger Patron aller Ketzer und Schismaticker zu ſeyn affectiret, ſondern auch der Afterpäbſte. Es iſt aber zu ihrer aller Unglück ſein Schutzmantel um viel zu kurz.

Zuletzt

Sæcul. VIII. A. C. 769.

Tum Leonem Archidiaconum Archiepiscopum Ravennatem canonice electum, Ariminum abstractum arctæ custodiæ tradit.

Michael deinde Mauritius & Magistratus Ravennates ad Stephanum Papam miserunt, qui rogarent, ut Michaelem consecraret, promissis copiosis muneribus. At Pontifex nulla donatione eo adduci potuit, ut Virum, in nullo Sacerdotii gradu constitutum, Episcopum ordinaret.

Imo pluribus ad eundem datis Epistolis persuadere conatus est, ut ab injusto proposito recederet. Verum Michael non modo Pontificis hortatus contempsit, sed cum Regem Desiderium magnis muneribus cumulasset, illius præsidio Sedem usurpatam plus anno retinens dissipatis Ecclesiæ Bonis eandem ad extremam paupertatem redegit. Tandem Papa constantissimo pectore, quod injuste petebatur, abnuens, Nuncios cum Legatis Caroli Regis, qui Romæ erant,

Zuletzt hat er auch von einer zweyten Ordination, und der künstlichen Distinction in der Römischen Kirche etwas daher geschwätzet. Allein ich glaube, daß er diese Schulfrage nicht verstehet. Genug daß man erweisen kann, daß in der Römischkatholischen Kirche allein ein wahrer Beruf, und eine ordentliche Priesterweyhe sey.

rant, Ravennam misit, qui Ravennates ad saniora impulerunt, eo eventu, ut Michaelem invaderent, & Episcopatu probrose dejectum, vinculisque Onustum Romam transmitterent. Econtra Leo Archidiaconus canonice electus ab Episcopis Clericisque Ravennatibus Romam deducitur, & a Pontifice consecratur. Sæcul. VIII. A. C. 769.

§. LIX.

Papæ Epistola adversus Longobardos.

Inter hæc, cum ad Papam delatum fuisset, Bertham Reginam unius ex Franciæ Regibus, filiis suis, & Ermengardis Regis Desiderii filiæ nuptias, item eorum sororis Gisellæ & filii ejusdem Regis conciliare velle, datis ad Reges Franciæ Litteris ab eo proposito ipsos abstrahere conatur. Dicit, id consilii ipsis tanquam rem periculosissimam a Dæmone fuisse suggestum. Tum Longobardos exhibet tanquam Gentem temnendam, perfidam, fœtentem, ex qua non nisi leprosi orirentur, & denique indignam, cujus sanguis cum illustrissima Francorum Natione & nobilissima stirpe Regia per conjugia misceretur. Subjungit: *Ligati estis Dei voluntate & Parentis vestri mandato cum legitimis uxoribus de Gente vestra, quas amare tenemini, & quas dimittere non licet, ut ducatis alias. Meminisse vos oportet, Regem Parentem vestrum* *Cod. Carol. ep. 45.*

Sæcul. VIII. A. C. 769.

vestrum nomine filiorum promisisse, constantem futuram esse fidem vestram in Sanctam Ecclesiam, in Pontifices vero obedientiam & amicitiam fore perpetuam, vosque eadem promissa in Epistolis vestris confirmasse. Eos deinde obtestatur in nomine S. Petri, per Dei Judicium, & quidquid sacrum sanctumque, ne hæc conjugia ineant, sed Longobardos repellant, cogantque jura S. Petri læsa integre restituere, sub Anathematis & æternæ damnationis pœna. Ut has exhortationes magis solemnes redderet, Papa missurus Epistolam, eandem prius, dum S. Sacrificium celebrat, in Confessione S. Petri deposuit, atque in hoc sancto loco deferendam tradidit.

Mon. S. Gall. lib. II. c. 26.

Nihilominus Rex Carolus Desiderii Regis Longobardorum filiam duxit, quam vero post unius anni spatium ex Sanctissimorum Episcoporum consilio, cum morbi eam continuo affixam lecto tenerent, essetque procreandæ proli impar, repudiavit. Posteriore tempore duxit Carolus Hildegardem primis stirpibus Suevorum natam, ex qua plures suscepit liberos.

§. LX.

Desiderius Christophoro & Sergio perniciem affert.

Anast.

Cum Christophorus filiusque ejus Sergius

gius sæpissime apud Papam instarent, ut Regem Longobardorum ad cuncta restituenda compelleret, interitum sibi accelerarunt; quippe Rex opera Pauli Afiartæ, Pontifici a cubiculis, quem donis corruperat, & patrem & filium Papæ suspectos reddidit. Ipse Rex Desiderius Romam venit, scilicet, ad Basilicam S. Petri extra Urbem positam, specie communicandi cum Papa consilia. Tunc vero Christophorus & Sergius ubique proditi, cum noctu fugam capesserent, a Longobardorum Excubitoribus retracti Regi suo sistuntur. Tunc quidem edixit Papa; nihil melius occurrere, quam ut Monachorum institutum amplecterentur, eosque in Ecclesia S. Petri reliquit, nam beneficio noctis usurus in urbem admittere ipsos cogitabat, ut inimicorum crudelitati eriperet. Sed Paulus Afiarta sequente plebis Romanæ turba communicato cum Desiderio Rege consilio Christophorum & Sergium ex Ecclesia S. Petri abripiunt, & ad portam Civitatis deductis oculos effodiunt. Et dolori Christophorus ultra triduum non supervixit, sed in Monasterio S. Agathæ, quo detrusus fuerat, animam efflavit. Filius ipsius Sergius, in cellario Palatii Lateranensis inclusus usque ad mortem Papæ ibi esse cogitur, nam cum Paulus Afiarta Papam cum morte colluctari vidit, Sergium

Sæcul. VIII. A. C. 769.

Anast. in Hadrian.

Sæcul. VIII. A. C. 772.

gium e carcere eductum clam interfici jussit.

Hic iterum patet, Romanos nescivisse Dominum, & Pontificis imperata non feciſſe.

Stephanus Papa Traditionum Ecclesiasticarum amantissimus, antiquas consuetudines Clericis honorificas reduxit. Statuit, ut singulis Dominicis septem Episcopi Cardinales hebdomadarii, qui in Ecclesia Salvatoris ministrabant, Missam super Altare S. Petri celebrarent. Hi nempe erant Episcopi Papæ Suffraganei, Episcopus Ostiensis, Portuensis, Silvæ candidæ, Sabinensis, Prænestinus, Tusculanus, & Albanensis. Hi soli vice sua in Ecclesia Lateranensi Missas celebrabant. Stephanus Papa una Ordinatione mense Decembri Presbyteros quinque, Diaconos quatuor, & aliquot per diversa loca Episcopos creavit. Obiit prima Febr. anno 772. postquam S. Sedem tenuisset annos tres & sex menses. Sepultus est ad S. Petrum, & Sedes non plus octo diebus vacavit.

v. Mabill. comm. in Ord. R. n. 4.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XLIV.

HADRIANUS PAPA. CONSTANTINUS IMPERATOR, DESIDERIUS REX.

§. I.

Hadrianus Papa.

Stephano Papa defuncto, Hadrianus Theodori Filius Romæ nobiliſſima familia natus ei ſuffectus eſt, qui Genitore elato adhucdum puerulus indubitata virtutis ſpecimina dedit, nam majorem diei noctisque partem in Eccleſia S. Marci, quæ non longe a domo diſtabat paterna, inter pſalmos & cantica in-

Sæcul. VIII. A. C. 772.

Anaſt. in Hadr.

Sæcul. VIII. A. C. 772.

sumebat, indutus cilicio corpus jejuniis quoque macerabat, & eleemosynam pauperibus pro viribus lubens distribuebat. Optimus præterea totius corporis habitus juvenem commendabat Romanis; cumque fama ejus ad aures Pauli Papæ perveniisset, Clericis adscripsit, Notarium Regionarium & posteaSubdiaconum constituit. A Stephano Papa Diaconus ordinatus dotes, quibus præcellebat, ad explicandum populo Evangelium impendit. Unde omnium amore sibi conciliato, cum Stephanus decessisset, unanimi consensu electus est Papa, & Sacram Sedem annos viginti tres obtinuit. In ipsa Electionis suæ die multos ex Magistratibus, ex Clericis & Militia, quos Paulus Cubicularius, cognomento Afiarta, in exilium ejecerat, revocavit, & quos in carceribus detinebat, liberavit. Ita omnibus exultantibus Consecrationem suscepit.

Ubi hanc Electionem Rex Desiderius comperit, missis ad Hadrianum Legatis amicitiæ suæ certum esse jussit. Respondit Papa: *Cum omnibus Christianis pacem habere cupio, atque etiam cum Rege Desiderio, & partibus meis non deero, quin fœdera inter Romanos, Francos, Longobardosque sancita serventur. Sed quomodo credere possum Regi vestro, de quo Stephanus Papa Antecessor meus mihi retulit, quod fidem datam supra Corpus S. Petri*

Petri fefellerit, Chriſtophorum & Ser- Sæcul. VIII.
gium malis artibus perdere voluerit, quaſi A. C. 772.
Pontifici rem gratam facturus, etiam Ca-
rolomanni Regis potentiam comminatus?
hac fide Rex Deſiderius promiſſa implet?
Nihilominus ipſius Legatis ſæpiſſime jurejurando affirmantibus, omnia, quæ Stephano Papæ promiſiſſet, effecturum, & pacem ſanctiſſime ſervaturum, Hadrianus Papa fidem adhibens, ad Deſiderium Legatos miſit, qui adeſſent promiſſa adimplenti. Ecce vero! illis proficiſcentibus nunciatur, quod Deſiderius aliquibus Exarchatus Civitatibus occupatis Ravennam milite cinctam teneret, & agros late depopularetur. Igitur Ravennates premente fame Leonem Archiepiſcopum ſuum cum Legatis ad Papam mittunt. Is querelas ad Regem Deſiderium deferri jubet, cui ille reſpondit, non prius ſe has Civitates redditurum, quam Papa ad colloquendum ad ſe veniſſet. Nempe Rege Carolomanno quarta Decembris anno ſuperiore ſeptingenteſimo ſeptuageſimo primo fatis functo, Gerberga vidua ipſius cum duobus filiis ante breve tempus in Longobardiam advenerat, ut Deſiderii præſidio frueretur, & Deſiderius eo Papam adducere ſperabat, ut duos Principes Francorum Reges conſecraret, unde jurgia orirentur inter ipſos & Regem Carolum, quem ſolum Opti-

Eginh. p. 95. Ann. Loiſel. Til. &.

Sæcul. VIII. A.C. 772.

mates Francorum Regem salutaverant, rursus solemni ritu inunctum. At Hadrianus Papa minime his fraudibus capi se passus, ad Desiderium ire constanter recusavit

§. II.

Pauli Afiartæ exitus.

Legatorum a Papa ad Regem Desiderium princeps erat Paulus Afiarta; sed eo absente Romæ vulgatum est, quod ipse clam Sergio necem intulisset. Itaque Papa quosdam exploratæ fidei misit cum arcanis mandatis ad Leonem Archiepiscopum Ravennatem, qui eum rogarent, ut Paulum ex Longobardia redeuntem comprehenderet, & custodiæ traderet. Paruit Leo, & Paulum carceri dedit. Interim Papa Romæ accurate exquiri jubet, quo tempore, quo modo & quibus adjunctis mortuus fuisset Sergius. Tunc vero cadaver ipsius inventum est, resti e collo dependente & multis plagis perfossum. Quo facinore detecto Optimates populusque Romanus vehementer commoti Papam adeuntes petunt, ut tantum crimen puniret; ne hujus flagitii impunitas homines facinorosos ad similia perpetranda solicitaret. Papa conscios Romanæ Civitatis Præfecto tradit, quos deinde convictos Constantinopolim in exilium mittit. Tum Acta hujus

causæ

causæ Ravennam translata Paulo prælegi voluit, ut convinceretur, & ad agendam pœnitentiam adigeretur. Verum Leo Archiepiscopus eundem jam prius in manus Consularis illius Civitatis tradiderat, qui publice quæstionem de eo habens, confessionem criminis expresserat. Pontifex ut vitam nocentis servaret, datis ad Imperatorem Constantinum litteris rogabat, ut Paulum in Græciam reciperet, & tanquam in loco exilii custodiret, atque has ipsas litteras Ravennam ad Leonem direxit, rogans, ut eundem Constantinopolim deferri pateretur. Sed invito & contradicente Pontifice Leo Consularem Ravennatem compulit, ut Paulum necaret. Cum deinde Papæ persuadere vellet hujus necis Auctorem se neutiquam extitisse, ejusdem verbis nullam fidem habuit. Inde dispicimus, quantum Hadrianus Papa veterem Disciplinam amaverit, qua criminum reis vita servabatur, ut implendæ pœnitentiæ locus esset. Sæcul. VIII. A. C. 772.

Hadrianus Papa intelligens se nihil agere apud Desiderium Regem, eumque Romanæ Civitati insidiari, ad Carolum Regem conversus, misit Legatos, quorum princeps vocabatur Petrus. Is Massiliam appulsus per mediam deinde Franciam iter faciens, usque Theodonis Villam pervenit; Rex Carolus hoc anno septin-

Sæcul. VIII. A. C. 772.

genteſimo ſeptuageſimo ſecundo ibi hyemem conſumebat, redux a prima expeditione contra Saxones, cum usque ad Viſurgim progreſſus, cepit Eresburgum, ubi fama notiſſimum Idolum, *Irminſul* colebatur, quod Numen bello præſidere credebant. Ingentes loci illius theſauros Carolus abſtulit, templum, Idolumque dejecit.

Ann. Petav. Tilian. Loiſel. Cang. Gloſſ.

§. III.

S. Virgilius Salisburgenſis.

EOdem anno 772. Taſſilonis Ducis Bavariæ vigeſimo ſecundo, ipſo jubente Concilium in loco, qui Dingolfinga dicebatur, celebratum eſt, cui interfuere Epiſcopi ſex & Abbates tredecim, quos inter celeberrimus eſt S. Virgilius Salisburgenſis. Is, in Hibernia natus, vir eximiæ Doctrinæ, cum in Franciam Pipino regnante veniſſet, hujus Principis animum ita ſibi conciliavit, ut integro ferme biduo eum apud ſe retineret. Sedem deinde Juvavienſem, quæ poſtea Salisburgenſis dicta, vacantem Rex ipſi contulit, & Ottiloni Duci Bavariæ amico ſuo & affini commendavit. S. Virgilius duobus annis ordinationem recipere cunctatus, nam interim cuidam Epiſcopo nomine Dobdæ, qui ſecum ex Hibernia advenerat, functiones Pontificales commiſerat, tandem populo & vicinis

tom. 6. Conc. p. 1794. Act. SS. Ben. to. 4. p. 310.

cinis Episcopis instantibus, ab iisdem decima quinta Junii anno septingentesimo sexagesimo sexto Consecrationem Episcopalem accepit. Monasterium Salisburgense S. Petri, cujus Abbas fuerat, magnifice restauravit, & S. Ruperti corpus in novam Ecclesiam huic Sancto dedicatam, postmodum Cathedralem, transtulit. Sæcul. VIII. A. C. 772.

Boruth Dux Carantnarum, seu Carinthiorum, cum Carastum filium suum Bavaris obsidem dedisset, petiit deinde, ut baptizaretur, & more Christianorum educaretur. Idem etiam ut fieret nepoti suo Chetimaro rogavit, qui ambo sequente tempore Duces Carinthiorum fuere. Chetimarus Dux singulis annis ad Monasterium S. Petri veniens, & dona afferens se ipsum Deo offerebat. Aliquando autem S. Virgilium rogavit, ut ad populum suum inviseret, eumque in fide confirmaret; cumque S. Virgilio aliunde occupato negotiis ire non liceret, misit Episcopum nomine Modestum cum quatuor ex suis Presbyteris, Diacono uno & aliquot Clericis, data ei potestate Ecclesias consecrandi, & Clericos ordinandi. Modestus usque ad finem vitæ suæ ibi permansit, eoque defuncto Dux Chetimarus iterum rogare S. Virgilium, ut veniret; sed renuit impeditus seditione in illa Regione commota.

Sæcul. VIII. A. C. 772.

Misit vero unum ex illis quatuor Presbyteris, olim Modesti Episcopi sociis, qui etiam exorta nova seditione inde rediit. Rebus postmodum compositis S. Virgilius alios duos diversis temporibus Presbyteros delegavit; verum Duce Chetimaro mortuo & tumultu in illa Regione fervente aliquamdiu nulli ibi fuere Presbyteri. Tum a Duce Vatuno rogatus S. Virgilius quater diversis temporibus Presbyteros quatuordecim illuc misit. Hæc fuere Ecclesiæ Carinthiorum fundamenta.

Tandem S. Virgilius ad extirpandam funditus Idololatriam, si quæ forte in sua Diœcesi adhucdum extarent ejus vestigia, & confirmandam fidem ipse eandem visitavit a populis jam diu exoptatus. Cujuslibet Regionis viri Principes obviam venienti cum pompa procedebant, probi omnes latus stipabant, cuncti certatim Dominum Patremque excipere gestiebant. Multas consecravit Ecclesias, & Clericos ordinavit, tum per Carinthiam transiens usque ad fines Hunnorum, ubi Dravus in Danubium sese exonerat, pervenit. Domum postea reversus resolutionem corporis sui imminere cognovit, atque celebratis SS. Mysteriis levi morbo lacessitus migravit ad Dominum vigesima septima Novemb. anno 780. In Monasterio S. Petri,

tri, quod rexerat & ædificaverat, sepultus. Sæcul. VIII. A. C. 773.

§. IV.

Desiderii perfidia.

Rex Desiderius, cum nullis artibus efficere potuisset, ut Hadrianus Papa ad se veniret, & Carolomanni filios consecraret, Ticino cum ipsis & exercitu egressus Romam movit. Misit vero, qui præcederent & Papam monerent. Is respondit: *Nisi Rex Civitates, sicut promisit, restituat, & quod æquitas postulat, faciat, frustra itineris laborem suscipit, nam ejus conspectum subire nolo.* Cum hæc responsio Desiderium ab expeditione non remoraretur, eumque Papa propediem adfuturum sciret, collectis, quas potuit, copiis urbem tueri statuit, vasa omnia & thesauros Ecclesiarum S. Petri & S. Pauli intra mœnia comportari, & ita custodiri jubet, ut Rex ea rapere non posset, nisi portis manifesta vi effractis. Tum rursus ad eum mittit epistolam per Divina Mysteria obsecrans, ne militem in Romanorum Ditionem se invito duceret. Hanc admonitionem ad Desiderium pertulerunt Episcopi tres, Eustratius Albanensis, Andreas Prænestinus, & Theodorus Tiburtinus, qua Viterbii accepta Rex a proposito desistens ad sua rediit. *Anast.*

Interim

Sæcul. VIII. A. C. 774.

Interim Regi Carolo datis litteris significavit, quod captas Civitates reddidisset, & Ecclesiæ Romanæ plenissime satisfecisset. Carolus, ut inprimis exploraret, num vera scriberet, Romam misit Episcopum nomine Georgium, Wulfardum Abbatem S. Martini Turonensis, & Albinum clientum suorum amantissimum, quibus ad ipsas Civitates pervenientibus demonstratum, mentitum fuisse Desiderium, & nihil eorum, quæ dixerat, adimpleviſſe. Ergo Carolus cum adhuc dum sæpius Desiderium ad fœdera cum Pontifice ineunda exhortatus fuisset, & se nihil agere cognoscceret, superatis cum exercitu Alpibus Ticini, in qua Civitate se incluserat, eundem obsidet. Interim Longobardi omnes Reatini & Spoletani se Hadriano Papæ tradiderunt, cui & Successoribus ipsius in Ecclesia S. Petri collecti fidem jurarunt. Tum capillos barbamque more Romano attondent, quibus Papa suæ nationis Ducem, ab ipsis electum, nomine Hildebrandum præfecit. Horum exemplum Firmani, Auximates, Anconitani secuti sunt.

§. V.

Carolus Romæ.

Obsidio Civitatis Ticinensis sex mensibus tenuit in eaque Carolus hyemem

&

& tempus Quadrageſimæ anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto conſumpſit. Cum ſolemnitas Paſchalis appropinquaret, ut ferventiſſimo deſiderio Limina SS. Apoſtolorum viſendi ſatisfaceret, iter Romam ſuſcepit, multis Epiſcopis & Abbatibus comitantibus. Duces quoque, Comites, Proceres, & in viæ præſidium aliquot cohortes ſequebantur. Igitur maxima qua poterat celeritate proficiſcens, Romam Sabbato Sancto, illo anno in ſecundam Aprilis incidente, pervenit. Hadrianus Pontifex nuncio ſibi gratiſſimo accepto omnes Civitatis Romanæ Magiſtratus obviam illi ad triginta paſſuum millia ſeu decem Leucas cum vexillo præmiſit. Cumque non plus uno lapide ab urbe abeſſet, jubente Papa omnes militum cohortes cum ſuis Ducibus, & parvuli, qui in ſcholis erudiebantur, palmarum & olivarum ramos manibus tenentes, & Laudes Caroli celebrantes obviam proceſſeruut. Cruces etiam præferebantur, ſicut advenientibus Exarchis aut Patriciis fieri ſolebat. Denique Carolus ingenti honore exceptus eſt. Sæcul. VIII. A. C. 774.

Rex Carolus tunc temporis annum ætatis vigeſimum ſeptimum agebat, Princeps grandi ſtatura, magnis & vivacibus oculis, naſo aquilino, vultu hilari. Imago ejus in paucis ſigillis epiſtolis ipſius impreſſa hodieque viſitur. Ubi Cruces ſibi *Egin. vita.*

Sæcul. VIII. A. C. 774.

sibi occurrentes conspicatus est, illico ex equo se dejiciens cum proceribus sequentibus usque ad Ecclesiam S. Petri pedibus perrexit, quo Papa summo mane cum Clericis se contulerat, Regemque expectabat. Ille ascendens & singulis gradibus osculum figens in amplexum Pontificis ruit, & deinde manum amplectitur. Tum in Ecclesiam intrant, Rege a dextris incedente, omnibusque Clericis canentibus: Benedictus, qui venit in Nomine Domini. Cum Rex Proceresque usque ad Confessionem S. Petri gressum admovissent, in terram prostrati Deo Gratias egerunt pro Victoria intercedente hoc S. Apostolo a Deo concessa. Hic Papam instantissime rogavit Rex, ut sibi concederet in ipsam urbem intrare, ubi votis conceptis se exsolveret, & in Ecclesiis oraret. Descenderunt igitur ambo in locum ubi S. Petri corpus quiescit, sequentibus Romanorum Francorumque Optimatibus, & mutua Sacramenta interposuerunt, neutrum neutri insidias paraturum. Tunc vero Rege & Francis Romam ingressis, Papa ipsis præsentibus Baptismo solemni in Ecclesia Lateranensi operam dedit, quibus cæremoniis peractis Rex iterum ad S. Petrum divertit.

Altero die nempe Paschatis diluculo misit Papa ad Imperatorem omnes Magistra-

gistratus & belliduces, qui eum & Francorum Proceres ad S. Mariam Majorem deducerent; inde Papa, postquam Missam celebravit, Regem ad Palatium Lateranense deduxit, prandium parari jussit, & cum ipso assedit. Altero die Lunæ Papa de more Missam ad S. Petrum celebravit, & Laudes Caroli, id est, acclamationes ritu Litaniarum, quæ latine Laudes dicebantur, decantari jussit. Die Martis iterum Rege præsente Sacris operatus est ad S. Paulum. Hic illæ ipsæ Stationes notantur, quæ hodieque in Missali Romano occurrunt. Die Mercurii Papa in Ecclesia S. Petri Regi collocutus rogavit, ut sponsionem confirmaret, quam ipse cum Rege Pipino Parente suo & Carolomanno fratre apud Carisiacum Stephano Papæ fecerat. Hanc, cum coram Rege fuisset recitata, cum omnibus Proceribus approbavit, atque ejusdem Donationis tabulis ab Etherio, Scriba suo, rursus describi jussis sua manu signum apposuit, id est, Crucem vel Monogramma formavit; nam etsi aliunde esset eruditissimus, scribere nesciebat. Monogramma vocatur Nota pluribus Nominis alicujus litteris, quæ unica constare videtur. Ex Regibus nostris Carolus magnus primus invenitur, qui ejusmodi Notas frequentissime adhibuerit. Postquam Donationi Episcopi quoque

Sæcul. VIII. A. C. 774.

Carolus Magnus Romæ.

Sup. lib. XLIII. §. 12.

Mabil. Dipl. l. II. c. 10.

Sæcul. VIII. A. C. 774.

que & Proceres subscripsissent, primum super Altare S. Petri & deinde super Confessionem deposita est, omnesque se ad eam servandam terribili jurejurando devinxerunt. Exemplar ab Etherio describi jussum supra corpus S. Petri & subtus Evangelii Librum, quem osculari mos erat, Rex manu propria posuit, aliudque Exemplar a Scriniario Ecclesiæ Romanæ descriptum secum tulit. Amplior erat ista quam Pipini Donatio, quippe a Promontorio de Lunis dicto, ubi hodie portus Spedianus conditus in ora Genuensium, Insulam Corsicam ex adverso positam, montem Bardonem, Regium, Mantuam, Exarchatum Ravennatensem, Provincias Venetiarum & Istriæ, Ducatus Spoletanum & Beneventanum complectebatur. Hæc enim designatio in Anastasio legitur.

Anast. in Had. V. Coint. an. 774. n. 5. 6. &c.

In hac prima profectione Romana Hadrianus Papa Regi Carolo dedisse creditur Codicem Canonum Ecclesiæ Romanæ juxta Editionem Dionysii Exigui, cui adjectæ fuerant sex Pontificum Decretales nimirum Hilarii, Simplicii, Felicis, Symmachi, Hormisdæ, & Gregorii II. In fronte hujus Libri apposuit Hadrianus Papa Elogium Regis in Acrostichis, quorum litteræ initiales indicant, Regi esse dedicatum. In ipso carmine precatur, ut Carolus Ticinum expugnet, Desiderium

Sup. lib. XXXII. §. 56. Bibl. Just. to. 1. p. 97.

siderium vincat, & Regnum Longobardorum sibi subjiciat. Exstat etiam illius Codicis compendium, quod eidem Papæ tribuitur; sed verisimilius a quodam privato est concinnatum. Sæcul. VIII. A.C. 774.

Carolo ad castra reverso, Desiderius Ticini deditionem facere compulsus, in Franciam & Monasterium Corbejense mittitur, ubi in vigiliis, oratione, jejuniis & bonis Operibus vitam sancte clausit. Hic exitus fuit in Italia Longobardorum Regni, quod paulo plus annis ducentis steterat, & exinde Carolus Rex Francorum & Longobardorum dici voluit. *Act. SS. Ben. tom. 4. p. 446.* *Sup. lib. XXXIV. §. 20.*

§. VI.

S. Ambrosius Autpertus.

Conjectura est, in hoc itinere Monasterio S. Vincentii prope Beneventum honorem obtigisse, ut ad illud Carolus diverteret, invitatus fama virtutum, quas Monachi ibi colebant. Ceteris illustrior fuit Ambrosius Autpertus in Galliis nobili familia natus & olim in Palatio Pipini Aulicus. Is est, qui vitam SS. Fundatorum hujus Monasterii scripsit, Teste Paulo Diacono, qui Autpertum virum doctissimum dicit; Autpertus vero profitetur, maluisse se virorum illorum virtutes, quam miracula patrata posteritati manifestare. Plures alios studii sui *Act. SS. Ben. tom. 4. p. 259.* *Sup. l. XLI. §. 6.* *Lib. VI. hist. c. 40.*

Sæcul. VIII. A. C. 774.

partus nobis reliquit, quorum præstantissimus est Commentarius Moralis in Apocalypsim in decem libros divisus, atque, ut ipsemet testatur, Sedente Paulo Papa & Desiderii Longobardorum Regis temporibus videlicet ante annum septingentesimum sexagesimum septimum scriptus. Hoc opus non nullis vituperio dignum videbatur dicentibus, dudum effluxisse tempus explicandi Scripturas (*); a quorum Censura tutum se præstaturus Autpertus Stephanum Papam rogavit, ut datis litteris opus suum approbaret, *quod Scriptor*, inquit, *ante me nullus petiit.* Habemus etiam ipsius Homilias aliquot, & unam de Assumptione, in qua dicit, se non audere definire, an S. Virgo corpore & anima in Cœlum deportata fuerit. Idem etiam Tractatum scripsit de virtutum & vitiorum pugna, inter Opera S. Augustini occurrentem, quem ob nomen æquivocum aliqui Magno S. Ambrosio tribuerunt. Non calamo tantum sed etiam voce ad populum sæpe dicens Autpertus proximi Salutem quærebat. Semper virtutem Doctrinæ præferens, inter preces ad Deum dicere solebat: *Domine! non ideo patriam & Parentes reliqui, ut Scientiam mihi*

To. VI. Bibl. Patr. Lugd. p. 403. in. fin. l. 10.

Epist. ad Steph. Cod. p. 405.

Act. Ben. to. 4 p. 266. Append. to. 6. p. 219.

Init. lib. IX. in Apoc. p. 622.

(*) Quid hodie dicerent hi Critici, si viverent?

mihi dares, ſed ut me per viam virtutum ad vitam æternam perducas. Si utrumque obtinere non poſſum, aufer ſcientiam, & dona virtutem. Tandem Monaſterii S. Vincentii Abbas electus, a Baldone, qui illud fundaverat, ſeptimus a Carolo Rege impetravit, ut datis litteris Donationes a Regibus Longobardorum & Ducibus Beneventanis Monaſterio factas confirmaret. Sæcul. VIII. A. C. 774.

Quamvis Autpertus invitus ad Dignitatem Abbatialem evectus fuiſſet, nihilominus ejus electio ſchiſmati anſam dedit, & quidam nomine Poto eodem tempore ſe ut Abbatem gerebat. Ipſi Longobardi adhæſiſſe & Franci Autperto putantur. Rex Carolus hujus cauſæ cognitionem Hadriano Papæ diſcutiendam reliquit; dum vero Autpertus Abbas Romam hujus litis cauſa proficiſcitur, ſubita morte præripitur anno 778. decima nona Julii, cum Nomen Abbatis annis circiter duobus geſſiſſet. Interim Poto cum præcipuis Monachorum utriusque factionis delatus, a Papa accerſitur, Poſſeſſore Archiepiſcopo Tarentaſiæ, Abbatibus quatuor, Hildebrando Duce Spoletano, Miniſtrorum primoribus & multis aliis viris huic Judicio præſentibus. Accuſabatur Poto a quibusdam Monachis, quod multa perverſe egiſſet; maxime autem illud exaggerabant, quod ſe ad

Lib. Carol. epiſt. 72. V. Coint. ann. 778. n. 2. 3. &c.

Sæcul. VIII. A.C. 774.

Regem ituros prohibuisset. Ille vero, quæ sibi objiciebantur diluit. Hinc Papa, quia non probabatur reus, jussit, ut juramento se purgaret, & etiam decem seniores Monachi, ex Longobardorum numero quinque & totidem ex Francis jurejurando affirmarent, suis auribus nunquam audivisse Potonem, quidquam contra fidelitatem Regi debitam effutire. Petierunt, ut ad Regem se conferre liceret; quod Papa concessit, & de omnibus actis eidem rationem datis litteris reddidit. (*)

§. VII.

Persecutio in Oriente.

In Oriente necdum persecutionis præsertim in Monachos erat finis. Cum ageretur annus Constantini Imperatoris trigesimus, id est Salutis nostræ septingentesimus septuagesimus, Michael Natoliæ Præfectus omnes Monachos, & Sanctimoniales ex Provinciis Thraciæ in unum campum eductos affatus est in hunc modum: *Qui Imperatori obedire vult, alba induatur veste, & uxorem hac accipiat hora.* (**) *At qui hoc facere recusa-*

Theoph. an. 30. p. 375.

(*) Ex his videtur Carolus sibi supremam Principis potestatem in illas Provincias reservasse.

(**) Diese That gefällt ohne Zweifel unserem Prote-

recusaverint, oculis privati in Cyprum exilio damnabuntur. Illico tortores rem ipsam consummarunt; multi jacturam oculorum passi, tanquam Martyres honorati sunt. Multos vero deficientes Præfectus numero Familiarium suorum adscripsit. Anno sequente septingentesimo septuagesimo primo omnia Monasteria virorum fæminarumque cum vasis sacris, libris, pecoribus, bonisque omni-

Sæcul. VIII. A. C. 774.

Protestantischen Uebersetzer, und einigen andern seiner ungezogenen Mitbrüder. Es soll eine Schrift ans Licht getreten seyn im Jahre 1755. in Französischer Sprache mit dem Titel: Memoire sur la necessité de diminuer le Nombre & de changer le Systeme des Maisons Religieuses. Nun über diese Schrift, die in Frankreich dem Scharfrichter eine neue Arbeit würde verursacht haben, wenn sie recht bekannt worden wäre, schwätzet ein unverschämter Anmerker also: Man sehe es zur Gnüge ein .... wie nöthig es sey, einem Uebel zu steuren, welches schon so groß geworden ist, daß es auch die Einfältigen, ja Kinder sehen können. Das ist einfältig und kindisch genug hingeschrieben. Wir Evangelischen (daß sie Evangelisch sind, haben sie niemal erwiesen) sind GOtt Lob! davon (nämlich von den Klöstern) seit 200 und mehr Jahren befreyet; und könnten es also ganz gelassen ansehen, daß andre Länder dadurch entkräftet, erschöpfet, und ausgesogen würden. Und nach-

Sæcul. VIII. A. C. 774.

bus venumdari jussit, & acceptum pretium Principi detulit. Quotquot autem libros a Monachis & Patribus scriptos reperit, igne combussit. Omnes quoque Reliquias, quæ in thecis portabantur, flammis tradidit, & qui ejusmodi Lipsana habebant, tanquam impietatis reos puniit. Multos Monachorum interfecit verberibus, quosdam etiam gladiis trucidavit, & ferme innumeros utroque lumine

---

nachdem er gesagt, die Protestantischen Fürsten wären darum mächtiger, als die Katholischen, heisset es: Allein die Menschenliebe lehret uns gleichwohl andern eben die Vortheile zu gönnen, die wir geniessen; wenn sie nur Verstand und Muth genug hätten, sich dieselben zu verschaffen. † So haben denn die Könige in Portugall, Spanien, Frankreich und alle gekrönte Häupter der Römischen Kirche nicht so viel Verstand und Muth, daß sie sich selbst helfen könnten? Es wäre leicht zu erweisen, daß dieses Geschwätz durchaus ungegründet sey, und aus einem blinden Vorurtheil herrühre. Allein wer wird sich die Mühe geben, so eine Schmiererey zu widerlegen? Jedoch weil dieser Anmerker so sehr für unser zeitliches Wohl sorget, so wollen wir ihm aus Gegenliebe für sein geistliches und ewiges Wohl eine sichere Lehre mittheilen. Wir Katholicken in Bayern sind, GOtt Lob! nicht erst vor 200 Jahren (behüte uns GOtt! denn da würden wir uns selbst verrathen, daß wir in der wahren Kirche

† So reden kleine Zeitungsschreiber in Sachsen.

nicht

mine privavit. Quorumdam barbas cera & oleo perungens succendebat igne, & ita tam facies eorum quam capita cremabat. Alios satis cruciatos in exilium expulit. Denique in tota Provincia sibi commissa nec unum hominem Monastico habitu incedentem videre erat. Quod cum didicisset Imperator, scripsit ad eum, gratissimam rem sibi fecisse, & gratias egit; hinc & alii Præfecti exemplum hujus Michaelis secuti sunt. Sæcul. VIII. A. C. 774.

nicht wären) sondern vor beyläufig tausend Jahren in einer solchen Kirche, welche mit der Römisch-allgemeinen Kirche in Gemeinschaft steht, und weil wir aus Menschenliebe nicht gelassen ansehen können, daß einige Länder dieses Vortheils beraubet worden, so rathen wir sonderlich diesem grossen Freunde der Mönche und Klosterleute, daß er in die Gemeinschaft derjenigen Kirche, in welcher die Mönche, Klosterleute und Priester sich befanden, welche im achten Jahrhundert den wahren Glauben in Sachsen geprediget, nämlich der Römisch-Katholischen zurückkehre; denn von dieser Kirche waren sie zum Predigamt berufen, und ohne ihre Menschenliebe wäre Luther samt seinen Voreltern im Heydenthum gebohren worden.

Wenn nun aber ein Constantinus Copronymus im Orient ein Feind der Mönche und der Klöster gewesen ist, so war hingegen ein Carolus M. im Occident ein grosser Freund der Geistlichen und Stifter vieler Klöster, und nichts destoweniger ein glückseliger, ein unüberwindlicher König und Kayser.

Sæcul. VIII. A. C. 775.

§. VIII.

Constantinus obit. Leo Imperator.

p. 377. At Constantinus Imperator his non diu superstes fuit. Nam cum in Bulgaros moveret, carbunculis correptus in cruribus, accedente validissima febre, Constantinopolim se deferri voluit, & navem ingressus ubi Selimbriam pervenit, in ea extinctus est decima quarta Sept. anno 775. postquam ab obitu patris sui annos triginta quatuor & ferme menses tres imperasset. Non solum cognomento Copronymus, sed etiam Caballinus dictus. Successit patri Leo filius cognomento *Chazares*, qui annis quinque imperavit. Is sub Regni auspicia pietatem amare, & S. Virginem Monachosque venerari videbatur; imo in primas Sedes Episcopales viros ex ordine Abbatum immisit.

Theoph. an. 1.

§. IX.

Almanzor moritur. Mahadi Califa.

Elmac. l. c. 3. *Dutych. to.* 2. *p.* 399. Eodem mense Septembri, anno septingentesimo septuagesimo quinto etiam e vivis abiit *Abujafar Almanzor*, anno Hegiræ 158. sexta die mensis Arabici *Dulhagia*, postquam regnasset annos viginti duos. Is anno Hegiræ 145. JEsu Christi 762. in ora fluvii Tigris urbem *Bagdad* illo temporis articulo fatali, quo Astrologi ædificandam esse præstituerant,

rant, condiderat. Hæc urbs exinde Muſulmannorum Imperii Caput, & Califarum Regia fuit. Item eo anno 145. ad plures abiit *Chail* ſeu Michael Patriarcha Jacobitarum Alexandriæ. Huic Mina ſeu Menas ſucceſſit, & Sedem annis novem tenuit. Patriarcha Melchita Alexandrinus Cosmi Succeſſor fuit Politianus Medicus, qui Sedem tenuit annis quadraginta ſex. Cum Almanzor extremo Regni ſui tempore Jeroſolymam veniſſet, Chriſtianos & Judæos omnes in manu ſignari juſſit, unde multi Chriſtiani itinere maritimo in Romaniam, id eſt, in Ditiones Imperio Romano ſubditas fugere compulſi ſunt. Almanzor Succeſſorem habuit filium ſuum *Mahomet Almahadi*, qui annis decem regnavit. Is anno Regni ſui quinto, JEſu Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo Jeroſolymam venit, miſitque ex Proceribus aliquem cum mandatis, ut omnia Chriſtianorum mancipia ad defectionem a Fide cogeret, & Eccleſias deſertas redderet. Usque Emeſum progreſſus ſpondebat, neminem ſe ad apoſtaſiam compulſurum, niſi parvulos Infidelium; poſtquam vero deprehendiſſet, qui Judæi, & qui Chriſtiani eſſent, crudelius eos habuit ac olim veteres Pagani, multosque usque ad necem perſecutus eſt. Furorem hominis maxime incendit fortitudo quarumdam fæ-

Sæcul. VIII. A.C. 775.

Eutych. pag. 400. Theoph. an. 33. Conſt. p. 376.

Id. an. 5. p. 381.

Sæcul. VIII. A. C. 775.

minarum, nimirum uxoris Archidiaconi Ermesini, & filii ejus, multarumque aliarum, quæ toleratis nervorum bubulorum verberibus aliisque tormentis glorioſæ Tyranni victrices extiterunt. *Mahadi* usque Damaſcum perveniens multas Eccleſias depopulatus eſt, fœderibus violatis, quæ Arabes cum Chriſtianis inierant.

§. X.

S. Gregorii Ultrajectenſis Obitus.

Sup. l. XLI. §. 48. 49. vita tom. 4. Act. SS. Ben. p. 327.

In Occidente, videlicet in Germania, præſertim Friſia & Saxonia Fides mire propagabatur. Eccleſiæ Ultrajectenſi in Friſia præerat Gregorius Diſcipulus S. Bonifacii, quem ab anno ætatis ſuæ decimo quinto ſecutus, eundemque in ſecundo ipſius itinere Romam inſtituto anno 723. comitatus, multa ibi Sacrarum Scripturarum volumina collegit, & non ſine difficultate inde avexit. Duos præterea juvenes Anglos Marchelmum & Marcuinum, S. Bonifacio licentiam dante, Roma adduxit, quos deinde Diſcipulos habuit. Contigit, ut cum duo Gregorii fratres a graſſatoribus in Silva jugulati fuiſſent, Domini, quorum Vaſalli erant latrones iſti, comprehenſos victosque ad Gregorium mitterent, ut eo mortis genere, quo vellet, interficeret; quippe Barbarorum legibus vindicta in propinquo-

pinquorum arbitrio erat. Gregorius ad se adductos jussit balneo mundari, optimis vestibus indui, & epulis refici. Tum in conspectum vocatis dixit: *Ite in pace. Nolite ejusmodi crimen unquam amplius committere, ne pejus aliquid vobis accidat. Ceterum iram aliorum propinquorum meorum, ut potestis, effugite.* His dictis datis custodibus ad sua reduci curavit. Sæcul. VIII. A. C. 775.

S. Bonifacio Martyrii coronam consecuta, Gregorius facultate accepta a Stephano Papa & Rege Pipino Diœcesin Ultrajectensem rexit, quamvis esset solummodo Presbyter & Abbas illius Congregationis, quam in illa Civitate habebat. In illo autem labore eum adjuvabat Alubertus Chorepiscopus de Gente Anglorum. Quippe plures habebat Discipulos ex diversis Gentibus, nempe ex sua, seu Francorum, tum Anglorum, Frisonum, & Saxonum nuper conversorum, Bavarorum, Suevorum. Horum ipse verus Pater tam corpori necessaria quam animæ salutifera suppeditabat. Singulis ferme diebus mane considens interrogantes audiebat, & respondebat. Multi ex numero Discipulorum ipsius ad Episcopatus apicem evecti sunt, quos inter S. Luidgerus vitæ ipsius Scriptor recensetur. *vid. Mabill. obs. p. 319.*

S. Gre-

Sæcul. VIII. A. C. 775

S. Gregorius Ultrajectenſis nihil ſingulare tum in veſtitu tum in alimentis habebat, ſed vita communi & ſimplici contentus Diſcipulis ſuis ſobrietatem commendabat. Si quid mali de ipſo ſpargebatur, diſſimulabat, & calumniatores ſuos non exhorrebat, ſed optimorum amicorum loco collocabat. Supra omnia avaritiam deteſtabatur. Si quid pecuniæ ſupererat inter pauperes diſtribuebat, ſolum vaſa Sacra Eccleſiæ ſervans. Jam prope ſeptuagenarii latus ſiniſtrum paralyſis corripuit, poſteaque duobus adhuc annis ſuperſtes fuit, operibus Monaſticis vacans, & informans Diſcipulos ſuos, quibus multos libros dedit; S. Ludgero vero dedit S. Auguſtini Enchiridium.

Triduo priusquam moreretur advenit nepos ipſius Albericus, qui in Italiam a Rege negotiorum cauſa miſſus fuerat. Hunc Congregationi S. Gregorii præficiendum augurabantur omnes, & Vir Sanctus quaſi futura prævidens edixerat, ſe prius e vita non diſceſſurum quam Albericus veniſſet. Ubi adfuit, eidem collocutus, quoad vixit, ſtatum illius Monaſterii edocuit. Tandem cum vitæ ſuæ finem prope eſſe ſentiret, ad Sacellum S. Salvatoris deferri voluit. Peracta ibi oratione, atque Corpore & Sanguine Domini Noſtri accepto, fixis in Altare oculis expi-

Coint. ann. 776. n. 27. Mabill. ad vit. S. Ludger. to. 5. A. 23. n.

expiravit, anno circiter ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, vigeſima quinta Auguſti, qua die Eccleſia ipſius memoriam colit. Succeſſit in Regimine Eccleſiæ Friſonum Albericus, & Epiſcopus Ultrajectenſis ordinatus eſt. Sæcul. VIII. A. C. 775. *Mart. Rom.* 25. *Aug.*

§. XI.

S. Lebwinus.

Diſcipulis S. Gregorii Ultrajectenſis accenſetur S. Lebwinus, ſeu potius Lieſuwinus Anglus, qui Sacerdos ordinatus, mari trajecto, Ultrajectum venit ad S. Gregorium, operam ſuam ei offerens; nam dicebat, ſe mandata Divinitus accepiſſe, ut iret, & Fidem prædicaret ad Iſelam amnem, Francorum Saxonumque terminum. Quia locus ille intra Diœceſis Ultrajectenſis limites poſitus erat, S. Gregorius eum lubentiſſime illuc mittens, Marchelmum & ipſum Anglum Diſcipulum ſuum ſocium addidit. Aliquamdiu in Domo cujusdam viduæ diverſati, multis Infidelibus ad fidem converſis, Sacellum in loco, qui Vilpa dicebatur, ad Iſelam, qua Occidentem ſpectat, extruxerunt. Creſcente deinde Fidelium numero, alterum & majus ædificarunt ultra eundem amnem, domumque, in qua ipſi habitarent, in loco, qui a Davon, S. Lebwini amico, nomen *Daventer* ſortitus fuerat. Haud multo autem poſt tempore Saxones indignati, quod

vita ap. Sur. 12. *Nov. vit. S. Ludgeri. tom.* 5. *Act. Ben. p.* 22.

Sæcul. VIII. A. C. 775. quod Christi fides propagaretur, pulsis, quos invenerunt, Christianis Ecclesiam domumque incenderunt. S. Lebwinus fuga se præripuit, at a Fidei prædicatione non abstinuit.

Cum sciret Saxones Conventum Gentis suæ universalem ad Visurgim celebraturos, eo se contulit, & divertit in domum viri in illa Gente nobilissimi, qui nihil intentatum reliquit, ut Virum Sanctum a proposito revocaret, quod summum vitæ periculum esset subiturus. Nihilo minus S. Lebwinus Saxonum Concilium ingressus est vestibus Sacerdotalibus indutus Crucem & Evangelium manibus præferens. Cum vero Comitia sua Saxones pro more a Deorum Sacrificiis auspicati fuissent, inde captata occasione S. Lebwinus in medium procedens elata voce exhortari cœpit, ut Superstitionibus hisce abjectis verum Deum adorarent, *quod nisi feceritis*, inquiebat, *mala vobis inexspectata imminent. Potentissimus Rex, qui non procul a vobis imperat, sæpius a vobis ad iracundiam provocatus patriam vestram depopulabitur, uxores, liberos vestros captivos abstrahet, & vos ipsos suo Regno subjiciet.* Ad hæc verba Saxones undique confusis vocibus obstrepere & ex proximis sepibus fustes extrahere, quos acuebant, importunum Monitorem mille vulneribus con-

confossuri; cum vir, nomine Buto, cujus in illa Gente maxima auctoritas erat, conscenso colle dixit: *Aures mentemque advertite, qui ceteros sapientia superatis. Sæpe ad nos venerunt Legati finitimarum Nationum, Normannorum, Sclavorum, Frisonum, quos benigne suscepimus, mandata, quæ deferebant, audivimus, & donis devinctos dimisimus. Nunc vero Dei optimi maximi Legatus adest vobis salutaria promissa afferens, quem repellitis, & interficere vultis. Timete iram sanctissimi Numinis.* Hic sermo commotos animos composuit; namque Lebwinum incolumem dimittere statuerunt. Mala vero, quæ comminatus fuerat, brevi secuta sunt, illo enim anno id contigisse creditur, quo Carolus in Saxones primum seu anno septingentesimo septuagesimo secundo movens Idolum Irminsul sol æquavit. S. Lebwinus hac victoria in rem suam usus illuc rediit, Ecclesiam a Saxonibus combustam reparavit, & Prædicationis munere defungi non destitit usque ad obitus sui diem nempe postridie Festi S. Martini duodecima Novembris, & ut credunt anno septingentesimo septuagesimo tertio. Elapso biennio Saxones iterum locum *Daventer* vastant, Ecclesiam concremant, corpusque S. Lebwini, ibi sepultum triduano labore investigant, nec tamen inveniunt. Rex vero

Sæcul. VIII. A. C. 775.

Sup. §. 2.

vit. S. Lugd. tom. 5. Act. Ben. p. 23.

Sæcul. VIII. A. C. 776.

vero Carolus hujus incursionis pœnas exposcit, qui Saxones ad Visurgim prœlio victos eodem anno 775. sibi subjecit & ingentem spoliorum vim egit.

Ann. Pet. Loisel. ann. 775.

§. XII.

Saxones convertuntur.

Ann. Lois. 774.

Anno superiore 774. Carolo in Italia agente, Saxones, quos nullo sancito fœdere reliquerat, collecto numeroso exercitu in Francorum Ditiones irruperant, & usque Fritislariam in Hassia penetraverant Ecclesiam a S. Bonifacio prope arcem Bureburgensem, quo Franci confugerant, flammis consumpturi; at nec intus nec foris efficere potuerunt, ut sacer hic locus ignem conciperet, & consternati in fugam se dederunt, nemine persequente. Ferunt etiam, utrinque tam a paganis, quam a Christianis, qui in arce Bureburgensi erant, visos fuisse duos juvenes candido vestitu fulgentes illam Ecclesiam defendere. Diffugientibus aliis unus Saxonum prope fores templi inventus est mortuus, flexis genibus nixus, lignum & ignem in manibus tenens & similis cuiquam, ædes incendere volenti.

Anno septingentesimo septuagesimo sexto Saxones violato anni præcedentis fœdere bellum instaurant, iisque Arcem Eresburgensem oppugnantibus multi tam

tam aggredientium quam propugnantium asseverabant, vidisse se scuta duo rubei coloris & ignitos supra Ecclesiam agitari, quo prodigio perterriti Saxones in mutuas cædes ruere, & ad castra sua fugam præcipitare compulsi sunt, Francis usque ad Lippam amnem recedentium tergis hærentibus. Tum Regi Carolo, eorum terras ingresso, se ipsos dederunt, promittentes se Christianorum Sacra susceperunturos. Carolus Eresburgo reparato, aliam quoque arcem ad Lippam extruxit, quo cum Saxones cum uxoribus & liberis convenissent, innumera eorum multitudo baptizata est. Anno quoque sequente septingentesimo septuagesimo septimo plurimi baptizati sunt Paderbornæ, in qua Civitate Rex Carolus primo Francorum Conventum celebravit. Illuc Saxones ex omnibus illius Gentis Provinciis confluxerant, at Witichindus Principum præcipuus cum quibusdam aliis in Normanniam, id est, Daniam se recepit. Ceterum Saxones hoc anno baptizati libertatem suam agrosque pignori obtulerunt, nisi in Religione Christiana perseverarent, & fidem Regi Carolo datam servarent.

Sæcul. VIII. A. C. 777.

Verum anno sequente septingentesimo septuagesimo octavo, cum scirent Regem Carolum in Hispania versari, impellente Witichindo iterum rebelles, us- *Annal. Loisel.*

Sæcul. VIII. A. C. 779.

que ad Rhenum penetrant, agros vastant, prædas agunt, Ecclesias incendunt, Virginibus Deo Sacris vim inferunt. Mox comperto Caroli reditu recedunt, & ab ejus Ducibus prœlio fusi in patriam reverti coguntur.

§. XIII.

Capitulare anni septingentesimi septuagesimi noni.

Cum Rex Carolus hoc anno Heristalli Diem Natalem Domini Nostri & Festum Paschæ anno sequente septingentesimo septuagesimo nono celebraret, ibi Capitulare viginti trium (*) Articulorum conditum est, quorum aliqui ad Religionem pertinent. Monasteria reformari jubentur, & Abbatissæ sine intermissione in suo Monasterio residere. Episcopi licentiam habeant homines incestuosos emendandi, atque etiam viduas lapsas. Quilibet det Decimas, quæ secundum jussionem Episcopi dispensentur. Homicidæ & ceteri rei, quos Lex morte puniri jubet, si ad Ecclesiam confugerint, non inveniant ibi præsidium, nec eis victus præbeatur. Perjuro manus amputetur. Si dubium fuerit Pars utraque ad Crucem stet. Is modus tunc temporis erat exprimendi verum; nempe Actor & Reus stabant

Cap. to. 1. p. 195.
c. 3.
c. 5.
c. 7.
c. 8.
c. 10.
V. Closs. Cang.

(*) In ipsis Actis visuntur Articuli XXIV.

ſtabant ante Crucem, & qui prior in terram collabebatur, cauſa cadebat. In Capitulari ſubjungitur, ſtandum eſſe judicio Epiſcopi, ſi aliquis Comitum accuſetur, quod furem inique occiderit. Eccleſiæ etiam tunc temporis Decimas & Precarias Regi, ſicut olim Pipino, pendebant; ſed prohibetur, ne noxæ exigantur. Sæcul. VIII. A. C. 779. c. 11. c. 13.

Sequitur Mandatum ad peragendas preces publicas & dandam eleemoſynam promulgatum, quia ariditas terræ & fames hoc anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo nono Francos affligebat. Cuilibet Epiſcopo præcipitur, ut tres Miſſas cantet, & ter Pſalterium recitet. Tum omnibus ab Epiſcopo usque ad Laicum uxorem habentem injungitur, ut biduo jejunent. Præterea quilibet Epiſcopus, Abbas, vel Abbatiſſa pauperibus det libram unam argenti, vel aliquid huic æquivalens, & quatuor pauperes usque ad tempus meſſis alat. Idem Comites & alii pro viribus præſtare tenebantur, nam a quolibet exigebatur, ut quidquam ſecundum modum ſuarum facultatum conferret. *Chron. Moiſ. Petav. ann. 779.*

Hoc quoque anno Saxones acie victi, & Weſtphali, nempe major illius Nationis pars, imperata facere coacti. Ceteri, quorum ſedes ultra Viſurgim poſitæ erant, datis obſidibus fidem ſe ſervaturos *Annal. Loiſel.*

Sæcul. VIII. A. C. 779.

jurarunt. Anno ſequente ſeptingentesimo octogeſimo, Rex res Saxoniæ præſens compoſiturus advenit, & ad Lippæ amnis fontes comitia celebravit. Tum cum usque ad Albim proceſſiſſet, in loco qui lingua vulgari *Orahim* dicebatur, in adverſa oræ ripa, multi Sacro fonte abluti ſunt. Vinidorum quoque & Friſonum plurimi baptizati. Tunc ergo Rex Carolus, ut Religionem Chriſtianam in Saxonia ſtabiliret, totam Regionem Epiſcopis, Presbyteris & Abbatibus diſtribuit, qui ibi habitarent & prædicarent; necdum tamen res ita erant pacatæ, ut Sedes Epiſcopales figi potuiſſent.

Chr. Moiſ. an. 780.

§. XIV.

S. Sturmii pars vitæ ultima.

Sub initium hujus belli Carolus quosdam Sanctæ vitæ Presbyteros miſerat, qui converſioni Saxonum incumberent; hujus enim amore potiſſimum ad arma capienda incitatus fuerat. (*) Præ ceteris celebre ſibi nomen S. Sturmius Abbas Fuldenſis, & S. Willehadius peperunt. Ab obitu S. Bonifacii S. Sturmius

Eginh.

Sup. lib. XLII. §. 43.

(*) Religionis propagandæ ſtudium non fuiſſet juſta belli cauſa, niſi & aliæ extitiſſent, quæ magnis Imperiis, quale tunc Francorum erat, ad bellum populis finitimis inferendum vix unquam deſunt;

mius præter curam Monasterii sui, cui præerat, assidue prædicabat verbum Dei applaudente populo. Has laudes æquo animo non ferens S. Lullus Archiepiscopus Moguntinus consensit, ut tres falsi fratres Sturmium coram Rege Pipino accusarent, quod in fidelitatem Regi debitam peccasset. Et tunc quidem missus est in exilium; sed postea iterum revocato Regimen Abbatiæ Fuldensis reddidit, & exemptum a Jurisdictione Archiepiscopi Moguntini secundum Privilegium a Zacharia Papa concessum pronunciavit, ita ut sub solius Regis præsidio esset. Ipse Monasterio suo restitutus mores Monachorum, qui se absente Disciplinam relaxaverant, reformavit, Ecclesiamque & Monasterium ampliavit.

Sæcul. VIII. A. C. 779.

vit. S. Sturmii to. 4. Act. Ben. p. 279.

Postquam Rex Carolus Patri successit, Sturmium Abbatem, in fidissimorum amicorum numerum adlectum, semper amavit. Legatus ad Tassilonem Ducem Bavariæ, patriæ suæ, a Rege missus, pacem inter ambos ad aliquot annos confirmavit. Cum Rex Bellum in Saxones auspicatus est, eorum conversionem,

desunt; Nam Carolus Magnus non solum Saxones ad suscipiendam fidem compulit, sed etiam eorum terras suo Imperio adjecit. At Belli aliunde necessarii occasione ad invehendam Fidem uti licuit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæcul. VIII. A. C. 779.

quam sperabat secuturam, Servorum Dei precibus commendavit, & iter ingressus Episcopos, Abbates, & Presbyteros in exercitu suo habebat, qui pium laborem in se susciperent, magnam vero Regionis partem S. Viri curæ commisit, qui idonea tempora captans hunc populum hortabatur ad Idola rejicienda, Templa destruenda, & Ecclesias ædificandas, ut eum Deo lucraretur.

In qualibet Regione Ecclesia una extructa, multis Saxonum in fide eruditis & baptizatis & Sancto Viro cum Presbyteris suis jam diu eorum conversioni incumbente, orta est seditio illa anni 778. quo decreverant de exercitu suo promptissimos ad Monasterium Fuldense incendendum, & interficiendos Monachos mittere. Hoc consilio detecto S. Abbas misit, qui Monachos de periculo monerent, suasitque, ut Corpus S. Bonifacii auferrent, & Hameleburgum se reciperent. Ipse ut barbarorum furorem evaderet, alio se fuga præripuit. Monachis jam quatriduo extra Monasterium quasi in castris circum Sacras Reliquias excubantibus nunciatur, Saxones a Francis profligatos ad sua rediisse. Itaque Monasterium læti repetunt.

Carolus Rex, quo illos populos Christianis Sacris assuefaceret, voluit, ut S. Sturmius aliquamdiu Eresburgi versaretur,

Annal. Fuld.

tur, quamvis infirmo corpore & fractis se- Sæcul. VIII.
nio viribus esset. Ad Monasterium deinde A. C. 779.
reversus comitante Regis Medico, qui languorem pelleret, sed cum potionem ab eo præparatam sumpsisset, eo usque ægritudo invaluit, ut statim moriendum sibi esse sentiret. Ergo campanas omnes pulsari, & totam Congregationem convocari jubet, rogans, ut cuncti pro se orarent; moxque singulos exhortatus, ut in Disciplina perseverarent, animam Deo reddidit anno 779. decima septima *Ann. Fuld.* Decembris, & Successorem habuit Baugulfum. Ejusdem Monasterii Abbas quartus Eigilius S. Sturmii vitam scripsit.

§. XV.

S. Willehadii initia.

Sanctus Willehadius alter Saxonum Apostolus, Presbyter gente Anglus, in Nordhumbria natus, cum eum vehemens *vit. tom. 4. Act. Ben.* desiderium subiisset ad convertendos Fri- *p.* 404. sones & Saxones operam suam conferendi, impetrata Regis sui, cui nomen Alcretus, & Episcoporum licentia in Frisiam trajecit circa annum 770. & in ipso loco, in quo S. Bonifacius Martyrii coronam consecutus fuerat, substitit. Ibi a *Sup. lib. XLIII. §.* 20. novellis Christianis humane exceptus, diu cum ipsis versatus est, liberos virorum nobilium erudiens. Multos quoque in errorem denuo lapsos ad Fidem

Sæcul. VIII. A. C. 779.

Catholicam reduxit. Inde superato Loveca amne, lingua illius populi *Lauvers*, in illam Regionem progressus est Fidem Frisonibus prædicaturus. Quibusdam ei necem meditantibus, tanquam viro impio, qui Deos lacesseret, alii, quibus sanior mens, dicebant: *Virum hunc nullius sceleris reum tenemus, & nescimus, an non Religio, quam nobis affert, a Deo sit. Mittamus sortes, ut cognoscamus, an morte dignus sit, vel eum salvum dimittere oporteat.* Sortes volente Deo ita ceciderunt, ut favere Viro Sancto crederentur. Tum Barbari, postquam deliberassent, incolumem dimiserunt.

Inde Drentam delatus multos Paganorum convertit & baptizavit. Cum Fidelium numerus augeretur, quidam ex ejus Discipulis cœperunt Templa diruere; unde, Infidelibus ad iram concitatis, exitium prope sibi accersiverunt, quippe barbari Willehadium verberibus immaniter affecerunt, moxque ex eis aliquis Viro Sancto caput amputasset, nisi prodigio fuisset prohibitus, nam gladius illæso capite solummodo lorum, ex quo Reliquiarum theca collo ipsius appensa pendebat, dissecuit. Barbari tanto miraculo attoniti Willehadium cum sociis salvum abire permittunt.

Cum Sanctitatis ejus fama ad Regem Carolum pervenisset, honorifice excep-

ptum

ptum suo alloquio dignatus est, tum cognita viri Doctrina & pietate in Saxoniam mittit ad locum qui Vigmodus dicebatur in altera Visurgis ora, ubi Episcopatus Verdensis & Bremensis sunt. * Jussit etiam Rex, ut suo præsidio tutus Ecclesias fundaret, & populos in fide erudiret. Cui labori S. Presbyter insudavit adeo feliciter, ut anno secundo nempe septingentesimo octogesimo Saxones & Frisones illius Regionis ad unum omnes Christianos se futuros promitterent. Sæcul. VIII. A. C. 779.

* fuerunt.

§. XVI.

Leo decedit. Constantinus & Irenes Imperatores.

Constantinopoli anno Leonis Imperatoris secundo, JEsu Christi septingentesimo septuagesimo septimo Telerus seu Telericus Princeps Bulgarus ad Romanos profugus, Christiana Religione susceptа, e sacro fonte levatus est ab Imperatore, qui eum honore & amore prosecutus Patricium creavit, eidemque Irenem sibi sanguinis affinitate conjunctam nuptui dedit. Anno sequente Leo consensit, ut Jacobitæ Hæretici captivi ex Syria abstracti sibi sedes deligerent in Thracia, videlicet inter illos, quibus Constantinus Parens suus ante annos triginta eandem licentiam dederat. An-

Theoph. p. 380. Sup. lib. XLII. §. 42. p. 382.

Sæcul. VIII. A. C. 780.

no Leonis quinto, Indictione tertia, seu anno septingentesimo octogesimo, sexta die Febr. Dominica, quam Quinquagesimæ nuncupamus, obiit Nicetas Patriarcha Constantinopolitanus, postquam annis quatuordecim illam Sedem tenuisset. In ejus locum electus est Paulus Lector, in Cypro natus, Doctrina & virtute insignis, qui ob dominantem Iconoclastarum Hæresim repugnante animo nec non vi adhibita Ordinationem accepit.

Sup. lib. XLIII. §. 42.

Et mirum sane! tunc primum Leo Imperator prodidit, quantum Imaginum cultum averſaretur, quam animi affectionem huc usque dissimulaverat. Nam cum in medio Quadragesimæ duas Imagines sub cervicali Irenis Imperatricis Conjugis suæ reperisset, in eam acriter invectus dixit: *Sic servas fidem Parenti meo Imperatori, cui horribili Sacramento aliud juraſti?* Tum constanter asseverantem eas Imagines a se non visas repulit, & ex eo tempore ad thori consortium nunquam vocavit. Dira quæstione deinde de Aulicis habita deprehendit, has Icones a Palatino id est Palatii Præfecto, quibusdam aliis Proceribus conscíis, fuisse clam illatas. Ergo Palatinum, Jacobum Protospatarium, seu Armigerum, Theophanem, Leonem, Thomam a cubiculis, & aliquot alios Iconum Cultores comprehendi jussos, immaniter cæsos & tonsos,

Cedr. p. 469.

V. Cang. Gloss.

tonsos, per medium urbis ad Prætorium duci mandavit. Inter quos vitam posuit Theophanes. Reliqui post exitum Imperatoris (non enim plus pauculis mensibus superstes fuit) Monasticum Institutum professi sunt. Sæcul. VIII. A. C. 780.

Quippe Leonem, cum amore lapidum pretiosorum insaniret, cupido incessit habendi coronam, quam Heraclius in majore Ecclesia deposuerat; hanc igitur ex Ecclesia raptam sibi imposuit, & ecce! virulenti carbunculi exiverunt de capite ejus, & valida febre captus mortuus est octava Sept. eodem anno, Indictione quarta ineunte, cum regnasset annis quinque. Successorem habuit filium Constantinum natum anno septingentesimo septuagesimo primo, Indictione nona, decima quarta Januarii, atque rogante populo coronatum in Die Paschæ decima quarta Aprilis anno septingentesimo septuagesimo sexto. Cum vero Constantinus puer necdum vitæ decennium attigisset, Irene Imperatrix ipsius Mater Imperium capessivit, & quia erat Catholica, ipsa regnante sacrarum Imaginum Cultum libere profiteri, atque etiam vitam Monasticam amplecti licuit. *Theoph. p.* 375.

§. XVII.

Sæcul VIII. A. C. 781.

§. XVII.

Secunda Caroli Regis profectio Romana.

Ann. Loisel. Hoc anno septingentesimo octogesimo exeunte Rex Carolus Romam venit, quo a Pontifice jam diu vocabatur, & ipse proficisci vehementer optabat; sed eum Bellum Saxonicum huc usque detinuerat.

Festo Nativitatis JEsu Christi Ticini celebrato, ibique exacta hyeme, iter Romam instituenti occurrit Alcuinus jam tunc scientiæ & virtutis opinione clarissimus, qui ab Enbaldo Archiepiscopo Eboracensi Romam missus acceptum Pallium ad eundem deferebat. Rex eruditissimi viri colloquio delectatus compulit, ut promitteret, se, postquam mandatis in Anglia defunctus fuisset, in Franciam rediturum. Enbaldus successerat Elberto Archiepiscopo Eboracensi, anno 779, mortuo, qui successor erat Egberti anno 765. vita functi, postquam illam Sedem annis triginta quatuor tenuisset.

vit. Alc. to. 5. Act. SS. Be. p. 152.

v. Mabill. to. Act. SS. B. p. 150. 152.

Ubi Rex in Urbem secundo advenit, in Festo Paschæ anno septingentesimo octogesimo primo voluit baptizari Filium suum Carolomannum ab Hadriano Papa, qui eum suis manibus e sacro fonte levavit.

vit, (*) & mutato nomine Pipinum appellavit, eundem deinde in Regem Italiæ, & Fratrem ipsius Ludovicum in Regem Aquitaniæ unxit. Nam & hunc Carolus cum Regina Hildegarde uxore sua amborum Principum pueritiam necdum egressorum Matre adduxerat. Sæcul. VIII. A. C. 781.

A tempore primæ profectionis Romanæ Hadrianus Papa sæpe querelas moverat apud Carolum contra Leonem Archiepiscopum Ravennatem, qui possessionem invaserat cunctarum ferme Civitatum Æmiliæ, videlicet Faventiæ, Fori Popilii, Fori Livii, Cæsenæ, Bobii, Commacli, Imolæ, Bononiæ, & Ducatus Ferrarienſis, dicens, has sibi a Rege Carolo cum tota Pentapoli fuisse donatas. Nempe commoratio Imperatorum & Exarchorum in Civitate Ravennate Archiepiscopis tumoris occasio fuerat; quid ergo miremur, hos Paparum exemplum secutos Ecclesiæ suæ amplas Ditiones acquirere, & munificentiæ Regum Francorum participes esse voluisse? (**) *Cod. Car. ep.* 54. 52. 51.

Cæte-

(*) Istud adjunctum, quod Papa simul baptizans & levans seu Patrinus fuerit, in Annalibus Francorum apud Cardinalem Baronium non legitur. Sed Fleurius Annales Loisellanos citat.

(**) Satis Laconice hic loquitur Fleurius. Sed observandum, quod soli Ecclesiæ Romanæ & ejusdem

Sæcul. VIII. A. C. 781.

Ceterum hæc disceptatio tandem Leonis Archiepiscopi morte sopita est. E. contra Rex apud Pontificem querebatur, quod Romani mancipia sua Saracenis venumdarent, tum etiam, quod Episcopi in Italia nimia morum licentia viverent. Quod secundo objiciebatur Papa simpliciter negavit, dicens, esse malevolorum hominum calumniam. Ad primum respondit, hanc culpam esse Græcorum, qui Longobardorum littora legentes clandestino commercio mancipia in naves suas reciperent, se vero nihil intentatum reliquisse, quo id prohiberet, & eo rigore fuisse usum, ut in portu Centumcellarum naves Græcorum comburi, & ipsos carcere detineri jussisset. Contra Neapolitanos quoque Papa querelas afferebat, quod Patrimonia S. Petri, & juncta cum Græcis opera Tarracinam occupassent. Sed cum negotia sæcularia Ecclesiarum, & etiam Ecclesiæ Romanæ, non sint materia Historiæ Ecclesiasticæ nolo ea fusius enarrare. Roma rediens Rex Carolus, cum Mediolani moraretur, Filiam suam Giselam recens natam ab Archiepiscopo Thoma, qui eam

ep. 65.

Ann. Loisel.

jusdem Episcopis S. Petri Successoribus cura & solicitudo omnium aliarum Ecclesiarum incumbat, atque inde etiam oportuerit, ut eorum Auctoritas amplioribus opibus fulciretur.

eam etiam e fonte ſuſcepit, baptizari voluit. Sæcul. VIII. A. C. 782.

§. XVIII.

S. Willehadii Fuga.

Anno ſequente ſeptingenteſimo octogeſimo ſecundo Saxonibus, Auctore Witichindo, rurſus ſeditioſe Neophytos, furioſius vero Presbyteros, qui ad eos convertendos adlaborabant, perſequentibus S. Willehadius itinere maritimo fugiens in Friſiam delatus eſt. Tunc ergo Barbari acrius in ejus Diſcipulos accenſi Folcardum Presbyterum cum Comite Emingo in Regione Lerienſi, Benjaminum vero & Atrebanum in aliis locis, & Gervaſium cum Sociis ſuis Bremæ trucidant. Igitur S. Willehadius videns ſe in Saxonia pro fide jam nihil agere, Romam profectus ad limina SS. Apoſtolorum ferventi oratione afflictam Eccleſiam ſuam Deo commendabat, rogans, ne tota periret. In conſpectum admiſſum & in Franciam rediturum Patris affectu ſolatus eſt Pontifex. Narratur miraculum, quod in eo itinere contigit, nam ſcutella lignea, quam Viro Sancto ad menſam apponere miniſter ſolebat, ſubito fracta, jubente ipſo allata, reperta eſt integra. Ex eo facto ſaltem conſtat S. Willehadium paupertatis amatorem extitiſſe. In Germaniam rever-

Ann. Pet. Loiſel. Fuld. vit. S. Willeh. c. 6. to. 4. Act. BB. p. 407.

t. 7.

Sæcul. VIII. A. C. 782.

versus in Monasterium tunc *Esternach* hodie Epternacum dictum in Diœcesi Trevirensi, a S. Willebrordo fundatum, se recepit. Cumque ipsius Discipuli persecutione in diversa sparsi illuc ad Patrem suum se collegissent, singulos ad constantiam animi exhortabatur. Duos annos in solitudine illius Monasterii commoratus transcribendis libris operam dedit, quos, & inprimis S. Pauli Epistolas, Episcopi Successores ipsius maximi fecerunt, & diligenter asservarunt.

§. XIX.

S. Ludgeri pueritia.

Seditio a Witichindo mota in Frisiam quoque pervasit, ubi Saxones Ecclesias incenderunt, & Presbyteris usque ad Flevum amnem depulsis Frisones JEsu Christo renunciare, & Patrum suorum more Idolis sacrificare coegerunt. Sub idem tempus Alberico Episcopo Ultrajectensi fatis functo, Ludgerus tunc illius Ecclesiæ Primicerius compulsus est fuga sibi consulere. Natus erat Ludgerus in eadem Regione nobili genere utroque parente Christiano; quippe matris ejus vita singulari Dei Beneficio fuerat conservata. Habuerat Ludgeri Mater aviam paganam, quæ impatientissime ferens, quod filius suus ex uxore tantum fœminas susciperet, recens natam, priusquam

vit. S. Lud.

quam mammam sugeret, opprimi jus- Sæcul. VIII.
sit. Nam superstitiosi hi pagani crimen A. C. 782.
abesse putabant, si pusio interimeretur, priusquam alimenti aliquid attraxisset. Servulus cui tantæ immanitatis facinus demandatum erat, conabatur infantulam in urnam aqua plenam converso deorsum capite immergere; at parvula palmulas ad urnæ labrum extendens tamdiu obstitit, donec ex vicinis mulieribus aliqua in auxilium procurreret, morti ereptam in domum suam deportaret, & vagientis ori mel infunderet; quo facto nefas erat apud Gentiles infantem occidere. Hæc puellula ita servata mater deinde extitit SS. Ludgeri & Hildegrimi & aliquot præterea filiarum, ex quibus non nulli alii Episcopi nati.

S. Ludgerus adhuc puerulus rogavit parentes suos, ut se alicui Viro Dei erudiendum traderent. Itaque eum S. Gregorii Ultrajectensis curæ committunt, qui cum eundem magnos in virtutis via progressus facere cerneret, dato habitu Monastico suis Discipulis in Monasterio adscripsit. Postmodum misit eum in Angliam cum Aluberto de eadem Gente, qui cum ipso fidem prædicaturus in Frisiam advenerat. Postquam *Sup. n. 9.*
Ludgerus ibi Alcuinum docentem uno anno auscultasset, ordinatus est Diaconus. In Frisiam deinde reversus est ad

Sæcul. VIII. A. C. 785.

Gregorium Abbatem, & interjecto aliquo temporis ſpatio licentiam obtinuit in Angliam redeundi, ubi ſub Alcuino Magiſtro, qui Eboraci docebat, perficeretur. Poſt triennium inde reducem, allatis plurimis libris, Albericus Presbyterum Coloniæ ordinari curavit, eo tempore, quo ipſe Epiſcopus ordinatus eſt, ipſiusque Regimini Eccleſiam Docinganam, ubi S. Bonifacius Martyrium paſſus erat, ſubjecit, & tamen tribus adhuc menſibus de uno loco migrans in alium cum duobus aliis Presbyteris & Alberico Epiſcopo, qui id ipſum præceperat, Monaſterium Ultrajectenſe rexit.

S. Ludgerus in Friſia Prædicationi incumbens ſeptem annis ab obitu S. Gregorii, id eſt, ab anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto usque ad annum circiter ſeptingenteſimum octogeſimum tertium magnum Infidelium numerum convertit, multas Eccleſias & multa Monaſteria fundavit. Hæc erat rerum facies, quando Saxonibus ſeditionem moventibus e Friſia fugere compulſus eſt. Miſis in diverſa loca Diſcipulis, quorum ingens erat numerus, & duobus apud ſe retentis ſcilicet Hildegrimo Fratre ſuo & Gerberto, qui Caſtus cognominabatur, Romam ſe contulit, vel eodem anno quo S. Willehadius, ut aliqui putant, vel anno ſequente, atque ad Montem Caſſinum diver-

divertit, ubi diutius commoratus Regulam S. Benedicti didicit. Quippe animo constituerat, in Fundo suo paterno Monasterium condere. Duobus annis & dimidio in Italia consumptis in Frisiam rediit. Sæcul. VIII. A. C. 785.

§. XX.

Witichindus convertitur.

Cum interea Carolus Rex Saxones multis cruentis prœliis tres annos continuos vicisset, post quartam demum expeditionem anno 785. cristas posuerunt. Witichindus & Albion, præcipui Rebellium Duces, facta sui deditione Attiniaci Regi se sistunt, ubi Pascha celebrabat, & baptizati sunt. Plures alii conversi, multi apostasiam damnantes ad sinum Ecclesiæ redierunt. Tunc igitur S. Willehadius relicta solitudine Epternacensi Regem Carolum Eresburgi adit, mandata accepturus, quibus suffultus Evangelium in Saxonia denuo prædicaret. Jussit Rex, ut in Regionem Vigmodum rediret, in quo loco jam antea laboraverat, & cujus jam tunc Episcopus dicebatur, quamvis esset tantum Presbyter. Utque S. Virum in suis ærumnis Rex solaretur, ei exiguum Monasterium in Francia, quod Justina dicebatur, contulit. Ergo S. Willehadius iterum Fidem publice annunciare, destructas reparare Ec-

Ann. Petav. Loisel. Fuld.

vit. S. Vill. c. 8.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

cleſias, & in locis commodis exploratæ virtutis Viros conſtituere, qui populos docerent & regerent. Cum etiam Rex comperiſſet, S. Ludgerum ex Italia reverſum eximio animarum zelo flagrare, eidem provinciam demandavit in quinque Friſonum Regionibus ad Orientem poſitis usque ad Labecam amnem populos erudiendi. Imo Rege conſentiente trajecit in Inſulam inter Friſiam & Daniam ſitam, in qua Deus nomine Foſitus adorabatur. Ibi Delubris ſolo æquatis Eccleſiam ædificavit; Incolas autem, quos converterat, baptizabat in illo fonte, in quo S. Willibrordus viros tres abluerat, & de quo aquas haurire non niſi vocem prementibus fas eſſe Gentiles ſtulta Religione credebant. Ad hæc tempora ſtatim poſt converſionem Witichindi ad Fidem Catholicam duorum in Saxonia Epiſcopatuum Mindenſis & Verdenſis fundatio refertur. Primus Mindenſium Epiſcopus fuit Herimbertus, atque hæc Eccleſia Metropoli Coloniæ ſubjecta eſt. Verda, ultra Viſurgim ad Orientem, Moguntiæ ſubeſſe juſſa, primum Epiſcopum habuit S. Suitbertum, quem aliqui ex ignorantia eundem eſſe putarunt, ac Sancti Willebrordi Socium jam anno 713. defunctum. Hæ duæ Sedes anno 786. creduntur erectæ.

vit. S. Ludg. Lib. I. n. 18.

Sup. Lib. XLI. §. 1. v. Coint. an. 789. n. 9. Boll. 30. Apr. c. 11. p. 802.

Caro-

Carolus Rex felicem eventum, & conversos ad Fidem Saxones Hadriano Papæ nunciari jussit, misso Andrea, quem Abbatem Luxovienſem fuisse credunt, petebatque, ut Litanias seu publicas Supplicationes imperaret, quibus debitæ Deo Gratiæ redderentur. Idque Papa lubentissime concessit. Item Rex Papam consuli jussit missis aliis duobus Abbatibus Itherio ad S. Martinum Turonensem, & Magenario ad S. Dionysium in Francia, quam pœnitentiam injungi oporteret Saxonibus, qui relapsi susceptam semel Fidem iterum abjecissent. Respondit Papa: *Antecessores Nostri decreverunt, Relapsis in Idololatriam longissimi temporis pœnitentiam esse injungendam, quæ tamen magis contritione cordis quam temporis spatio esset æstimanda.*

Sæcul. VIII. A. C. 785. *Coint. an. 785. n. 12.* *Epist. 91. Carol.*

Ergo ex Hadriani Papæ verbis dispicimus, hanc pœnitentiam ex Episcoporum pendere arbitrio, & pensandum an peccator propria malitia relapsus fuerit, aut a quoquam alio impulsus. Ceterum Pœnitentes Confessionem Fidei tradant, jurejurando promittant, se ei adhæsuros, & quæcunque Episcopi præceperint, facturos.

§. XXI.

Episcopi in Monasteriis.

Quædam exstant Privilegia his duobus Abbatibus Itherio & Magenario ab *to. 6. Conc.*

Sæcul. VIII. A. C. 785.

Adriano Papa conceſſa, quibus confirmatur facultas habendi Epiſcopos in ſuis Monaſteriis. Utrumque Privilegium in eadem forma & eodem tempore, id eſt, menſe Junio, Indictione nona, anno ſeptingenteſimo octogeſimo ſexto datum eſt. Privilegium Monaſterii S. Dionyſii confirmat etiam aliud antiquius, quod Abbas Fulradus a Stephano Papa anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo impetraverat, & aliunde exploratum eſt, hanc Abbatiam Fulradi temporibus Epiſcopum habuiſſe nomine Herbertum, at Carolo Calvo regnante nullum ibi fuiſſe.

Lib. I. mir. S. Dion. c. 6. Mabil. præf. 1. Sæc. 3. n. 32. &c. It. Dipl. p. 629.

In Monaſterio autem S. Martini Turonenſis ejusmodi Epiſcopi duodecim recenſentur; nam eam conſuetudinem Urbanus II. Papa demum anno 1096. abolevit. Item tales Epiſcopi in Monaſterio Lobeſienſi ad Sambrim, & Hohenovano in Alſatia fuiſſe leguntur. Id genus Epiſcopi in Monaſteriis non habebant titulum alicujus Eccleſiæ, ea ratione, ut Monaſterium & Ditiones ad illud pertinentes Diœceſis loco fuiſſent, ſed erant ex numero eorum, qui ſine Titulo ordinati leguntur, aut tales, qui relicta ſua Eccleſia in Monaſteria ſe recipiebant, ibique tanquam in locis a Jurisdictione Epiſcopi Diœceſani exemptis munere Epiſcopali fungebantur. Tales Epis-

Episcopi erant Lobesienſis, S. Eugendi, & Eichſtadiani, qui in Concilio Attiniacenſi anni 765. nominantur. Aliqui eorum erant Chorepiſcopi, qui in Monaſterio fixam Sedem habebant. Non nunquam Abbas erat illius Monaſterii etiam Epiſcopus, non nunquam alius Epiſcopus & alius Abbas erat. Aliquando ſimplices erant Sacerdotes, quibus nomen Epiſcopi tribuebatur, quia in determinatas regiones ad prædicandum Evangelium miſſi erant, quales S. Gregorium Ultrajectenſem in Friſia, & S. Ludgerum in Weſtphalia fuiſſe legimus. Sæcul. VIII. A. C. 785. *to. 6. Conc. p. 1072.*

Magenarius in Abbatia S. Dionyſii Fulrado anno 784. 16. Julii mortuo ſucceſſerat, & ex ejus Teſtamento diſpicitur, ipſum, ut ut eſſet Abbas Regularis, tota vita ſua magnas facultates poſſediſſe, & inter alias multos in Alſatia & Brisgovia Fundos, quos ſicut & Monaſteria ibi a ſe fundata Abbatiæ S. Dionyſii reliquit. *Elog. p. 339. to. 4. Act. ib. p. 341.*

§. XXII.

Falſæ Decretales.

Magenarii Succeſſor in Munere Archicapellani fuit Ingilramus, ſeu vulgo *Enguerran*, Epiſcopus Metenſis, cui tribuitur Collectio Canonum, etiam Nomen Hadriani Papæ præferens, ac ſi hanc Pontifex Ingilramo decimo tertio Ca- *Hincm. Op. 14. c. 15.*

Sæcul. VIII. A. C. 785.

lend. Octob. Indictione nona, id est, 19. Sept. anno septingentesimo octogesimo quinto dedisset, quando ipsius causa examinabatur. In aliis vero Exemplaribus legitur, Ingilramum hanc Collectionem Pontifici obtulisse, quod magis verisimile videtur, cum hæc Collectio diversa sit a Codice Canonum, quem Hadrianus Papa Regi Carolo abhinc annis ferme decem dederat. Porro hanc diversitatem efficiunt Excerpta ex falsis Isidori Decretalibus, quibus Collectio Ingelrami impleta est. Atque hic omnium primo has Decretales memorari invenimus.

to. 6. Conc. p. 1828. v. Coint. an. 785. n. 16. 17. &c.

Præf. Isid. tom. 1. conc. p. 3.

Collectio, in qua illæ Decretales leguntur, nomen præfert Isidori Mercatoris, qui Natione Hispanus fuisse videtur. In Præfatione dicit, se ut hoc Opus concinnaret ab Episcopis octoginta quatuor atque aliis Dei Servis fuisse compulsum, & post Canones Apostolorum aliquas Epistolas Decretales Pontificum, nempe Clementis, Anacleti, Evaristi, aliorumque usque ad S. Silvestrum inseruisse; sed non indicat, ubi eas invenerit. Ignotæ erant Dionysio Exiguo, qui ducentis abhinc annis SS. Pontificum Decretales colligens a S. Siricio incepit.

Sup. Lib. XXXII. §. 36.

Aliunde etiam apertas falsitatis notas habent; in omnibus idem Stilus deprehenditur, & magis congruens Sæculo

lo octavo quam tribus primis. Sunt longæ, & locis communibus scatent, & tandem post accuratum examen exploratum fuit, plurimos Textus inesse S. Leonis, S. Gregorii aliorumque Scriptorum illis Pontificibus, quorum Nomina præferunt, posteriorum. Dies quoque apposita ferme semper fallit. Sæcul. VIII. A.C. 785.

Præterea Epistolarum istarum materia fictitias esse prodit. De Archiepiscopis, de Primatibus, de Patriarchis loquuntur, quasi vero hi Tituli a primordio nascentis Ecclesiæ recepti fuissent. Prohibent, ne ullum celebretur Concilium etiam Provinciale sine Papæ licentia, & de Appellationibus ad Romanam Curiam tanquam de re frequentissima mentionem faciunt. Occurrunt querelæ, quod Bona Ecclesiarum temporalia occupentur. Tanquam Regula proponitur, quod Episcopis lapsis in peccatum, impleta pœnitentia, munere suo fungi sicut prius liceat, contra Disciplinam Ecclesiæ, quam in diversis locis retuli. Isidorus Mercator. *Epist 2. Callisti. c. 6. to. 1. Conc. p. 615.*

Denique, qui has Decretales scripsit, plurimus est in Materia de accusatione Episcoporum, hæc in singulis ferme recurrit, ubi statuuntur Regulæ quibus Actio in Episcopum difficilis redditur. Ipse Isidorus in sua Præfatione non dissimulat, quantum hæc materia ipsi cordi fuerit. Affirmat plusquam viginti Ca-

Sæcul. VIII. A. C. 785.

nones Concilii Niceni ineſſe, & de ſexta Synodo anno ſexcenteſimo octogeſimo celebrata mentionem facit; unde diſpicitur, hunc Iſidorum alium a S. Iſidoro Hiſpalenſi fuiſſe, quamvis aliqui eundem crediderint.

Collectio Iſidori præter Decretales Pontificum Canones Conciliorum Orientalium ex quadam Verſione antiquiore ac illa eſt, quam a Dionyſio Exiguo habemus, & multos Canones ex Conciliis Galliæ Hiſpaniæque complectitur. Hæc Iſidori fallacia, ut ut pinguis ingenii partus, toti Latinæ Eccleſiæ impoſuit, nam ipſius Decretales per annos octingentos genuinæ creditæ ſunt, vixque elapſo ultimo Sæculo Sectatores veritatis hunc errorem dedoceri ſe paſſi ſunt. (*) Hodie

Lab. de Script. Iſid. to. 1. p. 649. Bona lit. l. 1. c. 3. v. not. Ant. Aug. to. 6. Conc. p. 1839.

(*) Ad Collectionem Canonum ſeu Hadriani Papæ Capitula, quæ idem Papa Ingilramo (vel vice verſa) dediſſe legitur R. P. Jacobus Sirmondus S. J. ſequentem Adnotationem adjecit: ✝ *Quanti hæc olim habita fuerint in Gallia, ex eo intelligi licet, quod omnia in Libros Capitularium Regum transfuſa ſint. Videntur etiam non nunquam Epiſcopi eadem ſibi & Eccleſiis ſuis pro Lege obſervanda propoſuiſſe; ut Hincmarus Laudunenſis, cujus in Codice S. Mariæ Virdunenſis poſt hæc Hadriani Capitula, iſtiusmodi exſtat profeſſio: Hincmarus*

✝ *Act. Conc. Edit. Paris. pag. 2072.*

Deo

die vero nemo est, in Historia Ecclesiastica vel mediocriter versatus, qui earum falsitatem non agnoscat. Sæcul. VIII. A. C. 785.

Hanc Collectionem primus in Francia vulgavit Riculfus Archiepiscopus Moguntinus, qui successerat Lullo decima sexta Octobris anno septingentesimo octogesimo septimo fatis functo, in Monasterio Hersfeldensi, ubi sepultus est. Is Sanctorum numero postea adscriptus. Curæ eidem fuerat, libros ex Anglia præsertim a Beda scriptos afferri, habemusque inter Epistolas S. Bonifacii aliquas ab ipso scriptas, & aliquas ad ipsum datas, unde elucet, quam magni eum omnes fecerint. *Coint. an. 766. n. 18. & 19. & seq. Hincm. op. 23. c. 24. p. 376. Elog. to. 4. Act. SS. B. p 398. Mart. Rom. 16. Octobr.*

§. XXIII.

Deo miserante Ecclesiæ Laudunensis Episcopus his Sanctorum Apostolicæ Sedis Patrum Decretis obtemperandum subscripsi. . . . Subjicit R. P. Sirmondus: *At horum contra Auctoritatem tanquam a Sacris Canonibus discrepantium elevare atque infringere conatur Hincmarus Remensis adversus nepotem scribens c. 24. qui & hanc ejus subscriptionem vellicat c. 36.* Inde videmus, hanc Collectionem Canonum, & Excerpta ex Decretalibus Pontificum trium primorum Sæculorum statim Sæculo sequente illud, in quo natæ videntur, videlicet Sæculo nono, quorumdam Crisim & falsitatis suspicionem non evasisse.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

§. XXIII.

Capitulare Theodulfi.

Lib. III. Carm. 4. *v. Coint. 781. n. 126 Id. an. 786. n. 64.*

Præ ceteris Episcopis in Gallia illa ætate celebrabatur Theodulfus Aurelianensis ultra Alpes nobili familia natus; nomen enim de Gente Longobardorum fuisse indicare videtur. In Matrimonio fuerat, liberosque genuerat, quos inter filia ejus, nomine Gisela, nota est. Cum viri Doctrina, ingeniumque Carolo Regi gratum reddidissent, eundem ex Italia adduxit, verisimiliter in illo itinere, quod anno septingentesimo octogesimo primo

Id. an. 786. n. 64.

susceperat, deditque Abbatiam Floriacensem & Episcopatum Aurelianensem, quem anno circiter septingentesimo octogesimo sexto adiit. Nam utrumque Beneficium simul habuit. Is Capitulare

to. 7. Conc. p. 1. 36.

seu Epistolam Dogmaticam ad edocendos Presbyteros suos edidit, quæ quadraginta sex Articulis constans, Disciplinæ illius ætatis pretiosum est monumentum. In exordio hortatur, ut circa subditam sibi plebem vigilantissima cura laborent (inde cognoscimus hos Presbyteros fuisse Parochos) & semper

c. 1.

memores sint suæ Dignitatis, suæ Consecrationis, & Sacræ quam in manibus

c. 2.

susceperunt unctionis. Hortatur etiam ut assidue legant, aut orent, vult ut quando ab oratione cessatur manuum operatio

tio subsequatur, corpus macerent, & sic propriis, pauperumque necessitatibus subveniant. Subjungit: *Quando more solito ad Synodum convenitis, vestimenta & libros, & Vasa sacra, cum quibus vestrum Ministerium peragitis, afferte, nec non duos tresve Clericos, qui vobis Sacris operantibus ministrent, adducite, ut probetur quam diligenter, quam studiose Dei servitium adornetur.* Sæcul. VIII. A. C. 785. c. 3.

Panes, quos Deo in Sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris, coram vobis præparentur, & diligenter observetur, ut panis & vinum & aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, nitide & mundissime tractentur. c. 5. *Fœminæ Sacerdote Missam celebrante nequaquam ad Altare accedant, sed locis suis stent, & ibi Sacerdos earum oblationes accipiat. Res sacras non contingant, imo nec viri laici.* c. 6. *Sacerdos Missam solus nequaquam celebret; esse enim debent, qui eum circumstent, quos ille salutet, & a quibus ei respondeatur.* c. 7. *Ad memoriam reducendum, quod dixerit Dominus: Ubicunque fuerint duo vel tres in Nomine meo congregati, ero in medio eorum.* Matt. 18. 20. *Videmus crebro in Ecclesiis messes & fœnum congeri; unde volumus, ut nihil in Ecclesia præter vestimenta Ecclesiastica, Vasa Sancta, & Libros recondatur.* c. 8.

Anti-

Sæcul. VIII. A. C. 785.

Antiquus in his Regionibus mortuos in Ecclesia sepeliendi mos fuit, ita ut ex Ecclesiis Cœmeteria fiant; unde præcipimus,

c. 9. *ut nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi forte sit Sacerdos, aut qui singulari pietate talem locum meritus fuerit. Corpora vero, quæ antiquitus in Ecclesia sepulta sunt, non projiciantur, sed tumuli, qui apparent, profundius in terram mittantur, & pavimento desuper facto nullum*

Capitulare Theodulfi. *vestigium supersit. Ubi vero tanta est multitudo cadaverum, ut hoc facere difficile sit, locus ille pro Cœmeterio habeatur ablato inde Altari & in loco puro*

c. 10. *constructo. Non debetis ad Ecclesiam ob aliam causam convenire nisi ad laudandum Dominum; Disceptationes autem & tumultus & vaniloquia a loco Sancto*

c. 11. *penitus prohibenda. Missarum solemnia nullibi nisi in Ecclesia celebranda sunt. Presbyteri autem Laici Vasa Sacra ad usum profanum nunquam adhibeant.*

c. 18. *Nulla fœmina cum Presbytero in una*

c. 12. *domo habitet. Presbyteri ad tabernas*

c. 13. *non eant ad bibendum vel comedendum,*

c. 14. *neque cum fœminis, nisi Paterfamilias in domum suam vos invitaverit. Nullus Presbyter Fidelibus de alterius Parochia persuadeat, ut ad suam Ecclesiam con-*

c. 16. *currant, & suas Decimas sibi dent; nec*

c. 17. *inhiet alterius Ecclesiæ, aut datis donis eam sibi conferri efflagitet. Quisquis autem*

autem contra hæc Conſtituta fecerit, aut Gradum ſe ſciat amiſſurum, aut in carcere longo tempore retinendum. Si parvulus ægrotans ad quemlibet Presbyterum Baptiſmi gratia de cujuslibet parochia allatus fuerit, ei Baptiſmi Sacramentum nullo modo negetur.

Sæcul. VIII. A.C. 785.

Ergo parvuli etiam in caſu neceſſitatis ad Eccleſiam baptizandi deferebantur.

Theodulfus proſequitur in hunc modum: *Si quis ex Presbyteris voluerit nepotem ſuum aut aliquem Conſanguineum ad ſcholam mittere, in Eccleſia S. Crucis, aut in Monaſterio S. Aniani aut S. Benedicti aut S. Lifardi, aut in cæteris de his Cœnobiis, quæ nobis ad regendum conceſſa ſunt, ei licentiam id faciendi damus.* Ad S. Crucem erat Eccleſia Cathedralis ſicut hodieque eſt, ad Sanctum Anianum Aurelianenſem & S. Lifardum (*) Medunenſem jam tunc Canonici habitabant, ad S. Benedictum vero ſeu Floriaci Monachi erant, atque his tribus Monaſteriis Theodulfus Abbas præ-

c. 19.

Coint. an. 86. n. 85.

(*) Hic prima vice Fleurius alicujus Congregationis Canonicorum a Monachis diſtinctorum mentionem facit. Diverſæ fuiſſe videntur, quod Congregationibus Clericorum Regularium ſeu Canonicorum non niſi Presbyteri adſcriberentur.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

præfuit. Porro: *Presbyteri per villas & vicos Scholas habeant, commendatos sibi parvulos summa Charitate doceant, & nihil pretii pro hac re exigant a parentibus, nisi quod sua voluntate obtulerint.*

c. 20.

Deinde Theodulfus affert compendium Doctrinæ Moralis Christianæ ex Regula S. Benedicti excerptum, quod vocat, Instrumenta Bonorum Operum.

Reg. c. 4.

Præcipit, ut omnes Fideles Orationem Dominicam & Symbolum memoriter discant, tanquam omne Fidei Christianæ fundamentum.

c. 22.

Dicendum Fidelibus, ut singulis diebus saltem duabus vicibus mane scilicet & vespere Symbolum & Orationem Dominicam recitent, cum quibusdam aliis precibus brevibus, quas præscribit.

c. 23. 29.

Canones Theodulfi Aurelianenſis.

Qui possunt, in Basilica orent, qui non possunt, in itinere in silvis, in agris orent. Sancti quoque invocandi sunt, Apostoli & Martyres, ut pro nobis ad Majestatem Divinam intercedere dignentur.

c. 24.

In diebus Dominicis præter Orationes & Missarum solemnia & ea quæ ad vescendum pertinent nihil aliud fiat. Nam etsi necessitas fuerit navigandi aut iter faciendi, Orationes tamen & Missa non prætermittantur.

c. 45. 46.

Sabbato Fideles ad Vesperas veniant, deinde ad Vigilias & Matutinum Officium. Tum ad Missam

cum

Oblationibus occurrant. Dandæ sunt eleemosynæ, & in Dei Laudibus cum amicis epulandum. Illorum abusus reformandus, qui in Diebus Dominicis vel quibuslibet Festivitatibus mox ubi Missæ interfuerint, etiamsi pro Defunctis sit, abscedunt, ut per totum diem ebrietati & commessationi potius quam Deo deserviant. Nemo ante publicum peractum Officium ad cibum accedat, & ne populus a Missarum solemniis hora tertia celebrandis abstrahatur, Sacerdotes, qui privatas Missas celebrant, maturius & secreto id faciant. Sacerdotes qui in Urbe & in circuitu sunt cum populo in Ecclesia Cathedrali publicæ Missarum celebrationi intersint, exceptis Deo sacratis fœminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris Monasterii contineri. Ergo adhucdum consuetudo vigebat Die Dominica in magnis urbibus unicum Officium celebrandi. Sæcul. VIII. A.C. 785.

Admonendus est populus, quæ sit vera Charitas, ne in operibus exterioribus sistat. Quilibet sibi ipsi opera misericordiæ spiritualiter exhibeat, sicut ea corporaliter in proximum exercet. Hospitalitas ita commendatur, ut exinde credi possit, nulla tunc temporis extitisse Hospitia publica; quippe in humanitatis regulas peccare dicuntur, qui hospites gratis non recipiunt. Omni die

c. 34.

c. 32.

c. 25.

c. 30.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

in Oratione noſtra Deo confiteri debemus peccata noſtra, & recitandus eſt Pſalmus quinquageſimus, ſive vigeſimus quartus vel trigeſimus nonus aliique congrui ad obtinendam remiſſionem. Confeſſio, quam Sacerdotibus facimus, hoc nobis adminiculum affert, quod accipiamus ab eis conſilia & pœnitentiam. Imo & de cogitationibus faciamus Confeſſionem, & de omnibus peccatis noſtris. Ex his ultimis verbis Confeſſionis neceſſitas demonſtratur. Pœnitentiæ publicæ uſus illa ætate adhucdum vigebat, dicitque, Theodulfus, eandem eſſe injungendam pro perjurio vel falſo teſtimonio, ac pro adulterio, pro fornicatione, pro homicidio, aliisque criminibus, ſcilicet pœnitentiam ſeptem annorum. Qui vero ejusmodi criminum reus eſt, & pœnitentiæ rigorem pertimeſcens non confitetur, ex Eccleſia & Communione Fidelium ejiciatur, nemo cum ipſo oret, manducet, bibat aut in domum recipiat.

Pœnitentiæ modus Sæculo VIII.

c. 31.

c. 26.

c. 27.

Hebdomada una ante initium Quadrageſimæ Fideles Presbyteris confiteri oportet, & pœnitentiam accipere. Discordantes reconciliandi, & omnia jurgia ſedanda. Et ſic ingredientes in Beatæ Quadrageſimæ tempus puris mentibus & per pœnitentiam renovatis ad S. Paſcha pervenient. Jejunium autem

c. 36.

c. 37.

Qua-

Quadrageſimæ ſingulis diebus, exceptis Dominicis, obſervetur; quia alia jejunia devotionis ſunt, iſtud vero præcepti. Ægrotantes ſolum & infantes eximuntur. Diebus jejunii pauperibus erogandus eſt cibus vel potus, quo quisque uſus fuiſſet, ſi non jejunaret. Plures putant, ſe jejunaſſe, ſi mox ut ſignum audiunt ad Nonam manducant, ſed jejunare non credendi ſunt, ſi ante manducaverint, quam veſpertinum celebretur Officium. Veniendum eſt ad Miſſam, & finitis Veſperis ad cibum accedendum eſt. Si quis ad Miſſam convenire non valeat, oret, &, cum æſtimaverit eſſe horam veſpertinam, comedat. In his vero diebus omnium deliciarum abſtinentia eſſe debet. Qui ovis, caſeo, piſcibus, vino abſtinere poteſt, magnæ virtutis eſt. Qui autem his infirmitate interveniente, aut quolibet opere, abſtinere non poteſt, ſaltem usque ad veſperum jejunet. Sed a caſeo, lacte, butyro & ovis abſtinere, & non jejunare dementiſſimum eſt. In his ſacratiſſimis diebus conjuges ſe contineant, quia pœne nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ & eleemoſynæ non commendant. In his jejuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones ſint.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

c. 38.

c. 40.

c. 43.

c. 42.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

c. 41.

Singulis diebus Dominicis in Quadrageſima, præter hos, qui excommunicati ſunt, Sacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti ſumenda ſunt; & in Cœna Domini, & in Paraſceve, in Vigilia Paſchæ, & in die Reſurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum. Et ipſi dies Paſchalis Hebdomadæ æquali Religione colendi ſunt. Notari meretur, quod Paraſceve & Sabbatum Sanctum illis diebus, in quibus ab omnibus communicandum, accenſeantur.

Sacra Communio.

c. 44.

Populus, priusquam accedat ad Sacroſanctum Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini, maxima diligentia ſe præparet. Conjuges aliquamdiu ab opere abſtineant, cuncti a vitiis ſe purgent, eleemoſynis & orationibus inſiſtant. Quia ſicut periculoſum eſt, impurum quemque accedere, ita etiam periculoſum eſt a Sacramento prolixo tempore abſtinere, iis exceptis, qui excommunicati ſunt; hi enim non quando libet, ſed præſcriptis ſibi temporibus communicant, & illis piiſſimis hominibus, qui ſingulis ferme diebus accedunt. Excommunicatio iſta, qua innodatis non nunquam Sacra Communio præbebatur, non erat excommunicatio cum anathemate, ſed ſimilis illi excommunicationi, de qua in Regula S. Benedicti fit mentio.

§. XXIV.

§. XXIV.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

Paulus obit. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus.

Constantinopoli Paulus Patriarcha, cum in morbum incidisset, abdicata Dignitate, ultima die Augusti, anno septingentesimo octogesimo quarto, Indictione septima, in Monasterium Flori se recipiens, Irene Imperatrice inconsulta, Monasticam vestem induit. Hac re ad ipsam delata, venit ad eum mœsta, adducens Imperatorem Constantinum filium suum, & exquirens, cur e gradu suo decederet? Ille obortis lacrymis respondit: *Utinam hanc Sedem Episcopalem non conscendissem illo tempore, quo ista Ecclesia opprimebatur, ab aliis separata, & anathematizata.* (*) Cum deinde Imperatrix Patricios, & Senatorum præcipuos ad eum misisset, dixit: *Nisi Concilium Oecumenicum celebretur, & error, qui hic dominatur, tollatur, nulla vobis salutis spes supereſt.* Dixerunt: *Theoph. an. 4. p. 385.*

(*) Inde dispicitur, Iconoclastarum Hæresim non adeo multorum hominum fuisse errorem, nec totam Ecclesiam Constantinopolitanam a Communione Romanæ Ecclesiæ recessisse, denique facile extirpandam, nisi eam quorumdam Imperatorum Græcorum pertinacia fovisset.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

runt: *Cur igitur, cum electus fuisti, subscripsisti Decreto, ne quis Imagines adoraret? Hoc ipsum est,* inquit, *quod defleo, factumque pœnitentia delere cupio, Deum orans, ne tantas pœnas a me exigat, quas Episcopus merui, dum huc usque pessime silui, & furorem vestrum pertimescens, veritatem non edixi. Si me adhucdum Sedem Episcopalem hujus Civitatis retinentem mors occupasset, oppressus fuissem profecto totius Ecclesiæ Catholicæ anathemate, id est, ad tenebras exteriores fuissem relegatus.* Hæc professus, Paulus Patriarcha in pace obiit, non sine maximo Imperatricis & omnium proborum luctu; erat enim vir venerabilis, pauperibus eleemosynas largissime erogans, quem Imperatrix maximi faciebat.

Epist. Const. to. 7. Conc. p. 51.

Conc. 7. Act. 1. p. 51. Theoph. an. 5. p. 386.

Igitur Irene non modo Proceres ad deliberandum vocavit, sed etiam viros in Disciplina Ecclesiastica versatissimos, & invocato JEsu Christi Nomine quæsivit, quem virum Ecclesiæ Constantinopolitanæ regendæ idoneum crederent. Omnes una voce Tarasium, Imperatori ab Epistolis, nominarunt. Ipse vero, ab Imperatrice adesse jussus, munus recusavit, & quare id suscipere non posset, exposuit. Tandem Imperatrix universo populo collecto apud Magnauram dixit: *Scitis, Fratres! quid fecerit Patriarcha Paulus, quem, siquidem viveret, eum non patere-*

pateremur Sacerdotii Thronum dimitte- Sæcul. VIII.
re, etiamsi habitum Monasticum induerit; A.C. 785.
quia vero, sicut Deo placuit, de hac vita migravit, quæramus virum, qui Ecclesiam Dei regere, & nos sana Doctrina pascere possit.

Simul omnes responderunt, non fore alium nisi Tarasium a Secretis. At illa, *& nos*, inquit, *ipsum elegimus, sed repugnat. Jam vero causam suam dicat, cur nostrum suffragium vestrumque non recipiat.* Tarasius publice respondit in hunc modum:

Timeo ne facile nimis in vota vestra Theoph. p. 387. to. conc. pag. 34.
consentiam. Si enim S. Paulus, qui Cælum habuit erudiens se, postquam Nomen Domini coram Gentibus & Regibus portavit, timebat, ne ipse reprobus efficeretur, quomodo ego in mundo conversatus & Laicus præsumam ascendere ad Episcopatus fastigium? Terribile onus, si exiguas vires meas perpendam! Causa vero præcipua mei timoris hæc est. Aspicio nunc Ecclesiam scissam & divisam in Oriente, alius aliud docet, multi consentiunt Occidentalibus, qui nos singulis diebus anathematizant. Dira pœna est Anathema, procul a Regno Cælorum expelli, & a Deo ad tenebras exteriores damnari! Nihil Deo acceptum magis, quam ut unum simus, & una efficiatur Ecclesia Catholica, quemadmodum in sincero I. Cor. 9.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

Fidei noſtræ Symbolo confitemur. (*) *Peto igitur, Fratres mei! quod, ut reor, & vos expetitis, quoniam ſcio, timorem Dei vos habere, a piiſſimis Imperatoribus noſtris* † *Synodum univerſalem colligi, ut unum corpus ſimus ſub uno Capite, quod eſt JEſus Chriſtus. Si Imperator & Imperatrix petitioni meæ annuunt, & ego conſentio; ſin autem, impoſſibile eſt mihi id facere, ne inveniar condemnatus in die Judicii Domini Noſtri, ubi neque Imperator, neque Sacerdos, neque Epiſcopi, neque Magiſtratus, neque hominum multitudo me eripere poterit. Jamvero, Fratres mei! quodcunque placuerit vobis, reſponſum reddite.*

† *nempe Imperatore & Imperatrice.*

Cum hic Taraſii ſermo omnibus placeret, conſenſit populus, ut Concilium convocaretur, paucis admodum exceptis (nimirum parte minime ſaniore) quibus videbatur, differendum eſſe negotium. Ergo Taraſius ex genere Patriciorum natus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Natali Domini vigeſimo quinto

(*) Nullum Schiſmate majus malum! quod nihilominus tempore Lutheri tot ſeducta Chriſtianorum millia, poſtquam per annos mille quingentos nemo unquam in orbe Orthodoxus, niſi in Romanæ Eccleſiæ Communione exiſteret, creditus eſt, horrendo Dei Judicio elegerunt.

to Decembris, Indictione octava, eodem anno septingentesimo octogesimo quarto, ordinatur. Parens ejus, nomine Georgius, Magistratum integerrime gesserat, & Encratiam matrem pietas singularis commendabat. Ipse vero propriæ virtutis splendore coruscabat. Sæcul. VIII. A C. 785. *vit. per Ignat.* 25. *Febr. Bol. to.* 5. *p.* 576.

§. XXV.

Concilium apparatur.

Ecclesiæ Patriarchalis Regimen auspicatus Tarasius Epistolas Synodicas, & Fidei Professionem Hadriano Papæ misit, cui Imperatrix quoque suo & Filii nomine scripsit. Communicato Synodi celebrandæ consilio, ambo Principes Papam rogant, ut veniat, & antiquam Traditionem de Imaginibus confirmet, promittentes, se honore congruo venientem excepturos, & in Italiam remissuros. Si ipse venire non possit, rogant, ut mittat viros venerabiles, doctosque, qui ipsius Epistolas afferant, & vices gerant. Hæc Epistola data est quarto Cal. Sept. Indictione septima, nempe vigesimo nono Augusti, anno septingentesimo octogesimo quarto, biduo priusquam Paulus Patriarcha decederet, cujus consilio haud dubie concinnata fuerat. Eam deferendam dederunt Constantino, Episcopo Leontino in Sicilia, qui Summo Pontifici non erat ignotus. Rogabatur *to.* 7. *Conc. p.* 32.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

etiam Papa, ut cito reſcriberet, quando eſſet venturus; non enim dubitabant Conſtantinopolitani, ipſum Papam adfuturum, jamque ad Præfectum Siciliæ de recipiendo Summo Pontifice mandata miſſa fuerant.

Tom. 7. Conc. p. 162.

Scripſit quoque Taraſius alteram epiſtolam ad Epiſcopos & Presbyteros Antiochiæ, Alexandriæ & Jeroſolymæ directam, in qua ipſius Fidei Profeſſio de Trinitate, de Incarnatione, & Invocatione Sanctorum, de condemnatione omnium Hæreticorum, de approbatione ſex Conciliorum Oecumenicorum, & condemnatione Conciliabuli contra Icones convocati continebatur. Tandem rogat, ut ſinguli ſaltem duos Legatos mittant, qui ipſorum litteras exhibeant, in Concilio eorundem vices agant, & ad pacandam Eccleſiam operam conferant. In epiſtola Taraſii ad Papam data, eadem ferme legebantur.

Hadrianus Papa reſponſorias ad Imperatorem & Patriarcham dedit, atque in Epiſtola ad Imperatorem loquitur in hunc modum: *Proavus*

Tom. 7. Conc. p. 106.

tuus impiorum hominum conſilio impulſus non ſine graviſſimo totius orbis ſcandalo Imagines abſtulit. Quamobrem duo Papæ Gregorii, magnopere afflicti, datis ſæpe ad eum litteris rogarunt, ut Imaginibus

ginibus honorem redderet. Poſtea Sancti Anteceſſores noſtri Zacharias, Stephanus, Paulus, & alter Stephanus eandem rem ab Imperatoribus Avo tuo & Patre obtinere ſummis precibus conati ſunt. Et ego magna animi demiſſione te obteſtor, ut eundem cultum Imaginibus exhiberi jubeas in Græcia, quem nos eis ſecundum Traditionem Patrum noſtrorum tribuimus. Et poſt alia: *Deum in Spiritu & veritate adoramus; abſit enim, ut Imaginibus Numen ineſſe credamus! ſed nihil aliud quam venerationis noſtræ monumentum ſunt.* Tum hac materia prolixe explicata ſubjungit: *Patrum Textus magna cura ſelectos, quibus Sacrarum Imaginum cultus commendatur, Tibi mittimus, & Clementiam tuam ex cordis intimo flexis genibus & ad pedes tuos proſtrati, quaſi præſentes, oramus & obteſtamur coram Deo, ut antiquum Imaginum Cultum tum Conſtantinopoli, tum in ceteris Græciæ Provinciis reduci jubeas. Quod ſi iſtud ob Hæreticorum pervicaciam ſine Concilio perfici nequeat, inprimis neceſſe eſt, ut illud Pſeudo-Concilium contra Canones celebratum noſtris Legatis præſentibus anathematizetur, tum vero etiam, ut confeſſionem addito juramento mittas nomine tuo, Imperatricis Matris tuæ, Patriarchæ Conſtantinopolitani & omnium Senatorum, nihil te facturum, quod Patrum in Conci-*

Sæcul. VIII. A. C. 785.

p. 115.

Hadriani Papæ Epiſtolæ.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

Concilio præsentium libertatem imminuat, atque Legatos nostros, etiamsi in Concilio discordantibus animis nihil statueretur, secundum humanitatis leges habitos ad nos remissurum.

Id quoque oro, ut Patrimonia Sancti Petri ab Imperatoribus aliisque Fidelibus donata ad luminare Ecclesiæ & alimenta pauperibus distribuenda, item potestatem consecrandi Archiepiscopos & Episcopos, Jurisdictioni nostræ subjectos, secundum veterem Traditionem nobis reddas. Hæc de Episcopis Illyrici, quod olim totum Jurisdictioni Papæ subditum fuerat, accipienda sunt, quod ad Bonifacium Papam & annum 421. adnotavi. Patrimonia autem, de quibus hic mentio fit, illa sunt, quæ Ecclesia Romana in Græcia & in Oriente habebat.

Sup. lib. XXIV. §. 31.

His Hadrianus Papa subjungit: *Multum mirati sumus, cum vidimus, quod in Epistola tua Tarasio Titulus Patriarchæ Universalis tribuatur. Patriarchæ Constantinopolitano nequidem secundus gradus competeret, nisi Sedis nostræ consensus accederet. Si vero est Patriarcha Universalis, ergo etiam super Ecclesiam Nostram Primatum tenet? sed hæc ambitio omnibus Christianis risu digna videtur. Ipsius Tarasii epistolam Synodicam & Professionem Fidei ad nos missam magno gaudio recepimus; illud vero nobis summope-*

p. 118.

re

re displicuit, quod e statu Laicorum & Imperatoris Aula ad Dignitatis Patriarchalis fastigium subito evectus fuerit; quod cum Constitutionibus Ecclesiasticis omnino adversetur, in ejusmodi Ordinationem non consensissemus, nisi permovisset nos optima spes, ipsum ad restituendum Imaginum Cultum fidelem operam junctu-rum.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

Deinde Papa Imperatori ob oculos ponit exemplum Caroli Regis, *qui*, inquit, *consilia nostra secutus & voluntatem perficiens, omnibus barbaris Nationibus in Occidente Dominationi suæ subjectis, Ecclesiæ Romanæ Provincias, Urbes, Castra, & Patrimonia, a Longobardis detenta, sed jure ad S. Petrum pertinentia,* (*) *donavit, & præterea quotidie dona aurea argenteaque ad luminaria & alimenta pauperum offert.* Tandem Papa Imperatorem rogat, ut duos Legatos suos, quibus epistolas deferendas committebat, scilicet, Petrum Archipresbyterum Ecclesiæ Romanæ, & Petrum Presbyterum, Abbatem Monasterii S. Sabæ Romæ, foveat. Epistola ad Imperatorem vigesimo sexto Octobris, Indictione nona, nempe anno 785. data est. In Epistola

p. 119.

Hadrianus Papa ad Imperatores.

(*) Id de Jure proprietatis, non vero de Dominio alto seu Principis, Summus Pontifex affirmare videtur.

Sæcul. VIII. A.C. 785.

stola vero ad Tarasium Patriarcham Pontifex ejus Fidei Confessionem approbat; & nihil aliud memoratu dignum occurrit.

p. 121.

§. XXVI.

Delegati ex Oriente.

Duo Legati a Tarasio missi in Orientem eo facilius pervenientes, quod tunc Romani & Musulmanni inter se pacem servarent, neminem prius adierunt, quam duos Monachos, qui amore Ecclesiarum se mortis periculo exposuerant, & apud quos olim hospites sinceriſſimæ lætitiæ signis excepti sunt. His igitur Monachis Legati Constantinopolitani itineris sui causam bona fide aperiunt, Tarasii Epistolas ostendunt, atque utriusque nempe Imperatricis & Patriarchæ mentem sanctam, & Res Ecclesiasticas componendi desiderium edocent. Duo vero Monachi Legatos diligenter occultatos, ne a Musulmannis deprehensi, ab Imperatore Constantinopolitano immissi exploratores existimarentur, nemini prorsus colloqui, nec quod animo constituerant, ad Patriarchas Orientis se conferre passi sunt. Sed postquam eos in loco tuto condidissent, ad Monachos Palæstinæ strenue pergunt, a quibus, clam collectis, petunt, ut terribili jurejurando se adstringerent, mortalium nulli revelaturos arcanum

Ep. Orient. Act. 3. *Conc.* 7. *p.* 171.

canum, quod ab ipsis audituri essent. Ita demum Monachis fidem promittentibus, quid rerum ageretur, edicunt. Hi multum mirati inexspectatam Ecclesiæ Constantinopolitanæ conversionem, & lætitiam non capientes inter suaves lacrymas surgunt, ut cum timore & tremore ad Deum preces funderent. Mox invocata S. Spiritus Gratia, cum Musulmannorum in Christianos implacabile odium probe novissent, Legatos Constantinopolitanos apud se retinere, & nullatenus, ut ad illos, ad quos missi erant, proficiscerentur, permittere statuerunt. Sæcul. VIII. A. C. 785.

Ergo in medium productos Legatos gravissime hortantur, ne Ecclesias utcunque pace fruentes turbarent, populoque aliunde dura servitute & immani exactionum pondere presso perniciem afferrent. Non probabatur Legatis hæc excusatio, dicebantque: *Ideo enimvero missi sumus, ut, vitæ periculum pro Ecclesia subeuntes, Patriarchæ & Imperatoris mandata exequamur. Bonum argumentum!* reponebant Monachi, *si vestro solo periculo id fieret, sed cum istud totam Ecclesiam respiciat, quid inde emolumenti sperandum sit? Verumtamen,* dicebant Legati, *qua fronte conspectum illorum subibimus, a quibus missi sumus, si nihil omnino eorum, quæ ipsi sperabant, effectui dederimus?* p. 174.

Hac

Sæcul. VIII. A. C. 785.

Hac objectione Monachi non nihil attoniti oculos in Fratrum suorum duos conjiciunt, Joannem & Thomam, olim duorum Patriarcharum Syncellos, quorum pro Fide zelum, amoremque Solitudinis exploratum habebant. Joannes Vir pietate & doctrina laudatissimus Patriarchæ Antiocheni Syncellus fuerat, & Thomas apud Patriarcham Alexandrinum eundem amicitiæ & familiaritatis gradum tenuerat. Idem Thomas Abbas Monasterii S. Arsenii in Ægypto erat, posteriore tempore Archiepiscopus Thessalonicensis electus. Dixerunt Monachi ad hos duos: *Ecce Fratres, tempus Salutis! ecce, opus peragendum vobis offertur, solitudine multo præstantius! ite cum viris istis, & eorum defensionem in vos suscipite. Dominis Nostris coram exponite, quod per litteras significare non audemus. Scitis utique, Patriarcham Jerosolymitanum, cum levem suspicionem incurrisset, in exilii locum, plus quam sexcentis Leucis distantem fuisse deportatum. Postquam hoc opus Dei perfeceritis, & Dominos Nostros edocueritis, in Ecclesiis Ægypti & Syriæ Traditionem Apostolicam observari, ad dilectam vestram solitudinem redire licebit.* Tum longam profectionem obire detrectantibus, & infirmitatem objicientibus districte præcipiunt, ut Orientalium Patriarcharum nomine Legatio-

Theoph. p. 389.

gationem susciperent, quod illi nec literas dare nec recipere in his causis tuto possent. Nempe Joannes Vicarius esse jubebatur Theodoreti Patriarchæ Melchitæ Antiocheni, successoris Theodori, qui Theophylacto successerat, & Eliæ Patriarchæ Jerosolymitani. Thomas vero Legatus & Vicarius mittebatur Politiani Patriarchæ Melchitæ Alexandrini, qui Cosmo successerat. Sed cum subscriberent, unusquisque se Vicarium trium Sedium Apostolicarum in Oriente dicebat. Cum tandem obedirent, eos Legati Constantinopolitani, postquam inter mutuas lacrymas & preces dilectissimis Fratribus valedixissent, lætissimi viæ comites acceperunt.

Sæcul. VIII. A.C. 785.

vit. S. Taras. c. 5. Eutych. to. 2. p. 411. p. 399. Conc. 7. p. 323.

§. XXVII.

Mahadi e vivis abit. Muza, & Aaron Califæ.

Gens Musulmannorum, illa tempestate Christianorum terror, novos Dominos venerari duorum fatis coacta est; quippe Califæ Mahadi anno Hegiræ 169. vigesimo secundo die Moharram, id est, quarto Sept. anno 785. defuncto successerat filius Moyses seu Muza, cognomento Alhadi, qui vix quindecim mensibus expletis die Veneris vigesimo quarto secundi *Rabi*, anno 170. id est, vigesimo nono Dec. anno Christi 786. e vita migra-

Elmac. l. II. c. 4. p. 207. Theoph. an. 4. p. 385.

Sæcul. VIII. A. C. 785.

gravit. Ei succeſſit Frater, Aaron ſeu Haron nomine, cognomento Rachid, Mahadi filius, qui annis plusquam viginti tribus imperavit, rerum geſtarum fama Anteceſſorum ſuorum nulli ſecundus. Religioni Muſulmannorum addictiſſimus ſingulis diebus centies genua flectere ſolebat, & mille drachmas in pauperes erogabat. Ipſe Califarum ultimus Meccam profectus legitur, quod iter ſæpius ſuſcepit, & quibus annis ſuſcipere non poterat, trecentis de plebe peregrinis illo ituris omnia neceſſaria ſuppeditabat. Cum in Secta Mahometis eſſet religioſiſſimus, non eſt mirandi locus, quod peſſime habuerit Chriſtianos, præſertim Melchitas, Muſulmannis ſemper præ ceteris inviſos. Quod ad Jacobitas ſpectat, Michael eorum Patriarcha anno Chriſti 762. Hegiræ 145. decedens Succeſſorem habuit Menam, qui Sedem annis novem tenuit. Huic ſucceſſit Joannes primo anno Regni *Hardi*, decimo ſexto die menſis Ægyptii *Tuba*, id eſt, undecimo Januarii anno 786. ordinatus. Cumque ſedem tenuiſſet annis tredecim, die eodem, anno Diocletiani 515. Jeſu Chriſti 799. naturæ debitum ſolvit. Ipſo ſedente pace fruebatur Eccleſia, & idem a largitate eleemoſinarum, præſertim cum aliquando Alexandrini annonæ caritate laborarent, commendatur. Antiochiæ

Elmac. c. 5.

Elmac. p. 120.

Theoph. an. 6. *p.* 389.

Elmac. p. 105.

Elmac. p. 3. *Chr. Orient. p.* 107.

tiochiæ defuncto Davide, vi intruso, cum Georgius decennio in carcere detentus Cathedram Patriarchalem Jacobitarum denuo conscendisset, Epistolam suam Synodicam ad Joannem Alexandrinum misit, accepitque responsum. Georgio etiam fatis functo, Cyriacus Patriarcha Antiochenus Jacobitarum ordinatus, & ipse epistolam Synodicam ad Joannem Alexandrinum misit, qui eam lætus recepit. Sæcul. VIII. A. C. 786.

§. XXVIII.

Initium Concilii Constantinopolitani.

Epistolis, quibus Concilium nomine Constantini & Irenis convocabatur, ad omnes Episcopos sub ipsorum Imperio degentes transmissis, illi Constantinopolim se contulerunt, quo etiam Legati Papæ, & Patriarcharum Orientalium eodem tempore pervenerunt. Porro Imperatore & Imperatrice tunc temporis extra Constantinopolim in Thracia versantibus, Episcopi Iconoclastarum Hæresi infecti, eo ipso audaciores, cum præterea majores numero essent, & a multis Laicorum incitarentur, publice dicebant; inhærendum esse Decreto, quo Imagines damnatæ fuissent, nec tolerandum, ut Res ista in Concilio iterum agitaretur. De Tarasii Patriarchæ factis quoque mul-

Theoph. an. 6. p. 389.

Conc. to. 7. p. 526.

Sæcul. VIII. A. C. 786.

ta querebantur, & contempta ipsius Auctoritate separatos conventus celebrabant. Quo comperto Tarasius, misit, qui suis verbis denunciarent: *Scitote, Civitatis Constantinopolitanæ Episcopum præsentem esse, & vobis, nisi secundum Canones deponi velitis, non licere ipso inscio conventicula agere.* Hæc admonitio seditiosis Episcopis timorem incussit.

Imperatore & Imperatrice Constantinopolim reversis, militibus prætorii aliisque, quibus in urbe diversoria erant, Principum latus stipantibus, Concilii inchoandi dies primo Augusti, Indictione nona anno 786. & locus in Ecclesia Apostolorum præstitutus est. Ecce autem pridie adsunt milites, furore concti, in Ecclesiæ Baptisterium intrant, seditiose clamantes, non passuros se, ut Synodus celebretur. Patriarcha hæc ad Imperatricem detulit, non ideo tamen visum est, differendum Concilium; sed die altero congregati sunt Patres. Profantur Patriarchæ & Episcopi, leguntur Epistolæ Synodicæ, in quibus statutum fuerat, Concilium Oecumenicum sine consensu Patriarcharum nunquam esse celebrandum. Verum, dum hæc recitantur, Imperatore & Imperatrice e superiore porticu, ubi Catechumeni stare solebant despicientibus, quid in Concilio ageretur, iterum milites, Episcopis

Conc. 7. Act. 1. p. 47.

copis Iconoclastis impellentibus, ingentem tumultum extra Ecclesiæ portas excitare & clamare, non concessuros se, ut illud, quod sub Imperatore Constantino sancitum esset, mutaretur. Imo Ecclesiam intrare nudos enses manibus tenentes, atque Patriarchæ, Episcopis Orthodoxis & Abbatibus necem minitari ausi sunt. Cumque Imperatrix de suis Prætorianis manum misisset, quæ seditiosos coerceret; hi non modo imperata facere detrectarunt, sed etiam conviciis appetitos repulerunt. Hinc Episcopi seditiosi ex Ecclesia prorumpentes clamabant: Vicimus! nemo tamen in hoc tumultu vulneratus. Interim Tarasius cum Episcopis Catholicis Sanctuarium ingressus Sacra Mysteria celebrabat nullo signo metum prodente. At Imperatrix misso ex Cubiculariis uno, significari iis jussit suis verbis: *recedite modo, ut rebellis populi furorem vitemus. Eveniet postea, quod Deo placuerit.* Erat tunc tempus meridianum, omnesque jejuni domum redierunt. Sic cessarunt turbæ.

Sæcul. VIII. A. C. 786.

vit. S. Taras. c. 5.

Mense Septembri sequente Imperatrix ex Thracia alias cohortes advocavit, ad illas Constantinopoli expellendas, quæ, cum sub Constantino Socero suo militassent, ejusdem erroribus imbutæ fuerant. Et statim quidem obtendit solertissima mulier, se eorum opera in bello contra

Theoph. an. 7.

Sæcul. VIII. A. C. 787. Arabes in Natolia usuram, deinde vero arma ponere jussit & cingulum solvere, moxque eorum familias, quæ Constantinopoli remanserant, navigiis impositas in patriam revehi. Itaque, explorata fide exercitus & Præfectorum, secura, mense Majo anni sequentis septingentesimi octogesimi septimi iterum omnes Episcopos convocat, Synodum Niceæ in Bithynia celebraturos. Illi tota æstate conventus egerunt, atque Legati Papæ ex Sicilia revocati, ubi interim hærere jussi fuerant. Legatos vero Patriarcharum Orientalium Imperatrix Constantinopoli retinuerat.

Ep. Hadr. ad Car. to. 7. Conc. p. 962.

§. XXIX.

Concilium Nicenum secundum. Universale septimum.

Episcopis Niceæ congregatis, Tarasius Patriarcha quoque venit, comitantibus Papæ Legatis, item Legatis Orientis, & præcipuis Aulæ Cæsareæ viris, quos inter numerabatur Nicephorus, Imperatori ab epistolis, postmodum Tarasii in Sede Constantinopolitana Successor. Præterea Tarasium Niceam proficiscentem sequebantur quidam Sancti Monachi Disciplinæ Ecclesiasticæ amantissimi, inter quos erant S. Plato Abbas Sacudionensis, & S. Theophanes, olim Patricius, qui hoc iter asina vectus & lacera veste indu-

vit. S. Taras. c. 5.

Theoph. an. 8. p. 390. ep. Taras. to. 7. Conc. p. 526. vit. S. Theo. Boll. 12. Mart. to. 7. p. 221.

indutus perfecit, cum alii comites itineris purpura fulgerent, & validis equis uterentur. Ergo conveniunt Patres in Ecclesia Sanctæ Sophiæ Niceæ anno octavo Regni Constantini & Irenis octavo Cal. Octobris Indictione undecima, id est, vigesimo quarto Sept. anno septingentesimo octogesimo septimo. In capite Actorum leguntur nomina duorum Legorum Pontificis, scilicet Petri Archipresbyteri Ecclesiæ Romanæ, & Petri Presbyteri & Abbatis Monasterii S. Sabæ Romæ, tanquam Hadriani Papæ Vicariorum. Sequitur nomen Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani, tum Joannis & Thomæ Presbyterorum, qui Legati & Vicarii erant Sedium Apostolicarum Orientis, nimirum Joannes vices agebat Theodoreti Patriarchæ Antiocheni, & Eliæ Patriarchæ Jerosolymitani, Thomas vero Politiani Patriarchæ Alexandrini.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

24. *Sept.*

vit. S. Taras. c. 5.

Deinde nominantur Agapius Episcopus Cæsarienſis in Cappadocia, Joannes Ephesinus, Constantinus Constantiensis in Cypro, Nicolaus Cyzicenus, & Euthymius Sardensis. Euthymius olim Monachus, & Imaginum amore persecutionem passus, undecimo die Martii inter Sanctos colitur. Trecenti & septuaginta septem Episcopi, qui huic Concilio interfuerunt, omnes ex Provinciis Imperatori Constantinopolitano subjectis,

Boll. to. 7. *p.* 73. *Mart. Rom.* 11. *Mart.*

Sæcul. VIII. A. C. 787. nempe ex Græcia, ex Thracia, Natolia, Insulis Archipelagi, Sicilia, & Italia, numerantur. Aderant quoque viri duo ab
Conc. p. 46. Imperatore delegati, in Ecclesia ante ambonem sedentes, scilicet Petronax Consularis, Patricius, & obsequiorum Comes, & Joannes Imperatori a cubiculis & Logotheta seu ærario militari Præfectus. Præterea multi Abbates & multi Monachi, qui non nominantur interfuerunt.

In Concilio sermonem auspicati sunt Episcopi ex Sicilia in hunc modum: *Credimus expedire, ut Sanctissimus Archiepiscopus Constantinopolitanus in Concilio primus loquatur.* Omnibus annuentibus
c. 47. Tarasius dicere exorsus, Gratias Deo egit, quod jam libertate fruerentur post turbas anno superiore Constantinopoli excitatas, atque Episcopos hortatus est, ad rejiciendam omnem novam Doctrinam, & ad Traditiones Ecclesiæ, quæ errare non potest, conservandas, tum
24. Sept. subjunxit: *Illis, qui anno præterito veritati resistebant, jam prodire licet, & causam suam defendere. Hoc modo quæ obscura sunt in hac Quæstione facillime illustrabuntur.* Tum Constantinus Episcopus Constantiæ in Cypro petiit, ut Episcopi Hæresis accusati ingredi juberentur. Jussit Concilium; moxque ipsis præsentibus Imperatoris Delegati Epistolam Principis nomine ad Concilium directam

ctam recitari mandarunt. In ea referebantur, quæ in obitu Pauli Patriarchæ contigerant, Electio Tarasii, & Convocatio Concilii. Episcopi monebantur, ut justo judicio pacem Ecclesiæ redderent, & in fine addita erant hæc verba: *Accepimus epistolas ab Hadriano Papa ad nos datas, quas recitari præcipimus. His litteris illisque, quas Legati Orientis Joannes & Thomas attulerunt, auditis, cognoscetis, quæ Ecclesiæ Catholicæ Doctrina sit.* (*) Sæcul. VIII. A. C. 787. p. 50. p. 51.

§. XXX.

Episcopi pœnitentes recipiuntur.

His dictis in medium prodire jussi sunt Basilius Episcopus Ancyranus, Theodorus Myrensis, & Theodosius Amoriensis, cumque ceteris sedentibus ipsi starent, Basilius Ancyranus dixit: *Domini! Quæstionem istam diligentissime examinavi, & solutis jam omnibus dubiis ad Ecclesiam Catholicam redii.* Tarasius Patriarcha

(*) Quotiescunque sive in Oriente sive in Occidente Ecclesiæ vel Doctrinæ Catholicæ occurrit mentio, simul etiam Cathedra Petri & Romani Pontificis Successoris ejus, scilicet Ecclesiæ Universalis centrum & fundamentum memoratur. Nec unquam Lutherus aut alii Novatores luculentissimum totius Antiquitatis testimonium infringere valuerunt.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

dixit: *Benedictus Deus! qui vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem Veritatis pervenire.* Ergo Basilius Ancyranus Fidei suæ professionem legit in hæc verba: *Ita lege Ecclesiastica cautum est, ut qui ab Hæresi convertuntur, scripto eam abjurent, & Fidei Catholicæ Confessionem edant. Itaque ego Basilius Episcopus Ancyranus cupiens Communionem Ecclesiæ, Hadriani Papæ, Tarasii Patriarchæ, Cathedrarum Apostolicarum Alexandrinæ, Antiochenæ, Jerosolymitanæ, omnium Episcoporum, & Presbyterorum Catholicorum, hanc Confessionem scriptam vobis, quibus Auctoritas Apostolica est, trado. Veniam rogo, quod tam sero id faciam. Fateor hujus moræ causam fuisse ignorantiam & socordiam meam, atque rogo, ut pro hujus delicti gratia mecum ad Deum oretis.*

1. Tim. 2. 4.

Sequitur Fidei Confessio, in qua primo ponit Doctrinam Ecclesiæ de Trinitate & Incarnatione. Tum subjungit: *Expeto preces Sanctæ Matris Dei, Virtutum Cælestium & omnium Sanctorum. Eorum Sanctas Reliquias cum omni honore suscipio, & venerabundus adoro, sperans, me eorum Sanctimoniæ participem futurum. Suscipio quoque venerabiles Imagines Jesu Christi, in quantum pro nostra Salute homo factus est, atque etiam S. ejus Genitricis, Angelorum, Apostolorum, Prophetarum,*

tarum, Martyrum, & omnium Sanctorum, amplector, & adorationem, quæ pertinet ad honorem impendo. Rejicio & anathematizo ex toto corde Synodum, quæ septima dicitur, tanquam totius Ecclesiæ Traditioni contrariam. Et idcirco recta mente, Deo mihi perhibente testimonium subjectos Anathematismos pronuncio: Iconoclastis, seu Christianorum Accusatoribus Anathema! His qui Scripturæ eloquia de Idolis contra Venerabiles Icones detorquent, Anathema! His, qui Sanctas Imagines non salutant, Anathema! His, qui dicunt, quod Christiani ad Imagines sicut ad Deos accedant, Anathema! His, qui Sacras Imagines Idola appellant, Anathema! His, qui cum conviciantibus venerabiles Icones scienter communicant, Anathema! His, qui dicunt, quod aliquis alius ac JEsus Christus nos ab Idolis liberaverit, Anathema! His, qui contemnunt Doctrinam Patrum & Traditionem Ecclesiæ Catholicæ dicentes cum hæreticis, quod sola Scriptura ad nos docendum sufficiat, Anathema! (*) *His, qui dicunt, Catholicam Ecclesiam Idola aliquando susce-*

Sæcul. VIII. A. C. 787.

p. 58.

(*) Præclarum contra Protestantes Episcopi in Oriente & in Concilio Universali loquentis testimonium! Hi enim Scripturam Scripturam nobis ingeminant, sed illum verum S. Scripturæ sensum v. g. de

Sæcul. VIII. A. C. 787.

Basilius Ancyranus.

suscepisse, Anathema! His, qui dicunt, quod Icones sint Diabolicæ fraudis inventio, & non SS. Patrum Traditio, Anathema! Tandem Basilius Ancyranus sibi ipsi anathema dicit, si aliquando ab hac Fidei Confessione mentem averterit.

Tum Tarasio Patriarcha & omnibus Patribus gratias Deo agentibus, Theodorus Episcopus Myrensis in Lycia in medium progressus dixit: *Ego quoque peccator & Episcopus indignus re jam satis pensata, optimum arripiens consilium, Deum rogo & Vestram Sanctitatem, ut Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ conjungar.* Tarasius dixit: *Res est Domino Nostro gratissima, pœnitentes recipere.* Itaque Theodorus Fidei suæ Confessionem legit, iisdem prorsus verbis ac Basilii Ancyrani conceptam. Mox procedens Theodosius Amoriensis sinceram pœni-
p. 59. tentiam profitebatur, quod contra SS. Imagines locutus fuisset. Fidei suæ Confessionem quoque legit, in qua solum de Imaginibus, de Intercessione & Reliquiis Sanctorum mentionem facit, & hanc similitudinem notatu dignam adhibet,

---

de Gratia, de Libertate, de Merito, de Sacramentis & sic de ceteris, esse putant, quem ex præjudiciis ab infantia haustis & Spiritu privato sine Ecclesiæ universalis Auctoritate acceperunt.

hibet. *Si enim*, inquit, *cum Imperatorem Icones in Provincias mittuntur, obvii adsunt populi cum cereis & incensis, non cera perfusam tabulam, sed Imperatorem honorantes, quanto magis oportet in Ecclesiis Imaginem Salvatoris, Sanctæ ejus Genitricis & Sanctorum depingi?* His Episcopis pœnitentibus in Concilio receptis gradum suum & Sedes repetere concessum est. Sæcul. VIII. A. C. 787. p. 62.

Illico prodierunt alii septem Episcopi, Hypatius Nicenus, Leo Rhodiensis, Gregorius, Pessinuntensis, Leo Iconiensis, Georgius Pisidiæ, Nicolaus Hierapolitanus, & Leo Carpathiensis; illi scilicet, qui adversus Concilium conjurantes conventus schismaticos egerant. Cum hæc Tarasius ipsis exprobrasset, hortari cœpit, ut argumenta sua depromerent, quibus ipse esset responsurus. Sed Leo Episcopus Rhodiensis dixit: *Peccavimus coram Deo, Ecclesia, & Concilio. Ignorantia lapsi sumus, & nihil habemus, quod ad defensionem nostram afferamus.* Ceteri sex eadem dixerunt, veram pœnitentiam profitentes. Gregorius vero Pessinuntensis adduxit nescio quod Concilium Apostolorum Antiochiæ habitum, in quo dicebatur; cavendum esse Christianis, ne Idola sequentes iterum a veritate aberrarent, sed Idolorum loco imaginem JEsu Christi haberent. Rerum p. 63. 24. Sept.

Eccle-

Sæcul. VIII. A. C. 787.

Eccleſiaſticarum peritis exploratum eſt, hoc Concilium nunquam celebratum fuiſſe, quamvis Innocentius I. Papa in quadam Epiſtola ad Alexandrum Antiochenum data de eo mentionem facere videatur.

V. Tillm. to. 1. p. 551. not. 34. Epiſt. 18. to. 2. Conc. p. 269.

§. XXXI.

Regula de recipiendis Hæreticis.

Tunc vero Joannes Legatus Patriarchæ Antiocheni ad Taraſium: *Sanctiſſime Pater! multi ſcire cupiunt, quam rationem eſſe oporteat Hæreticos converſos recipiendi. Rogamus Concilium, ut Libros Patrum afferre liceat, eosque examinare.* Moxque Conſtantinus allatis libris, qui petebantur primo omnium legit Canonem Apoſtolorum quinquageſimum tertium (nam Græci Canones Apoſtolorum octoginta numerabant Eccleſia Romana non plures quam quinquaginta recenſente) deinde lectus eſt Canon octavus Nicenus de recipiendis Catharis vel Novatianis, & tertius Epheſinus, qui ad recipiendos Macedonianos pertinebat. Tum, id flagitante Stephano Monacho & Palatii Patriarchalis Bibliothecario, lectus eſt primus Canon epiſtolæ S. Baſilii ad Amphilochum, in quo de Baptiſmo Encratitarum agitur. Lecti ſunt deinde Textus ipſius epiſtolæ ad Evaſinianos, tum ad Comitem Terentianum. Item duæ

Conc. 7. p. 66.

p. 67.

p. 70.

duæ epistolæ S. Cyrilli Alexandrini in causa reconciliationis suæ ad Joannem Antiochenum datæ. Epistola etiam S. Athanasii ad Rufinianum de Reconciliatione illorum, qui Concilio Ariminensi subscripserant. Hic Tarasius Patriarcha indicavit discrimen in recipiendis Hæresis Auctoribus, qui equidem ad pœnitentiam admittuntur, sed ab ordine Clericorum in perpetuum repelluntur, & aliis, aliorum nequitia in errorem pertractis, quibus utrumque conceditur. Sæcul. VIII. A. C. 787. *Sup. lib. XVII. §. 14.*

Cum vero S. Athanasius in sua epistola de illis mentionem faciat, qui vi adhibita in errorem inducti sunt, Monachi in Concilio præsentes interrogarunt, an Hypatio aliisque Episcopis accusatis aliqua vis illata fuisset. Illi responderunt sincere, vim nullam se esse passos, sed in hac Hæresi natos fuisse & educatos. Episcopi vero Siciliæ quæsiverunt, cui Hæreticorum classi novæ Hæresis Auctores essent adscribendi. Tunc Tarasius dixit: *Legimus non receptas fuisse Imagines a Manichæis, nec a Marcionitis, nec ab illis, qui Naturas in JEsu Christo confundebant, quales fuerunt Petrus Fulo, Xenajas Hierapolitanus, & Severus.* De Xenaja, ipsiusque in SS. Imagines odio suo loco supra meminimus. Hic Epiphanius Diaconus Catanensis Thomæ Episcopi Sardiniæ Vicarius *p. 78.* *Sup. lib. XXX. §. 18.*

Sæcul. VIII. A. C. 787. rius interrogavit, an nova hæc Hæresis levior pejorve antiquioribus esset. Tarasius respondit: *Malum semper malum manet, præsertim in causis Ecclesiasticis. Sive contra Doctrinam primi secundive ordinis pecces, perinde est, quia semper Lex Dei violatur.* Joannes Legatus Orientalium dixit: *Hæresis ista ceteris omnibus pejor est, quia Incarnationem destruit.*

Lecti exinde sunt non nulli Textus ex prima Sessione Concilii Calcedonen-
p. 79. sis, ubi exemplum habetur, qua ratione Episcopi Orientis & Illyrici, cum pœnitentiam profiterentur, recepti fuerint. Tunc autem Sabas Abbas Monasterii Studiensis quæstionem proposuit, an illi qui
Sup. lib. XVIII. ab Hæreticis ordinati fuissent, recipiendi
§. 8. sint. Quamobrem lectus est Textus ex
Sup. l. XV. Historia Rufini de Concilio Alexandrino,
§. 26. in quo illi, qui cum Arianis communica-
p. 82. verant, recepti. Lectus quoque est Textus ex Socrate, & alius ex Sozomeno de Marcello Ancyrano. Petrus Archidiaconus Papæ Legatus adduxit exemplum Macarii, Patriarchæ Antiocheni, Monothelitæ, in Synodo Sexta condemnati, ad quem Benedictus Papa, concessa sex hebdomadarum mora, quotidie mittebat Bonifacium sibi a consiliis, qui eum doceret, & ad pœnitentiam provocaret. Deinde retulit exemplum S. Meletii, quem

quem omnes tanquam Episcopum Antiochenum venerati essent, etiamsi ab Arianis ordinatum, Tarasius exemplum quorumdam aliorum Episcoporum attulit, quibus in Sexta Synodo sedere datum, quamvis a Sergio, Pyrrho, Paulo, & Petro Patriarchis Constantinopolitanis Monothelitis ordinati essent. Hic Constantinus Episcopus Cyprensis dixit: *Satis jam demonstratum, ab Hæreticis ordinatos esse recipiendos, nisi in fraudem Fidei & de industria ab Hæreticis voluerint ordinari.* (*) Tum recitata epistola S. Basilii ad Nicopolitanos data, Tarasius subjunxit: *Præsertim si præsto fuerint Episcopi Catholici, qui eos ordinare potuissent.* Et soluto circa illum locum dubio addidit: *Patres ubique inter se consentiunt, nullus contradicit; illique solum, qui eorum mentem non penetrant, nec morem & Disciplinam noverunt, adversantur.*

Sæcul. VIII. A. C. 787.

Sup. l. XIV. §. 31. p. 91.

p. 64.

Tandem sublata omni difficultate de recipiendis Hæreticis, illisque, quos Hæretici ordinarunt, jussit Concilium, ut septem Episcopi accusati suos Libellos concordiæ legerent. Eos ergo recitarunt Confessioni Basilii Ancyrani consentaneos.

(*) Ex his verbis apparet, Patres de valore intrinseco Ordinationis non moviſſe Quæstionem.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

neos. At eorum Reconciliatio ad aliam Sessionem dilata. Et tunc quidem postquam Patres per modum orationis pro incolumitate Irenis & Constantini acclamassent, discessum est.

§. XXXII.

Sessio secunda. Epistolæ Papæ &c.

Sessio secunda inde post biduum habita, nempe vigesimo sexto Sept. anno septingentesimo octogesimo septimo, jussusque est intrare aliquis Mandatarius Imperatoris, qui adducebat Gregorium Episcopum Neocæsariensem, cupientem reconciliari. Erat is Iconoclastarum celeberrimus, atque inter illos, qui Conciliabulo anno septingentesimo quinquagesimo quarto celebrato interfuerant præcipuus. Tarasio ipsum increpante, quod tam sero resipisceret, fassus est culpam, petiit veniam, eique præceptum, ut Libellum, quo Hæresim abjuraret, in proxima Sessione traderet.

Tum Leontius Notarius monuit, quod in epistolis Imperatoris de epistolis Papæ & Patriarcharum Orientalium mentio fiat; statimque jusserunt Patres, ut legerentur. Primo lecta est versio Græca Epistolæ Hadriani Papæ ad Imperatorem & Imperatricem; sed tota non erat descripta. Omissa enim fuerant illa, quæ spectabant ad restitutionem patrimoniorum

Sup. §. 23.

rum S. Petri, & alia Papæ petita, ad Titulum Episcopi universalis Tarasio dati, & inprimis ad ejus Electionem contra Canones factam, cum e statu Laicorum assumptus esset. Nam Græci timebant, ne si ea, quæ in Patriarcha a Sancta Sede reprehendebantur, vulgarentur, Hæretici inde ansam arriperent eidem resistendi, & Auctoritatem Concilii, cui præsidebat, contemnendi. (*) Hinc ultima pars Epistolæ Hadriani Papæ nec in Concilio lecta, nec Actis inserta. Illa igitur Epistola perlecta quæsivit ex Legatis Papæ Tarasius, an hanc a Pontifice accepissent, qui responderunt, quod eam omnino Principibus reddendam acceperint. Sæcul. VIII. A. C. 787. p. 115. *Anast.* p. 119.

Lecta deinde Epistola Papæ ad Tarasium Patriarcham data. Et Legatis Papæ ex eo quærentibus, an ipsi placeret, Tarasius respondit, Papam in utraque Epistola clare & orthodoxe Traditionem Ecclesiæ explicasse. *Et mihi quidem*, inquit, *eadem Fides est; adorandas esse Imagines affectu relativo, dum Fidem & Cultum Latriæ soli Deo reservamus.* Patres omnes p. 122. p. 127. 26. *Sept.*

(*) Advertendum, a Sacra Sede nullum Episcopum, sed solum Presbyteros missos fuisse. Unde præsumptio est, in mandatis non habuisse, ut præsiderent, sed Patriarchæ Constantinopolitani honori aliquid concederent.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

omnes declararunt, in eadem se esse Sententia, & Epistolas Papæ recipere. Joannes Legatus Orientis tam suo quam Thomæ Collegæ sui nomine, tum Agapius Cæsariensis, Joannes Ephesinus, Constantinus Cyprensis, Basilius Ancyranus, Nicolaus Cyzicenus, aliique Episcopi præsentes, numero ducenti sexaginta & unus eandem sibi mentem & Fidem esse professi sunt. Dixit deinde
p. 151. Concilium: *Æquum etiam est, ut admodum Reverendi Monachi Fidem suam confiteantur.* Quærentibus Monachis, an istud Canones præciperent, Tarasius dixit: *Præcipiunt Canones, ut omnes, qui Concilio intersunt, Fidem suam exponant.* Mox Sabas Abbas Studiensis edixit, hanc esse Fidem suam, quam in duabus Epistolis Papa explicasset. Idem confessus est Gregorius Abbas ad S. Sergium, item octo Abbates, & ceteri Monachi omnes. Ita secunda hujus Concilii Sessio finita est.

§. XXXIII.

Sessio Tertia. Epistolæ ex Oriente.

Sessio tertia biduo post habita, nempe vigesimo octavo Sept. anno 787. De-
p. 135. metrius Diaconus, & Custos Thesauri Ecclesiæ Constantinopolitanæ dixit, Epis-
Sup. §. 30. copos, ad Communionem Ecclesiæ recipi postulantes ante fores stare cum Libellis

bellis suis jam lectis. Postquam admissi sunt, jussit Tarasius, ut Gregorius Neocæsariensis, præ cœteris omnibus suspectus, legeret Fidei suæ Confessionem, quæ reliquis consentanea inventa est. Quæsivit Tarasius an sincera esset, &, ipso affirmante, reposuit: *Rumor est, durante persecutione probissimos viros a quibusdam Episcopis gravissime fuisse vexatos, & saltem aliquid rei subesse credimus; sed scitis, in Canone Apostolorum præcipi, ut Episcopus dominandi libidine confratres percutiens deponatur.* Annuit Sacra Synodus, addiditque, Episcopum, si Fideles persecutus fuerit, indignum fore Episcopatu. Verum in hanc rem suo tempore inquiri posse, si essent, qui actionem moverent. Gregorius Neocæsariensis dixit: *Nemo unquam me accusabit, quod sive Constantinopoli sive in patria mea quemquam percusserim vel persecutus fuerim.* Synodus dixit: *Si ita est, Gradum suum repetat.* Joannes vero Logotheta Imperatoris Mandatarius dixit: *Satis sit Synodo, quod Gregorius Neocæsariensis, Pseudo-Concilii Caput, reservatus fuerit in hoc usque tempus, quo ipse Hæresim suam damnavit.* Tandem ex consensu Legatorum Romanorum & Orientis, repugnantibus licet quibusdam Episcopis, receptus est. Alii quoque sex Episcopi, qui id in prima Sessione petierant, scilicet Nicenus,

Sæcul. VIII. A. C. 787.

p. 158.

28. *Sept.*

p. 159.

Sup. §. 28. *Conc. p.* 62.

Sæcul. VIII. A.C. 787.

cenus, Rhodienſis, Iconienſis, Hierapolitanus, Peſſinuntinus, & Carpathienſis, ad Communionem admiſſi.

His actis Conſtantius Epiſcopus ex Cypro dixit: *Perlectis Papæ epiſtolis jam etiam petimus, ut illæ legantur, quæ ex Oriente miſſæ ſunt.* At Legati Orientis petierunt, ut prius legeretur epiſtola Taraſii, quia epiſtolæ a ſe redditæ, ad illam erant reſponſoriæ. Ergo lecta eſt epiſtola Taraſii ad Orientales, cujus ſummam retuli. Tumque Legati Sacræ Sedis dixerunt: *His epiſtolis ſimiles Sanctus Papa noſter accepit, ideoque nos miſit cum reſponſoriis, quæ lectæ ſunt.* Recitatur deinde Epiſtola ad Taraſium nomine Epiſcoporum Orientis data. In ea Orientales de Imperatore Conſtantinopolitano tanquam de Principe & Domino ſuo ſemper loquuntur, hoſtes vero & Tyrannos appellant Arabes, ſub quorum Imperio jam plus annis centum quinquaginta vivebant, & necdum eorum Dominatum patienter ferre didicerant. Narrant modum, quo Taraſii Legati excepti fuerant; deinde ad ipſius epiſtolam reſpondentes, nomine trium Sedium Apoſtolicarum in Oriente profitentur, quod ſex Concilia Oecumenica recipiant, illud vero, quod aliqui ſeptimum dicebant, rejicerent. Tum ſubjungunt: *Si vobis neceſſarium videatur Synodum convocare,*

p. 162.

p. 167.

Concilium Oecumenicum.

p. 170.

Sup. §. 14.

p. 174.

non

non vos turbet absentia trium Patriarcharum, & Episcoporum illis subditorum, cum non propria voluntate absint, sed atrocitate minarum & dira Dominorum, a quibus premuntur, tyrannide perterriti. Clarissimum hujus rei exemplum habetis in Synodo Sexta Oecumenica, cui nullus ex illis Regionibus interfuit Episcopus, quod sub impiorum istorum jugo gemerent; nec tamen eorum absentia Synodi Auctoritati quidquam detraxit, eoque minus, quod Sanctissimus Papa Romanus consentiret, & per Legatos suos adesset. Hæc verba sunt notatu dignissima (*) in ore Orientalium, quorum nihil intererat Romanæ Ecclesiæ adulari. Tum prosequuntur in hunc modum: *Ceterum, ut mentem nostram penitius perspiciatis, huic epistolæ jungimus descriptum exemplar epistolæ Synodicæ Theodori, Sanctæ memoriæ Patriarchæ Jerosolymitani, ab ipso pro more ad Patriarcham Cosmum Alexandrinum, & Theodorum Antiochenum datæ, ad quam etiam responsorias accepit.*

Sæcul. VIII. A. C. 787.

Sup. l. XL. §. 2. tom. 6. Conc. p. 606.

Itaque lecta est hæc Theodori Jerosolymitani Epistola, in qua Fidem suam confitebatur, & sex Concilia Oecumenica sine mentione alterius posterioris re-

p. 185.

(*) Hæc Orientalium professio contra Protestantes valet, & Fleurii Reflexio contra ejusdem Adversarios eum malæ fidei incusantes.

Sæcul. VIII. A.C. 787.

cipiebat. Amplectebatur etiam Traditiones Ecclesiæ de Veneratione Sanctorum, de Reliquiis & eorum Imaginibus.

p. 186. His epistolis lectis Legati Papæ edixerunt; illas utpote epistolis Tarasii & Hadriani consentaneas sibi probari. Deum laudarunt, quod Orientales in eadem Fide de Imaginibus consentirent, & subjunxerunt: *Si quis aliud credit, judicio trecentorum decem & octo Patrum, qui in hoc loco congregati fuerunt* (nimirum in prima Synodo Nicena) *Anathema sit!*

p. 187. pluribus aliis Episcopis profitentibus, se in eadem esse Sententia, tota Synodus

1. *Octobr.* consensit. Postremo Tarasius dixit: *Cessarunt jurgia, destructus est murus,*

p. 194. *quo separabamur. Oriens, Occidens, Septentrio & Meridies Fidei obediunt, omnes concordes sumus.* Ita huic Sessioni acclamando, orando, & Gratias agendo finis impositus.

§. XXXIV.

Sessio IV. Patrum Auctoritas.

Sessio quarta rursus post biduum elapsum habita est primo die Octobris anno septingentesimo octogesimo septimo. Cum Tarasius Patriarcha Libros Patrum ad demonstrandam Ecclesiæ Traditionem afferri jussisset, Leontius Imperatori ab epistolis legere cœpit Sacræ Scripturæ

p. 198. Textus de illis *Cherubim*, qui Arcam Fœderis

deris tegebant, & Templum intus ornabant. Poſtea lectus eſt Textus S. Chryſoſtomi de Sancti Meletii Imaginibus, quas Fideles aſſervabant, & iterum textus alius, ubi de Imaginibus reverenter loquitur. Item Textus S. Gregorii Nyſſeni, ubi ſe ex aſpectu imaginis Abrahami filium ſacrificantis ad affectum pietatis tenere commotum teſtatur. Præterea tabellæ, Martyrium S. Euphemiæ exhibentis, deſcriptio, quæ S. Aſterii Amaſeenſis opus erat. Rurſus locus ex vita S. Anaſtaſii Perſæ, & alius de ejus miraculis. Dixeruntque Papæ Legati: *Hæc imago S. Anaſtaſii hodieque Romæ in quodam Monaſterio, ejusdemque pretioſum Caput aſſervatur.*

Sæcul. VIII. A. C. 787.

Ex. 25. 17. *Num.* 7. 89. *Eze.* 41. 16. *Hebr.* 9. 1. *Sup. l. XIV. p.* 33. *p.* 202. *p.* 207.

Sup. lib. XXXVII. §. 32. *p.* 215.

Ex hoc loco probabatur, Deum occaſione Imaginum miracula patrare, quod ut confirmaretur, lecta eſt Diſſertatio, quæ S. Athanaſii eſſe credebatur. In ea narrabatur miraculum ejusmodi; erat in Civitate Berytenſi JEſu Chriſti Imago a Judæis perforata, ex qua Sanguis profluxiſſe & multos ægrotos ſanaſſe ferebatur. Hoc prodigio audito Synodi Patres usque adeo commoti ſunt, ut lacrymas fuderint. Nihilominus conſtat, hanc Diſſertationem S. Athanaſii opus non eſſe; imo de veritate Hiſtoriæ, quæ in ea refertur, non levis dubitandi cauſa eſt. Hinc quamvis in hac Synodo magna

p. 218.

p. 223.

V. Athan. edit. 1698. *to.* 3. *p.* 343.

1. *Octobr.*

Sæcul. VIII. A. C. 787.

fuerit Episcoporum frequentia, non apparet tamen, quemquam interfuisse, in arte Critica satis versatum, nam plura alia scripta suppositicia lecta sunt. (*) At ista Doctrinæ in Concilio definitæ non nocent, cum illa aliunde textibus Patrum genuinis confirmata fuerit; sed solum dispicitur, multa illo ævo fuisse ignorata, atque ad discernenda Opera Genuina vel Apocrypha necessarium esse, ut temporis, quo scripta sunt, Historia, Chronologia, hominum mores, & stilus cognoscantur.

Lectæ deinde sunt duæ Epistolæ S. Nili, & mota est querela; quod secunda ab Iconoclastis fuisset depravata. Id quoque notatum, in eorum Conciliabulo non Scriptorum ipsorum Libros, sed solum excerpta in foliis separatis fuisse allata. Lectus est postea locus ex Actis S. Maximi, ubi dicitur, quod ipse & Episcopi Monothelitæ, qui ad ipsum convenerant, coram Evangeliis, Cruce, Imaginibus JEsu Christi & S. Virginis genua flexerint, salutaverint, & ad confirmanda sua promissa manu contigerint. Ad hæc

Conc. p. 231.

Sup. Lib. XXXIX. §. 18.

(*) P. Balduinus ad hunc locum dicit, videri sibi Fleurium huic Sancto Concilio, cui Spiritus Sanctus assistebat, injuriam facere. Sed ipse Fleurius verbis, quæ sequuntur, satis suam reflexionem explicat, & purgat.

hæc Constantinus Cyprensis dixit; Cultum hunc fuisse Adorationem, quia simul ad Evangelia, ad Crucem & ad Imagines dirigebatur. Sæcul. VIII. A. C. 787.

Præterea lectus est Canon octogesimus secundus sextæ Synodi, id est, Concilii in Trullo, qui præcipit, JEsum Christum in forma humana pingi loco agni, quem S. Joannes digito monstrat; atque Elias Archipresbyter Ecclesiæ in Blachernis, qui hæc coram Concilii Patribus legebat, fassus est, se olim hac lectione fuisse conversum. Sabas Abbas Studiensis quæsivit, quare hic Canon ex Charta & non ex Libro recitatus fuisset. *Istud ideo factum*, respondit Tarasius, *quia hæc Charta Autographa est, in qua Patres subscripserunt*; Petrus vero Episcopus Nicomediensis Librum obtulit, unde idem Canon est recitatus. Subjunxit Tarasius: *Sunt, qui ex ignorantia contendunt, hos Canones sextæ Synodi non esse. Illis sciendum, quod Synodus sexta, postquam Doctrinam Fidei contra Monothelitas definivisset, anno Constantini decimo quarto fuerit soluta; post quadriennium autem vel quinquennium iidem Patres regnante Justiniano Constantini filio iterum collecti fuerint, & Canones, de quibus hic agimus, condiderint. Quæ res extra dubium posita est. Nam iidem, qui sub Constantino subscripserant, etiam sub*

Concil. VII. p. 234. *Sup. Lib.* XL. §. 51. 1. *Octobr.*

Sæcul. VIII. A. C. 787.

sub Justiniano subscripserunt. Quod ex Scriptura singulorum conformi dispicitur. Mirandi certe locus est, quod Tarasius non magis accurate diem & annum sciverit Conciliorum ante annos non plus centum celebratorum, quorum Acta in manibus habebat, & subscriptionum tempus conferre poterat. Nam sexta Synodus soluta est decimo septimo Sept. anno 681. & Concilium Trullanum non nisi post undecim annos, nempe anno 692. Indictione quinta inchoatum. Præterea alii etiam aderant Episcopi, qui in Synodo sexta non sederant; his quatuor Patriarchæ annumerandi.

Sup. L. XL. §. 27. n. 48

Tum petentibus Legatis lectus est Textus longior ex libro quinto Apologiæ Christianorum contra Judæos, compositio a Leontio Episcopo Napolitano in Cypro, ubi ostendit, quantum Cultus Imaginum ab Idololatria distet. Quo Textu recitato Constantinus Episcopus Constantiæ, illius Provinciæ Metropolitanus, dixit: *Ab hoc Sancto Patre, qui in aliqua Civitate Cypri Insulæ inclaruit, accepimus sermones panegyricos, & inter alios unum in Transfigurationem Domini. Scripsit vitam S. Joannis Eleemosynarii, sancti Simonis, cognomento Salus, & quædam alia opera, ex quibus omnibus Orthodoxus agnoscitur. Floruit Imperatoris Mauritii temporibus.* Accurate

p. 235.

p. 246.

curate magis dixisset sub Heraclio, sub quo S. Joannes Eleemosynarius migravit e vita. Sæcul. VIII. A. C. 787.

Item, lecti sunt aliquot Textus Anastasii Episcopi Antiocheni, ubi agit de voce, *Adoratio*, ut eam a voce *Servitium* seu *Latria* distinguat. Lectus postea aliquis Textus ex Prato spirituali, sub nomine S. Sophronii Jerosolymitani, cum tamen Opus sit Joannis Moschi, ut suo loco diximus. In eo refert Responsum cujusdam Abbatis Theodori, quod quidem est omnino singulare, sed nihilominus Fidem Ecclesiæ de Cultu Imaginum clare probat. Inde etiam Doctrinam verissimam deduxerunt; neminem conscientiæ sibi ducere debere, si non impleat, quod temere juravit. Nam quidam obtendebant excusationem, quod jurassent, nunquam se cultum Imaginibus exhibituros. Concilium Nicenum II. *p.* 247. *p.* 251. *Sup. Lib. XXXVII.* *p.* 254.

Lecta sunt tria Miracula, quæ Imaginibus Sanctorum Cosmæ & Damiani tribuebantur, rursusque aliquot Textus S. Athanasii & S. Basilii, quibus demonstrabatur, honorem Imaginibus exhibitum ad Personam in Imagine repræsentatam referri. At Epistola S. Basilii ad Julianum Apostatam, quæ etiam lecta, fictitia est. Lecti etiam alii Textus ex quorumdam vita, scilicet S. Simeonis Stylitæ, Joannis Jejunatoris Patriarchæ Con- *p.* 255. *p.* 263. *Sup. Lib. XXXV. §.* 47.

Sæcul. VIII. A. C. 787. Constantinopolitani, quem Græci Sanctis adscripserunt, S. Mariæ Ægyptiacæ, & S. Theodori Siceotæ.

p. 282. His omnibus recitatis lecta est Epistola Gregorii II. Papæ anno 730. ad S. Germanum Patriarcham Constantinopolitanum data, & tres Epistolæ S. Germani, una nempe ad Joannem Synnadensem,

Sup. Lib. XLII. §. 2. 3

p. 290. altera ad Constantinum Nacolitanum, & ad Thomam Claudiopolitanum tertia.

p. 298. Harum omnium suo loco meminimus.

p. 318. Tandem Synodi Patres exclamarunt: *Patrum Doctrina emendavit errorem nostrum! in Patribus Veritatem invenimus! ipsi nos docuerunt Imagines honore prosequi! filii obedientiæ sumus, & in facie Ecclesiæ Matris Nostræ non erubescimus confiteri, quod ejus Traditionem sequamur. Anathema Iconoclastis! Anathema illis, qui sacras Imagines non colunt, & illis etiam, qui eas Idola vocant!* Ita plures Anathematismos in Charta descriptos, eosdem scilicet, qui in Fidei Confessione Episcoporum, in prima Sessione ab ipsis tradita, continebantur, pronunciarunt.

Cultus Imaginum asseritur.

Sup. n. 28.

Exinde Euthymius Episcopus Sardensis nomine Concilii legit Fidei Confessionem, in qua explicatis Mysteriis Trinitatis & Incarnationis dicitur: *Non Concilium, nec Imperatorum potentia, nec invidiosa conjuratio Ecclesiam ab impietate*

pietate Idolorum liberavit, ut assidentes in Conciliabulo Judaico adversus Sacras Imagines congregato somniarunt. Deus ipse, Deus, carnem assumens Idololatriam expugnavit. Ipsi soli gloria! amplectimur Doctrinam nobis traditam a Domino, ab Apostolis, & Prophetis; honorandam esse primo loco Dei Matrem, quæ supra omnes Virtutes Cælestes elevata est, tum Angelos, Apostolos, Prophetas, Martyres, Doctores, omnes Sanctos, & eorum Intercessionem nobis esse expetendam, (*) *cum*

Sæcul. VIII. A.C. 787. p. 319. p. 322.

(*) Quid miremur, Interpretem nostrum, aliosque Protestantes Conciliorum Universalium hostes esse manifestos, cum in iis errores suos ante multa Sæcula damnatos cernere cogantur? Quid enim Lutheri alteriusve Novatoris Auctoritas valeat contra Auctoritatem Concilii Universalis, quod Oriens Occidensque recepit? At vero, erravit hoc Concilium Universale! si id respondeant Adversarii, redit Quæstio Protestantibus terribilis; Si Concilium septimum, consentientibus in Cultum & Invocationem Sanctorum quatuor Orientis Patriarchis, & Romano Pontifice, id est, toto orbe Christiano, a sana Doctrina aberravit, & Idololatriam reduxit, ubi tunc Protestantium, contrarium docentium, erat Ecclesia? vel ubi promissum Christi: *Et Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam?* Matth. 16. Hæc in Concilio VII. definita & centena alia in linguam patriam vertit Interpres Pro-

Sæcul. VIII. A. C. 787.

cum nos Deo commendare possint, si modo Divina mandata servemus. Recipimus etiam Crucis Figuram, Sanctorum Reliquias, eorumque Imagines. Amplectimur eas secundum antiquam Traditionem Patrum nostrorum, qui eas in omnibus Ecclesiis, & in omnibus locis, ubi Deo servitur, collocarunt. Has honoramus, has adoramus, nimirum Imaginem JEsu Christi, Sanctæ Matris ejus, & Angelorum; licet enim sine corpore sint, in forma tamen hominum apparuerunt. Honoramus etiam Imagines Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, & aliorum Sanctorum, quia ejusmodi picturæ ipsos Sanctos nostræ memoriæ objiciunt, eorumque Sanctitatis participes nos efficiunt. Huic Fidei Confessioni duo Papæ Legati latine, Patriarcha vero Tarasius, Legati Orientis, & omnes Episcopi, numero trecenti & unus Græce subscripserunt, non numeratis Presbyteris & Diaconis, qui pro Episcopis absentibus nomen apposuerunt. Post Episcopos subscripserunt Abbates trecenti & triginta, quorum primus Abbas Sabas Studiensis fuit. Ita Sessio quarta finita.

4. Octobr.

p. 339.

§. XXXV.

Protestans, quibus luce clarius demonstratur, ipsius Ecclesiam (nisi Hæreticos velut Patres suos velit profiteri) ante Lutherum non extitisse.

§. XXXV.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

Sessio quinta. Conferuntur Iconoclastæ cum Hæreticis.

Sessio quinta post triduum nempe quarto Octobr. anno 787. celebrata. Tarasius Patriarcha dixit: *Novatores, cum Imagines abolere cuperent, imitati sunt Judæos, Saracenos, Paganos, Samaritanos, Manichæos, Phantasmaticos, seu Theopaschitas, ut ex lectione librorum, quos hic videtis, patefiet.* Primo lectus est Textus S. Cyrilli Jerosolymitani, ubi inter scelera a Nabuchodonosore admissa recenset, quod *Cherubim* ex Arca abstulerit. Secundo lecta est Epistola S. Simeonis Stylitæ junioris ad Imperatorem Justinum Juniorem data contra Samaritas, quia Imagines violaverant. Quo audito Constantinus Cyprensis dixit: *Iconoclastæ Samaritis pejores sunt, quos videlicet ignorantia, sicut hos Infideles, non excusat.* p. 346. p. 347. p. 350.

Lectus deinde est Textus Joannis Episcopi Thessalonicensis, ubi Gentilem inducit loquentem in hunc modum: *Vos vero, Christiani, an non in Ecclesiis Sanctorum vestrorum Imagines pingitis, an non adoratis? imo non solum imagines Sanctorum, sed etiam Dei vestri? ita nos quoque Statuas adoramus, non propter ipsas Statuas, sed ut Virtutes incor-*

Sæcul. VIII. A. C. 787. 4. Octobr.

poreas nobis reddamus placabiles. Ad hæc Vir Sanctus reſpondet: *Facimus Imagines Servorum Dei, eosque tales exhibemus, quales fuerunt; vos vero formas fingitis rerum, quæ corpus non habent. Nec Imagines adoramus, ſed Perſonas, quæ repræſentantur; rurſusque non adoramus tanquam Deos, abſit! ſed tanquam Servos & Amicos Dei, qui gratia apud Deum valent, & pro nobis orant. Dei quoque Imagines facimus, id eſt, JEſu Chriſti, non quatenus Deus eſt, nam Deus Spiritus eſt ſine omni figura; ſed poſtquam pro nobis factus eſt homo, ipſius Humanitatem pingimus. Demus id vobis, inquit Gentilis, quomodo autem excuſabitis, quod Angelos veluti homines depingitis?* Inter alia reſpondet Vir Sanctus: *Angelos in ſpecie humana repræſentamus, quia ſæpe illis, ad quos a Deo miſſi ſunt, ſub ſpecie virili apparuerunt.*

Porro lecta ſunt excerpta cujusdam Judæi diſputantis adverſus Chriſtianum &, quamvis jam converſus eſſet, dicentis, ſcandalo ſibi eſſe, quod Chriſtiani adorando Imagines Scripturæ præceptum violent. Chriſtianus reſpondet: *Scriptura nobis prohibet, ne Deum novum adoremus, aut ſimulacrum, tanquam Deum. Ceterum Imagines, quas inter nos vides, memoriam Incarnationis JEſu Chriſti conſervant, nobisque ejus vultum oſtendunt.*

dunt. Imagines Sanctorum nobis eorum contra Dæmonem certamina & Victorias exhibent. Dum Sanctos adoramus, Deum invocamus, & dicimus: Benedictus sis Domine Deus hujus Sancti & omnium Sanctorum, qui dedisti eis virtutem patientiæ, & dignos Cives Regni tui effeciſti, da ut gloriæ eorum fiamus participes, & salva nos per eorum Intercessionem. Ceterum ipse Moyses Anaglypha, scilicet duos Cherubim Arcæ, & Serpentem æneum fabricari jussit. Sæcul. VIII. A. C. 787.

Lectus est etiam Textus ex Libro quodam apocrypho, cui titulus: *Itinera Apostolorum.* In eo narratur aliquis Nicomedes nomine imaginem S. Joannis se jubente depictam in suo cubiculo collocasse, eandem coronasse floribus, atque ante eam Altaria & Lucernas posuisse, quod S. Joanni minime probatum fuisset, tanquam Idololatriæ vestigium. Ibidem inducebatur S. Joannes dicens, JEsum Christum non habuisse verum corpus, eumque illo temporis spatio, quo Judæi ipsum e Cruce pendentem cernere sibi videbantur, omnis figuræ expertem supra Crucem e luce purissima formatam extitisse. *p.* 358. Sessio quinta *p.* 359.

Conjectura est, eundem esse librum, qui in Synopsi S. Athanasio adscripta, *Itinera S. Joannis*, vocatur. Hunc vero sacra Synodus utpote Evangelio con- *Ap. Athan. to. 2. p. 202.*

Sæcul. VIII. A. C. 787.

trarium cum horrore rejecit. Constantinus Cyprensis dixit: *Pseudo-Synodus falsam Doctrinam ex hoc libro hausit.* p. 262. Et Gregorius Neocæsariensis addidit: *In eo historia Lycomedis narrabatur.*

Tum Petronax Imperatoris Mandatarius interrogavit, an in Conciliabulo ipsi Libri lecti fuissent, atque Gregorio Neocæsariensi & Theodosio Amoriensi respondentibus, & Deum testem invocantibus, Sup. n. 32. aliqua solummodo ex foliis seConc. p. 230. paratis fuisse recitata, Sacra Synodus prohibuit, ne quis fictitium istud Itinerarium Apostolorum describeret, sed flammis tradi jussit.

p. 366. Tum Tarasius Patriarcha dixit: *Imaginum hostes adduxerunt testimonium Eusebii ex Epistola ipsius ad Constantiam Licinii uxorem. Videamus ergo, quid Eusebius sentiat.* Lecti sunt textus Eusebii Pamphili, in quibus Arium olet. Item locus Antipatri Episcopi Bostrensis, p. 367. ubi concedit, Eusebium fuisse Virum ex plurimorum librorum lectione eruditissimum, sed in Dogmate vacillasse. Le4. Octobr. p. 370. cti sunt duo Textus ex Historia ad Xenajam Iconoclastam pertinente, qui inter alia dicebat, Columbam illam, qua Sup. Lib. XXX. §. 18. Spiritus Sanctus repræsentatur, Idolum esse & inventum puerile, in hoc Articu- L. XXXI. §. 39. lo sicut & in ceteris Severo Acephalorum Principi consentiens. Ad hæc Ta- Conc. p. 371. rasius

rasius Adnotationem subjunxit: *Si Patres nostri pium judicarunt, Columbas pingere ad exhibendum Spiritum Sanctum, quanto magis licebit pingere Imaginem Verbi Incarnati, quod in terra apparuit?* Sæcul. VIII. A. C. 787.

Constantinus Diaconus dixit: *Cum primum Thesauro Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfectus fui, commentario diligenter perlecto deprehendi, duos Libros desiderari, imaginibus argenteis ornatos. Inquirenti, in quorum manus devenissent, responsum, ab Hæreticis fuisse combustos. Inveni alium Constantini Tabularum Custodis librum, ubi materiam de Sanctis Imaginibus tractat, unde folia, in quibus Cultus Imaginum commendabatur, exciderunt.* Simul librum aperit, & lacerata folia ostendit. Leontius Notarius Patres monuit, ut adverterent, Iconoclastas peperciisse hujus Libri tegmini, compacto ex laminis argenteis, quas multæ Sanctorum Imagines ornabant, dixitque: *Scriptione destructa rem ipsam reliquerunt intactam. Quanta hominum insania!* Leo Episcopus Phoceensis dixit: *In Civitate nostra Iconum hostes plusquam triginta volumina igni tradiderunt.* Nihilominus lectus est aliquis locus Constantini Tabulis præfecti contra Iconoclastas, nam quædam alia hujus Operis exemplaria fue- Iconoclastæ. p. 374.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

rant ab interitu vindicata. Alius Diaconus nomine Cosmas dixit: *Invenimus in Palatio Patriarchali Volumen Veteris Testamenti cum Scholiis; unum vero, quod ad stabiliendum imaginum Cultum scriptum erat, deleverunt, ita tamen, ut adhuc aliquantulum appareat.* Ecce! simul libro aperto omnibus fraudem o-

Exod. 20. 3. stendit. Legit deinde scholium, quod in locum Idola prohibentem scriptum erat. Dixitque Tarasius: *Hæc fraus fuit Antipatriarcharum Hæreticorum*

p. 378. *Anastasii, Constantini, & Nicetæ.* Dia-

4. *Octobr.* conus Cosmas subjunxit: *Nos istud Volumen invenimus in Sacrario Oratorii Palatii Patriarchalis, multorum Martyrum Acta, atque etiam Tractatum de Imagine Camulianorum, miraculis clara, comprehendens. Folia autem, quæ de hac Imagine tractabant, excisa sunt. Ecce volumen omnibus ostendo.* Stephanus Monachus exhibuit aliud volumen, cum lituris in duabus paginis. Visebantur hæ lituræ in illo loco Historiæ Ecclesi-

Evagr. IV. hist. c. 26. sticæ Evagrii, ubi JEsu Christi Imaginem Edessam ad Abgarum missam memorat, lectusque est hic locus in alio exemplari.

p. 382. Lecti tandem sunt aliquot Textus ex Prato spirituali, cumque Stephanus Monachus Excerpta ex quindecim aliis voluminibus legenda offerret, judicavit

Sacra

Sacra Synodus, ea sufficere, quæ lecta fuerant. Tarasius autem subjunxit: *In Lectionibus præcedentibus indicatum est, Hebræos, Gentiles, Samaritas, Manichæos & Phantasiastas ausos fuisse Ecclesiam ob Cultum venerabilium Imaginum in culpam trahere; modo autem æquum est, audire Fratrem nostrum Joannem Legatum Orientis; habet enim quædam de origine subversionis Imaginum.* Tum Joannes legit ex Charta Historiam de Judæo *Sarantapecby*, qui Califæ Ezido persuasit, ut Imagines subverteret, sicut suo loco narravimus. Sæcul. VIII. A. C. 787. p. 383. Concil. VII. p. 386. *Sup. Lib. XLI.* §. 41.

His perlectis Episcopus Messinensis dixit: *Et ego puerulus eram in Syria, quando Saracenorum Princeps Imagines subvertit.* p. 387.

Sabas Præses Studii dixit: *Petimus, ut pro more Imagines suis in locis restituantur, & cum populus inter preces publicas procedit, portentur.* Sacra Synodo hæc approbante Petrus Archipresbyter Legatus Papæ Chartam (*) legit,

(*) Observatu dignum hic est, quod in hac Charta, quam Petrus Summi Pontificis Legatus legit, Patriarchæ Constantinopolitano titulus Patriarchæ Universalis tribuebatur; ita enim verba sonant in Versione altera Synodi Oecumenicæ VII. Tomo IV. Edit. Parisiensis. *Petrus devo-*

Sæcul. VIII. A. C. 787.

petebatque a Sacra Synodo, ut in medium veneranda Imago afferretur, eamque omnes salutarent. Deinde, ut omnia, quæ scripta essent adversus Sacras Imagines, igni manciparentur. Respondit Sacra Synodus: *Veniat Sacra Imago. Fiat!* ita, postquam Patres sæpius de more proclamassent, Actio quinta soluta est.

§. XXXVI.

Sessio sexta. Concilium Constantinopolitanum refellitur.

Sexta Sessione biduo post quintam habita nihil aliud actum, quam quod Refutatio Fidei Definitionis in Conciliabulo Iconoclastarum Constantinopoli anno 754. editæ lecta fuerit. Hæc Refutatio dividebatur in sex Tomos. Joan-

6. Octobr.

nes

---

devotissimus Presbyter, locum retinens Sanctissimi Papæ Romani, e Charta legit: Tarasio Sanctissimo Archiepiscopo Constantinopoleos novæ Romæ, & universali Patriarchæ, & omni Sacræ Universali Synodo Petrus Primas Presbyterorum Sanctissimæ Ecclesiæ Sancti & omnibus Sæculis celebrati Petri Apostoli, & Petrus Presbyter & Præses S. Sabæ, ambo Vicarii Hadriani Sanctissimi Papæ veteris Romæ, Justum censemus &c.

Nempe amori pacis & Ecclesiarum concordiæ, aliquid dandum fuit.

nes Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ primam legit partem, secundam vero Epiphanius Diaconus, & Textum Conciliabuli legebat Gregorius Episcopus Neocæsarienſis ex numero illorum, qui Pseudo-Concilio præfuerant. Contra Titulum, qui præpositus fuerat in hunc modum: Definitio Sanctæ Magnæ & Universalis Synodi, in Refutatione dicitur: *Quomodo Synodus est Universalis, quam nec omnes receperunt, nec approbarunt, sed aliarum Ecclesiarum Episcopi Anathemate devoverunt? in quam Episcopus Romanus,* (*) *& Episcopi qui apud eum sunt nec per Legatos nec per Epistolas Provinciales, quemadmodum in Synodis fieri debet, non consenserunt? Quin etiam neque concordantes sibi habuit Patriarchas Orientis Alexandrinum, inquam, Antiochenum, Jerosolymitanum, neque eorum Mystas & Sacerdotes?* Sæcul. VIII. A. C. 787. p. 395.

Pseudo-Synodus dicit: *JEsus Christus reduxit nos ab Idolorum cultu & errore; sed in Spiritu & Veritate adorationem nos docuit.* Ad hoc respondet Sacra Synodus: *Quomodo ergo rursus* p. 42. Sup. Lib. XLIII. §. 13

(*) En! rursus contra Protestantes testimonium clarissimum, sine Communicatione cum Romano Pontifice nullam Synodum legitime celebrari posse.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

p. 403.

sus in Idololatriam inciderunt, qui in eum credunt? Nam, Regnum illius Regnum sempiternum. Non quemadmodum terreni Reges, qui nunc quidem Victoria superiores, nunc vero inferiores videntur, ita quoque Deus; verum ejus victoria in Sæcula perdurat, non *pœnitenda enim Dona Dei.* Quasi Sacra Synodus diceret: *Injuriam JEsu Christo facit,* (*) *qui totam Ecclesiam Idololatriæ accusat.* Concilium Constantinopolitanum dicit, quod sex Sacræ priores Synodi Oecumenicæ Ecclesiam conservaverint incontaminatam. Concilium Nicenum respondet: *Ab eo tempore quo celebrata est Sacrosancta Synodus Oecumenica usque ad Conciliabulum illorum, qui contra Imagines steterunt, non plus quam septuaginta annis lapsis*

Rom. 11. 29.

(*) Auf diese Stelle würde der Herr Mosheim keine zureichende Antwort ertheilen können, indem er kein Bedenken gehabt zu schreiben in der Vorrede zu der Geschichte der Schlangenbrüder; Wenn auch GOtt zugelassen hätte, daß die Kirche durch viele Jahrhundert im Irrthum gesessen wäre, könne niemand als ein Unsinniger von den Protestanten verlangen, daß sie wegen der göttlichen Verordnung Rechenschaft geben sollen. Weil er nämlich auf die Frage: Wo war eine Kirche vor Luther? nichts vernünftiges antworten kann, so geräth er auf solche Ausschweifungen.

lapsi sunt. Omnibus autem notum est, Sæcul. VIII.
neutiquam illo temporis spatio Imagi- A. C. 787.
num picturas fuisse introductas, sed mos Icones colendi sexta Synodo antiquior est, imo (ut verius loquar) ab Apostolorum Prædicatione extitit, quemadmodum in omni loco ex Templis Sacris docemur, id quod & Patres Sancti, & Historiarum Scriptores tradunt. Refert p. 406.
deinde Canonem Concilii in Trullo, quod Can. 80.
tanquam supplementum sextæ Synodi habet, ubi de pictura *Agnus Dei* agitur.

Concilium Constantinopolitanum dicit: *Christianis sensim in Idololatriam relapsis Deus fideles nostros Imperatores suscitavit, Apostolorum imitatores, peritos ad componendam quæ inter nos* p. 411.
est contentionem, & ad Diabolicæ fraudis munitionem evertendam. Concilium Sessio sexta.
Nicenum nefandæ adulationis impietatem redarguit, dicitque, horum Episcoporum Constantinopoli congregatorum p. 414.
fuisse Christianos docere & ad perfectionem ducere, cum ipsis Traditiones Apo- p. 423.
stolicæ essent concreditæ.

Ceterum quoties de Actis in sexta p. 422.
Synodo mentio recurrit, tam Conciliabulum Constantinopolitanum quam secundum Nicenum semper inter damnatos Honorium Papam nominant, Legatis Papæ præsentibus & dissimulantibus.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

tibus. Quod hic semel notasse sufficiat.

p. 430. In refutatione deinde demonstratur, Concilium Constantinopolitanum in articulo de Imaginibus JEsu Christi sibi ipsi adversari, dum Catholicos accusat, quod simul utramque Hæresim Nestorii & Eutychis propugnarent, quod esset impossibile, cum duæ illæ Hæreses directe sibi opponantur. Ad Sophismata Iconoclastarum

p. 435. responderetur; JEsum Christum pingi in illa Natura, in qua nobis fuisset visibilis, Imaginem vero tantum ipsius nomen gerere, sed substantiam non

p. 439. inesse. Nec idcirco a nobis duas Naturas dividi, cum potius Imago Humanitatis in nobis Ideam totius JEsu Christi

p. 427. id est Verbi Incarnati excitet, sicut imago hominis puri in nobis ideam animæ corporisque ipsius producit.

§. XXXVII.

Objectio ab Evchariſtia petita.

Sup. Lib. XLIII. §. 6. Quod spectat ad Objectionem petitam ab Evchariſtia, de qua Concilium Constantinopolitanum dicebat, solam esse JEsu Christi Imaginem, quam venerari

p. 447. Christianis liceret, Concilium Nicenum

p. 50. respondet in hunc modum: *Nullus Apostolorum aut Patrum unquam dixit; Sacrificium incruentum esse Imaginem Corporis JEsu Christi, non enim hanc Doctri-*

Doctrinam ab ipso acceperant. Non di- Sæcul. VIII.
xit ad eos; accipite, manducate imagi- A. C. 787.
nem corporis mei. Sed, accipite & man-
ducate, hoc est corpus meum. Igitur sa-
tis exploratum est, nec Dominum, nec
Apostolos, nec Patres unquam dixisse, Sa-
crificium incruentum a Sacerdote obla-
tum, imaginem esse, sed ipsum corpus, &
ipsum sanguinem. Id quidem inficias ire
non possumus, aliquos ex SS. Patribus
ante Consecrationem Sacra Dona vo-
casse Antitypa, nempe S. Eustathium,
Arianorum hostem formidandum, & S.
Basilium; at vero post consecrationem
nominantur, sunt, (*) *& proprie credun-*
tur Corpus & Sanguis JEsu Christi.
Hac Doctrina contempta egregii homuli
(nempe Iconoclastæ) *ut Sacras imagines*
abolerent, aliam imaginem introduxe-
runt, imo non imaginem, sed corpus &
sanguinem, qua in re magnam quidem suam
ignorantiam, majorem vero impietatem
prodiderunt. Tum a mendacio paululum
divertentes ad veritatem accedere viden-
tur,

(*) Hæc omnia satis accurate lingua vernacula reddit Interpres Fleurii Protestans, mille in hac Versione contra Religionem suam scribens, testimonia, quæ refutare non potest. Ceterum Cave natione Anglus dicere non erubescit Paschasium primum fuisse, qui hanc Doctrinam in medium attulerit.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

tur, dicentes, esse Corpus Divinum. Ita in incerta rapiuntur, & tanta est opinionum perturbatio, ut jam Sanctum Sacrificium JEsu Christi Corporis imaginem, jam ex ipsius Institutione corpus esse affirment.

Quod hic in Refutatione falsi Concilii dicitur, nullum ex Patribus aliquando Evchariſtiæ nomen imaginis tribuisse, accipi debet de imagine vulgari, quæ rei depictæ ſpeciem ſolummodo exhibet, ipſam rem vero non continet, de ejusmodi enim imaginibus quæſtio inter Orthodoxos & Iconomachos movebatur. Sed illud negari non poteſt, Patres Latinos non nunquam dicere, Evchariſtiam

6. Octob.

esse Figuram seu Signum Corporis JEsu Christi, ſicut nos Evchariſtiam plerumque Sacramentum appellamus, & a Patribus Græcis non nunquam Typum vel Antitypum etiam poſt conſecrationem dici. At nullibi lego, Evchariſtiam a quoquam Græcorum *iconem*, nec a quoquam Latinorum *imaginem* dici. Verum, quamvis etiam Patres Niceni hæc Antiquorum loca non ſatis accurate examinaſſent, duo tamen evidenter conſtant, inprimis ipſos credidiſſe, Evchariſtiam eſſe proprium & verum Corpus JEſu Chriſti, deinde ab ipſis Iconoclaſtas nullatenus accuſari, quod aliud crederent.

Perron. Evch. l. II. p. 648.

perpetuité lib. VII. c. 7.

Con-

Concilium Constantinopolitanum, ut probaret, Imagines a Traditione Apostolica originem non ducere, dicit, eas nullis precibus & nulla consecratione sanctificari, sed tales remanere, quales pictor feciſſet. Concilium Nicenum id non negat, sed dicit, dari inter nos multas res, quæ sine alia consecratione solo nomine sanctæ essent. In exemplum adducit figuram Crucis, quam nihilominus adoramus, & cujus signum fronti imprimimus vel in aere ad fugandos Dæmones digito formamus. *Ita etiam*, inquit, *veneramur imagines propter nomen, quod gerunt, & personam, quam repræsentant. Credimus aliquam Sanctificationem recipere osculando Vasa Sacra, etiam nulla Benedictione consecrata.* Sæcul. VIII. A.C. 787. p. 451. p. 454.

Hodieque in Euchologio Græcorum nec preces nec Benedictiones ad Cruces, imagines & Vasa Sacra sanctificanda invenire est.

Tum Episcopi Niceni ad Textus Scripturæ & Patrum a Constantinopolitanis objectos respondent, & firmissime Traditione & Ecclesiæ infallibilitate nituntur. Ubi respondent ad Decretum Concilii Constantinopolitani, ostendunt illud sibi ipsi esse oppositum, quod Episcopi, damnatis universim Ecclesiarum imaginibus, eas tamen in Vasis & ornamentis rema-

Sæcul. VIII. A. C. 787.

remanere jubeant, vetentque eas violari, aut ad usus profanos adhiberi. Tandem respondentes ad Anathema Germano, Georgio, & *Mansur* dicto, magnos tres Viros S. Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, S. Georgium Cyprensem, & S. Joannem Damascenum insigni elogio extollunt.

§. XXXVIII.

Sessio septima. Definitio Fidei.

Exinde elapso octiduo Concilii Niceni Sessio septima decimo tertio Octobris anno 787. habita.

Theodorus Episcopus Taurianensis Fidei Definitionem a Sacra Synodo concinnatam legit in hunc modum: *Definimus cum omni diligentia & cura, ut Sanctæ Imagines ex coloribus, sive ex tessellis, sive ex quacunque alia materia commode parata, sicut etiam figura Crucis, in Ecclesiis, in Vasis & Vestibus sacris, in parietibus & tabulis in domibus privatis & viis publicis collocentur, maxime autem Imago Domini Nostri JEsu Christi, Sanctæ ejus Genitricis, Angelorum, omniumque Sanctorum. Nam quo sæpius Christiani eorum imagines inspiciunt, eo magis ad Prototyporum memoriam accedunt, & desiderio tenentur. His Imaginibus salutationis & adorationis honor exhibeatur, non autem vera La-*

tri-

tria, quam Fides noſtra imperat, & ſoli Divinæ Naturæ competit. Oblationes tamen ſuffitorum & luminarium fiant ad eundem modum, quo Crux, Evangelia, aliæque Res Sacræ coluntur, idque a veteribus Chriſtianis in conſuetudinem adductum eſt. Imaginis enim honor in Prototypum reſultat, & qui adorat imaginem, in ea adorat deſcriptum argumentum. Sic Patrum noſtrorum Diſciplina obtinet, & Eccleſiæ Catholicæ docet Traditio. Sic S. Pauli Præcepto inhærentes, ſervamus Traditiones, quas ſuſcepimus. Igitur qui auſi fuerint aliud ſentire, aut docere, aut more impiorum Hæreticorum Eccleſiæ Traditiones contaminare, aut novam afferre Doctrinam contra conſuetudines Eccleſiæ, Evangelium, Crucem, Imagines, & Sanctorum Reliquias, aut Vaſa Sacra, aut venerabilia Monaſteria violare, ſi fuerint Epiſcopi aut Clerici deponuntor, ſi Monachi vel Laici Communione privantor.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

1. *Theſſ.* 2. 14 *p.* 558.

13. *Octobr.*

Huic Decreto ſubſcripſerunt Legati, (*) omnesque Epiſcopi numero trecenti *p.* 575.

(*) Et quidem omnium primi ante Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui tertius nomen appoſuit in hunc modum: *Taraſius miſeratione Divina Epiſcopus Conſtantinopolita-*

Sæcul. VIII. A. C. 787.

centi cum quibusdam Presbyteris & Diaconis qui nomine Episcoporum absentium manum apposuerunt. Postquam deinde Sacra Synodus multis acclamationibus suum consensum manifestasset,

Sessio septima.

Concilio Constantinopolitano contra Imagines celebrato, & quibusdam Viris nominatim, nempe Theodosio Episcopo Ephesino, Sisinnio cognomento Pastillæ, Basilio Tricacabo, Anastasio, Constantino & Nicetæ Patriarchis Constantinopolitanis, Theodoro, Antonio, Joanni, Theo-

p. 578.

doro Syracusano cognomento *Critbin*, Joanni Nicomediensi & Constantino Nacoliensi Hæresiarchis Anathema dixit. Econtra æternam memoriam & vitam precati sunt Patres S. Germano Constantinopolitano, S. Joanni Damasceno, & S. Georgio ex Cypro, quos Pseudo Concilium anathematizaverat.

His omnibus peractis, Tarasii & totius Synodi nomine scriptæ sunt duæ Epistolæ, altera ad Imperatorem, Matremque ejus, & altera ad Clericos Civitatis Constantinopolitanæ, ut, quid actum esset, edocerentur. In Epistola ad Impe-

p. 782.

ratorem vox: *Adoratio, explicatur: Adorare & salutare Synonyma sunt, Gra-*

et

nus novæ Romæ Patrum Dogmatibus insistens & Catholicæ Ecclesiæ adhærens, definiens subscripsi. Secund. Vers. Conc. Nic. II.

ce προσκυνεῖν & ασπάζεσθαι quippe in lin- Sæcul. VIII.
gua Græca antiqua κυνεῖν significat salutare seu osculari, & præpositio προς majorem affectionem exprimit. Eandem Formulam in Sacra Scriptura invenimus, ubi dicitur, quod David vultu in terra fixo Jonatham ter adoraverit, & osculatus fuerit. S. Paulus dicit, quod Jacob 23. Octob.
supremam partem sceptri Joseph adoraverit. In rem istam S. Gregorius Theologus dicit: Honorate Bethlehem, & Præsepe adorate! hac etiam mente quando p. 583.
Cruces salutamus, cantamus: Adoramus Crucem, Domine! & adoramus Lanceam, quæ latus tuum aperuit. Quæ verba nihil aliud manifeste indicant quam salutationem; idemque confirmatur ex eo, quod ista Passionis instrumenta labiis nostris contingamus. Si vero hanc vocem: ADORATIO in Scriptura & in Patribus ad significandum cultum latriæ in Spiritu legimus, inde est, quod hæc vox plures significationes habeat. Datur enim adoratio mixta affectibus honoris, amoris, & timoris, qualis ea est, qua Vestram Majestatem adoramus (hic sermo ad Imperatorem dirigitur) datur oratio, quæ a solo timore proficiscitur, qualis fuit Jacobi Esau adorantis. Datur alia, qua Gratias agimus; hac adoratione A- Gen. 30.
braham filios Heth ob sepulchrum Saræ concessum prosecutus est. Hinc Scriptu-

Sæcul. VIII. A. C. 787.

ra veritatem nos docens dicit: Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies. Gen. 33. 7. *Adoratio ponitur in Scriptura indefinite tanquam vox æquivoca, quæ etiam alii competere possit; sed ad Deum solum restringit latriam, quem cultum soli Deo tribuimus.* Huic Epistolæ non nulli Textus Patrum juncti erant.

§. XXXIX.

Sessio ultima Constantino & Irene præsentibus.

p. 590. Imperator & Imperatrix accepta Epistola ad Tarasium Patriarcham litteras dederunt, quibus mandabant, ut omnes Episcopos Constantinopolim perduceret, cumque adveniissent, diem illa præstituit, nempe vigesimum tertium Octobris ejusdem anni 787. quo congregarentur & ipsa eorum conventui interesset. Hæc igitur Sacræ Synodi Sessio ultima fuit Constantinopoli in ædibus Magnauritanis.

p. 591. Imperatrix cum Filio Imperatore primo loco consedit. Patriarcham deinde Principes invitarunt, ut primus loqueretur, ipsi quoque locuti sunt, & Episcopi magnis acclamationibus respondederunt. Tum Imperator & Imperatrix Concilii Decretum recitari præcipiunt, & interrogant, an omnibus consentientibus fuerit publicatum; quod Episcopi

sæpius acclamando professi, Anathematismos in præcipuos Iconoclastarum repetierunt. Mox Patriarcha Imperatori & Imperatrici obtulit Librum, quo Concilii Definitio continebatur, rogans ut subscriberent. Imperatrix Irene eum prior accepit, & postquam subscripsisset, eundem Constantino Imperatori Filio suo tradidit, qui & ipse subscripsit. Libro postea per manus Stauracii Patritii Patriarchæ reddito præcipiunt, ut Textus Patrum Niceæ lecti & quartæ Sessioni inserti recitarentur, scilicet, ex Panegyrico S. Meletii a S. Chrysostomo composito, ex Panegyrico S. Euphemiæ Auctore S. Asterio Amaseensi, ex Tractatu Joannis Thessalonicensis contra Paganos, ex Epistola S. Simeonis Stylitæ ad Justinum Imperatorem, ex Epistola S. Nili ad Olympiodorum, & sextæ Synodi Canon vigesimus octavus. Inde dispicimus, qui Textus ad convincendos Iconomachos maxime idonei habiti fuerint. Hæc Actio publice celebrabatur, nam populus militesque impleverant Palatium. Lectione finita cuncti præsentes commoti veritatem agnoscere videbantur, sæpiusque acclamarunt Episcopi, cui populus pari clamore respondebat. Tandem Imperatrix Episcopos donis cumulatos ad sua dimisit. Hic fuit exitus Synodi Nicenæ secundæ, Oecumenicæ septimæ,

Sæcul. VIII. A. C. 787.

p. 594.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

ptimæ, cujus Græci in suo Menologio duodecimo die Octobris mentionem faciunt.

§. XL.

Canones septimæ Synodi.

In Synodo Universali Nicena viginti duo Canones conditi. In primo autem præcipitur, ut omnes antiqui Canones observentur, nimirum Canones Apostolorum, Canones sex Conciliorum tam Universalium, quam Provincialium, & Patrum. Qui ad Episcopalem gradum provehitur, Psalterium omnino noverit, eumque Metropolitanus examinet, an prompto paratoque sit animo ad legendos Canones & Sacram Scripturam, cui vitam moresque suos conformet, & populum instruat. Nimirum Iconoclastarum Christianos persequentium furor probissimos quosque ad se remotissimis in locis occultandum coegerat, unde rusticos mores contraxerant, studio litterario incumbendi commoditate privati. Hinc satis est Patribus Concilii exigere, ut summe necessaria sciant, & cetera discere cupiant. Examen, quod Ordinationi Episcoporum præmittitur, hujus Disciplinæ vestigium esse videtur.

tom. 7. Conc. p. 595. c. 2.

Balsam. hic.

c. 3.

Electio Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi facta Magistratus Auctoritate secundum Canones semper nulla sit. Episcopi sub quocunque prætextu aurum vel

vel argentum, aut quamcunque rem a- Sæcul. VIII.
liam ab Episcopis, Clericis vel Monachis A. C. 787.
sibi subditis non exigant. Nemini functiones suas siniſtro affectu impulsi interdicant, aut Ecclesiam claudi jubeant, Officium Divinum interdicant, iram & vindictam in res carentes sensu exercentes. Quod si quis fecerit, eadem mensura eidem retribuatur. In hoc loco *Sup. Lib.* Sacra Synodus videtur simpliciter (*) *XXXIV.* damnare Interdicta localia, quorum ex- §. 53.
empla in Occidente vidimus. Cum quidam Clerici ordinationis suæ causa lar- *Can. 5. & ibi Balsam.*
gas donationes Ecclesiæ feciſſent, id ipsum iisdem tumoris, aliosque, quos merita sua ad eundem Ordinem gratis evexerant, spernendi occasio erat. Horum insolentiam ut Patres premerent, ultimos in Ordine suo stare jubent, & nisi humilientur, graviores pœnas minantur. Canones antiqui contra Simoniam repetuntur. Illæ etiam leges Ecclesiasticæ *c. 6.* confirmantur, quibus Concilia Provin-

(*) Sacra Synodus non videtur mihi Interdicta localia simpliciter damnare, sed tantum affectu pravo pronunciata. Verum nec existimo, quod P. Balduinus ad hunc locum putat, Fleurium voluisse hac Reflexione Hæreticis favere, sed potius secundum mentem ipsius raro huic Censuræ locum esse oportere, cum nocentes innocentesque eadem pœna involvantur.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

cialia ſingulis annis celebrari jubentur, & Excommunicatio pronunciatur contra Magiſtratus, quicunque iis celebrandis obſtacula poſuerint. Epiſcopi Metropolitæ ab Epiſcopis ad Synodum venientibus vel equum vel quæcunque alia, quibus ad iter faciendum inſtructi ſunt, non exigant.

Canones Synodi Nicenæ ſecundæ.

c. 7. Iconoclaſtæ Reliquiarum hoſtes, contemptis Traditionibus, nulla Sanctorum Martyrum oſſa in Eccleſias recens ædificatas inferebant. Hinc Sacra Synodus præcipit, ut in Eccleſiis, in quibus nullæ ſunt, inter conſuetas preces Reliquiæ deponantur, & Epiſcopis cum comminatione Depoſitionis prohibet, ne ullam Eccleſiam ſine Reliquiis conſecrent.

c. 9. Omnes Iconoclaſtarum libri ad Palatium Patriarchale Conſtantinopolitanum deferantur, inter libros ceterorum Hæreticorum aſſervandi. Nemini eos ſub pœna Depoſitionis vel Excommunicationis occultare liceat.

c. 10. Multi Clerici vagabundi Conſtantinopolim veniebant, Viris potentibus adulabantur, & in eorum Oratoriis Miſſam legebant. Sacra Synodus prohibet, ne ejusmodi Clerici in quamcumque domum vel locum ſine licentia ſui Epiſcopi & Patriarchæ Conſtantinopolitani recipiantur.

c. 14. Et qui licentiam in domibus Optimatum manendi obtinuerunt, negotia tem-

temporalia non curent, sed parvulos aut familiares instruant, & Sacram Scripturam prælegant. Sæcul. VIII. A. C. 787.

Nemo in Ecclesia ex suggestu legat, nisi impositionem manuum Episcopi, id est, Ordinem Lectorum acceperit, etiamsi Tonsuram habeat. Idem statuitur de Monachis; sed Abbati licet ordinare Lectorem in suo Monasterio, si modo ipse Presbyter sit, & impositionem manuum Abbatibus dari solitam ab Episcopo acceperit. Chorepiscopis quoque, accepta Episcopi licentia, Lectores ordinare permissum sit.

Clericus duarum Ecclesiarum Syllabis non adscribatur; sed qui non habet, unde sustentetur, aliquam artem exercendam sibi deligat, quæ inopiam sublevet. Hæc Regula solum de Clericis in Civitate Constantinopolitana degentibus accipienda est, nam ruri duabus Ecclesiis servire ob paucitatem hominum licet. Quælibet Ecclesia suum habeat Oeconomum, & si aliquæ non habeant, Metropolita Ecclesiis Episcopalibus, & Patriarcha Ecclesiis Metropoliticis Procuratorem constituat. c. 15. c. 11.

Iconoclastæ odium in Monachos eo usque extendebant, ut omnes illos, quos modestia in vestitu commendabat, deriderent; unde vestium luxus inter Clericos irrepsit. Itaque Sacra Synodus o- c. 16. c. 13.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

mnibus Clericis prohibet, ne incedant ſplendidis & inſignibus veſtibus, non ex ſerica textura variatis, nec alieni coloris additamentis ſplendentibus. Nec etiam unguentis delibuti prodeant. Domus Epiſcopales & Monaſteria ab Iconoclaſtis ad uſus profanos converſa reſtitui jubentur. Simonia in recipiendis Novitiis ad Monaſteria ſub iisdem pœnis ac in Ordinationibus prohibetur, videlicet Abbas Clericus ob hanc rem deponendus eſt, Abbatiſſa autem vel Abbas Laicus dejiciendus, & in aliud Monaſterium detrudendus. Quod autem Parentes dotis nomine offerunt, aut quod neo-ſuſceptus ex propriis bonis affert, Monaſterio acquiratur, ſive Monachus ille in Monaſterio remaneat, ſive diſcedat, niſi forte ex Præpoſiti ſui culpa diſcedere compellatur.

c. 19.

Canones.

c. 20.

Ergo Synodus non prohibet omnino ab ingredientibus Monaſterium quidquam accipi, ſed ſolum pacta Simoniaca removet.

c. 22.

Monaſteria duplicia virorum nempe & fœminarum impoſterum non ædificentur, quæ vero jam fundata ſunt, ſecundum Regulam S. Baſilii permaneant. Monachi in Monaſteriis fœminarum nunquam dormiant, nec cum Sanctimoniali aut alia muliere, niſi magna neceſſitas ſuaſerit, comedant.

Quidam

Quidam Judæi conversionem simulabant, & secreto judaizabant. Sacra Synodus prohibet, ne tales ad Communionem, nec ad preces, nec ad ingressum Ecclesiæ admittantur. Liberi eorum non baptizentur, nec ipsis mancipia coemere liceat. Sæcul. VIII. A. C. 787. c. 8.

Istud de emptione mancipiorum Christianorum intelligendum. Hæc in Canonibus septimæ Synodi notatu digna mihi visa. *v. th. Balf.*

Tarasius Patriarcha datis ad Papam litteris, de omnibus quæ acta fuerant, præsertim de recepta ipsius Epistola rationem reddidit. Significabat etiam, Constantinum & Irenem Sanctas Imagines ubique tam in Ecclesias quam in Palatia reduxisse. Ceterum Tarasius post celebratum Concilium ad eliminandam Simoniam totus incubuit. Scripsit hac de re ad Hadrianum Papam privatam Epistolam, in qua dicit, maximam in conservanda Sacerdotii puritate gloriam consistere. Id ita accipiendum, quod Ecclesia Romana hac ex parte irreprehensibilis esset. De hac re data etiam ad Abbatem, nomine Joannem, Epistola, testatum facit, Monachos ad Synodum querelas attulisse, quod plerique Episcoporum Simoniace essent ordinati. Estque conjectura, istud ansam dedisse ad Canones contra hunc abusum condendos. *To. 7. Conc. p. 523.* *vit. ap. Boll. 25. Febr. to. 5. to. 7. Conc. p. 630.* *p. 639.*

Hadria-

Sæcul. VIII. A. C. 787.

Hadriani Papæ Legati Romam reduces autographum Græcum Actorum Concilii attulerunt, quod Papa, suo jussu in Latinam linguam translatum, in Bibliotheca sua deposuit. Cum vero hæc versio de verbo ad verbum alligata vix intelligi posset, & nemo operæ pretium esse crederet, eam describere aut omnino legere, Anastasius Bibliothecarius permotus est, ut post annos ferme centum alteram Versionem adornaret. Hæc Anastasii Versio, & alia ea antiquior, sed melior quam prima, ad nostram usque ætatem pervenerunt.

Anast. in Hadr.

Id. præf.

§. XLI.

Concilium Calcuthense.

Cum Hadrianus Papa duos Legatos, Gregorium Episcopum Ostiensem, & Theophilactum Episcopum Tudertinum in Angliam misisset, per Franciam commeantibus Rex Carolus, ut Papæ gratum faceret, Vighodum Presbyterum & Abbatem itineris comitem dedit. In Angliam pervenientes primo a Jamberto Archiepiscopo Cantuariensi excepti, inde perrexerunt ad Aulam Offæ Regis Merciorum, cui & Chuniulpho Regi West-Saxonum tunc forte in eundem locum convenienti Epistolas Papæ rediderunt. Consilio deinde cum illis Regibus, Episcopis, & Proceribus inito Legati

to. 6. Conc. p. 1861.

gati in diversa abire statuerunt. Theophilactus Mercios & vicinas regiones adiit. Gregorius vero cum Abbate Vighodo in Nordhumbriam ad Regem Elfuoldum, & Embaldum Archiepiscopum Eboracensem perrexit, sed quia tunc temporis Rex in remota ad Boream provincia commorabatur, Archiepiscopus ad eum misit, qui Legatos adveniisse indicarent. Rex acceptis litteris illico die Concilii inchoandi, & loco, quem *Calcuth* lingua vulgari appellabant, constituto, ipse cum omnibus Episcopis & Proceribus illuc commeavit. Sæcul. VIII. A. C. 787.

In illo Concilio viginti Canones conditi. In quorum primo omnes monentur, ut Fidem Nicænam & sex Conciliorum Universalium firmiter teneant. Necdum enim Synodus septima ad eorum notitiam pervenerat. Alio tempore quam per Canones constituto (scilicet Paschali) Baptismus non conferatur nisi pro magna necessitate. Nullus ex Ministris Altaris nudis cruribus ad Missam celebrandam accedere audeat. Ex cornu bovis calix aut patina non fiat ad offerendum Sacrificium. c. 2.

Reges ab Episcopis & Optimatibus eligantur, ex Toro legitimo procreati sint, in necem Regis nemo conjurare audeat. Generatim vero ex adulterio nati ab omni Successione legitima excluduntur. c. 12. c. 16.

Sæcul. VIII. A.C. 787.

duntur. Hoc Decreto Christiani a commerciis illicitis absterrebantur, maxime cum Potestas Sæcularis Ecclesiasticæ consentiret. Omnia paganæ Superstitionis vestigia tolluntur, Augures, Aruspices, divinatores, incantatores, venefici coercentur. Judices ad sententiam pronunciandam sortes non adhibeant. Res quoque non nullæ indifferentes prohibentur, quale illud erat, quod aliqui more Gentis Pictorum sibi cutem pingerent, vel perforarent. Equi non detruncentur, nares eorum non findantur, aures & caudæ non amputentur, & nemo carnem equinam comedat. Nemo Ecclesiis majora tributa imperet, ac Lex Romana & piorum Principum consuetudo permittat.

c. 3. 19.

c. 14.

Hos Canones a Legatis in Synodo propositos cuncti approbarunt, & subscripserunt adjecto signo Crucis, primus Rex Elfuoldus, deinde Embaldus Archiepiscopus, alii Episcopi quatuor, & duo ab absentibus delegati. Item Duces duo & Abbates duo. Omnesque hæc Decreta fideliter observare polliciti sunt. His ibi peractis Legati, illis comitantibus, qui a Rege Nordhumbriæ, & Archiepiscopo Eboracensi missi fuerant, ad Concilium Merciorum celebrandum commigrarunt. Locus non nominatur, sed adfuere Rex Offa cum Proceribus, &

& Jambertus Archiepiscopus Cantuariensis cum ceteris illius Regionis Episcopis. Lecti sunt ibidem iidem Synodi Calcuthensis Canones, & ex Latino in linguam Teutonicam explicati, ut intelligere omnes possent. Hos se observaturos promiserunt omnes, subscripseruntque, primo Jambertus Archiepiscopus, tum Rex Offa, Episcopi tredecim, Abbates quatuor, Duces tres, & unus Comes. Ita hæc duo Concilia loco Synodi universalis totius Angliæ fuere. Legati datis litteris, & insertis Canonibus Hadriano Papæ omnium actorum rationem reddiderunt. At in illa epistola dicunt, a temporibus S. Augustini Episcopos Romanos præter se nunquam in Angliam fuisse missos; unde produnt, sibi Missionem S. Theodori fuisse ignotam. Sæcul. VIII. A. C. 787. *Sup. lib. XXXIX. §. 43.*

§. XLII.

Carolus tertio Romam proficiscitur.

Interim Rex Carolus, profectione tertia in Italiam suscepta, ibidem hyemem transegerat. Roma deinde Capuam contendens, ut Arigisum Ducem Beneventanum ad obediendum compelleret, initis tamen pactis in fidem recepit, ne diuturno bello Episcopatus & Monasteria vastarentur. In illo itinere quibusdam Ecclesiis videlicet Monasterio S. Vincentii

Sæcul. VIII. A. C. 787.

tii ad Vulturnum, Monasterio Cassinensi, & Ecclesiæ Cathedrali Beneventanæ, Privilegia concessit, Romamque reversus Festum Paschale, quod hoc anno 787. in octavum diem Aprilis incidebat, celebravit, atque ad Donationem Papæ antea factam urbes, quibus nuper Ducem Beneventanum exuerat, nempe Soram, Arces, Aquinum, Arpos, Theanum, & Capuam addidit.

Lauresh. ap. Coint. ann. 787.

Don. Lud. an. 787.

Cum Thassilo Dux Bavariæ, quodam Episcopo, & Abbate Romam missis, Summum Pontificem rogasset, ut Regem, jure merito iratum, sibi reconciliaret, Rexque id Papæ precibus dare vellet, Thassilonis Legati edixerunt, non esse sibi datam potestatem fœderis conditiones pangendi; qua perplexa agendi ratione Papa offensus, in Thassilonem & conscios Anathema pronunciavit, si, quod Regi juravisset, non servaret, & declaravit, hoc Duce in contumacia perseverante Regem ipsiusque exercitum innocentem futurum a cædibus, incendiis, ceterisque cladibus, quas bellum in Bavaria secum tracturum esset. Hic prima vice noto, Papam de belli justitia pronunciasse.

Ann. Loisel. 787.

Dum Festa Paschalia celebrantur, oriuntur rixæ inter Cantores Romanos & Gallos, his dicentibus, elegantiorem esse cantum suum, & Romanis contendenti-

vit. per Mon. Engol. ann. 787.

dentibus, cantum apud se talem fuisse conservatum, qualem S. Gregorius docuisset, a Gallis vero fuisse corruptum. Hac lite ad Regem delata Galli Regis sui patrocinio nixi acrius in Romanos invehebantur, qui econtra sua scientia & S. Gregorii Auctoritate freti adversariis ignorantiam & rusticitatem exprobrabant. Cum itaque jurgiorum non esset finis, Rex e Cantoribus suis quæsivit: *Edicite! ubi puriores aquæ esse solent, in fonte vel in rivo?* Ipsis fatentibus puriorem esse fontem, reposuit Rex: *Ergo fontem repetite, nempe S. Gregorii institutionem; quippe extra dubium est, vos cantum Ecclesiasticum depravasse.* Petiitque a Papa cantores, qui ei dedit Theodorum & Benedictum atque Antiphonaria S. Gregorii ipsius Hadriani Papæ manu more Romano notata. Unde dispicimus, jam illa ætate in cantu usum notarum viguisse. Rex in Franciam reversus ex Cantoribus alterum dedit Metensibus in Austrasia, alterum Suessionensibus in Neustria jubens, ut in omnibus Franciæ Civitatibus Cantorum Magistri eorum se disciplinæ subjicerent, iisque Antiphonaria, quæ plurimi pro suo arbitrio corruperant, traderent emendanda. Ita omnes Cantores Franci Notas Romanas didicerunt, quæ exinde Notæ Francorum dictæ sunt. At guttur obdura-

Sæcul. VIII. A. C. 787.

Sæcul. VIII. A. C. 787.

tum & barbara pronunciatio prohibebant, ne voces tremulas, fecabiles, & molliores perite exprimerent. Ceterum schola Metensis ceteris palmam præripuit, tantum aliis in Gallia scholis præstantior, quantum super ipsam Roma eminebat. Præterea Franci a Cantoribus Romanis Organa tractare didicerunt.

Rex Carolus Roma rediens, adductis secum Magistris Grammaticæ & Arithmeticæ ubique Scholas instituit. Una erat in Regia, id est, in illa Civitate vel oppido, quodcunque Rex intrasset. Item in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus, & in multis Monasteriis. Ceteras omnes illa ætate nominis fama superavit Schola Fuldensis; quod dispicitur ex epistola Caroli ad Laugulfum illius Monasterii Abbatem data, in qua loquitur in hunc modum: utilissimum æstimamus, ut in Episcopatibus & Monasteriis nostræ Ditionis, illi qui idonei sunt, non solum in bonis moribus, sed etiam in scientiis instituantur. Nam cum his ultimis annis epistolas ex diversis Monasteriis acciperemus, deprehendimus, bonum quidem esse earum sensum, sed stilum rudissimum; unde timere cœpimus, ne ignorantia prohiberentur Sacras Scripturas intelligere. Itaque hortamur vos, ut ad litterarum studia incumbatis, & viros aptos ad docendos

to. 6. Conc. p. 1779.
Capit. to. 1. p. 201.

cendos alios deligatis. Eadem epistola ad Metropolitas missa, quæ omnibus Episcopis eorum Suffraganeis, omnibusque Monasteriis communicaretur. Libros quoque veteris & novi Testamenti Exscriptorum ignorantia vitiatos corrigi, & a Paulo Diacono Homiliarum Patrum selectarum collectionem in duobus voluminibus ad officia Nocturna legendam concinnari Carolus jussit, quam ad Lectores omnium Ecclesiarum direxit. Sæcul. VIII. A. C. 787. *ibid. p.* 203.

§. XLIII.

Paulus Diaconus.

Paulus Diaconus doctissimis illius ævi viris merito accensendus, ex Longobardorum Gente ortus, Patre Warnefrido, cujus nomen quoque gerebat, a puero artibus liberalibus instructus, Desiderio Regi ab epistolis fuit, quem in aula omnes maximi faciebant. Rege Desiderio dejecto, Rex Carolus Paulum ob insignem eruditionem apud se retinuit, amavitque; sed elapsis aliquot annis ab invidis accusatus, quod contra Carolum conjurasset, in Insulam ad Italiæ littora sitam relegatur. Annis rursus aliquot ibi exactis fugiens Beneventum venit, ab Arigiso Duce & Adelperga Conjuge, Desiderii Regis filia amice exceptus. Ibi ab Adelperga rogatus Compendium Historiæ Romanæ Eutro- *Sup.* §. 5.

Sæcul. VIII. A. C. 788.

pii a Juliano Apostata usque ad Justinianum prosecutus est. Duce Arigiso hoc anno 787. fatis functo, ad Montem Cassinum se recipiens, Institutum Monasticum sub Abbate Theodemaro amplexus est. Eodem Abbate postulante commentarium in Regulam S. Benedicti elucubravit. Ubi vero ad Regis Caroli notitiam devenit, quod Monasterium esset ingressus, felicem sortem ei gratulari non est dedignatus data epistola versibus latinis concinnata, cui Paulus in eodem scriptionis genere respondit. Ante exilium suum scripserat historiam Episcoporum Metensium ab Episcopo Engerrano stimulatus. Celeberrimum autem Operum ipsius est Historia Longobardorum ab origine hujus Gentis usque ad Pauli ætatem scilicet usque ad Luitprandi Regis mortem deducta.

Anfrag. to. 2. Duchesn. p. 23.

Hist. Long. lib. VI. c. 16.

§. XLIV.

S. Willehadii obitus.

Cum Rex Carolus Wormatiæ versaretur, Saxonia tunc pacata, ad novos Episcopos inducendos animum adjecit, fundavitque Ecclesiam Osnabrugensem in Westphalia, ubi primus Episcopus fuit Viho, S. Bonifacii Discipulus, anno 788. ordinatus. In ulteriorem regionem missus est S. Willehadius, jam pridem Episcopi nomine decoratus, quod in amplissi-

vit. S. Willeh. c. 8. to. 4. Act. SS. Ben. 409. Sup. §. 17.

ma

ma Regione prædicaret. Ordinatus est decimo tertio Julii eodem anno 787. dataque est ei Diœcesis, plures regiones nempe Frisiam Orientalem & partem Saxoniæ complectens. Sedem vero fixit Bremæ, Provinciæ Vigmodiensis ultra Visurgim Metropoli. Anno sequente 788. Regni sui vigesimo primo Carolus Rex huic Ecclesiæ privilegia concessit datis litteris, in quibus dicit, quod conversionis Saxonum causa illos liberet tributo annuo, sibi pendendo, ea conditione, ut JEsu Christo & Sacerdotibus ejus, omnium fructuum suorum & pecorum decimas præbeant. Et subjungit: *Itaque totam eorum regionem pro antiquo Romanorum more in provinciam redegimus, inter Episcopos divisimus, atque in Gratiarum actionem JEsu Christo & Sancto Petro dedimus partem septentrionalem, piscibus abundantem, & ad pascendum pecus pinguem. Ecclesiam quoque, & Cathedram Episcopalem, in loco, quem Bremon appellant, fundavimus. Eidem Diœcesi subjecimus decem regiones, quarum nomina & divisiones antiquas mutavimus, & ad duas provincias, Vigmodensem & Lorgoensem reduximus. Ad construendam hanc Ecclesiam septuaginta domos cum colonis suis, præter totius provinciæ decimas donavimus. Præterea ex mandato Hadriani Papæ, & ex consilio*

Sæcul. VIII. A. C. 788.

Adam hist. l. 1. c. 10.

Mabill. to. 4. act. p. 402.

Episcopatus Osnabrugensis.

Sæcul. VIII. A. C 789.

Lulli Episcopi Moguntini, aliorumque Episcoporum, tunc præsentium Ecclesiam Bremensem Willehadio Viro Sanctæ vitæ commisimus, & Episcopum consecrari curavimus, ut novella Ecclesia secundum ordinem Canonicum & Monasticum erigeretur. Ille vero venerabilis vir ad nos detulit, quod ob Barbarorum incursus, aliasque in his terris frequentes plagas, hæc Diœcesis ad alendos Dei Servos, ibidem operantes, non sufficiat. Hinc cum Dei providentia factum sit, ut Fides in Frisia provincia vicina, æque ac in Saxonia fuerit prædicata, Ecclesiæ Bremensi donamus Frisiæ partem Saxoniæ proximam, & ne quis futuris temporibus huic Diœcesi aliquod terræ spatium detrahere possit, terminos notari jussimus. Postea hæc Frisiæ oppida nominatim enumerantur. Exstat etiam Decretum anni sequentis septingentesimi octogesimi noni, quo Rex Carolus Trutmanum Comitem Saxoniæ creat, mandatque, ut Sacerdotes totius Regionis tueatur.

to. 1. Capit. p. 240.

S. Willehadius post suam Ordinationem non plus duobus annis superstes in omni virtutum genere magis profecit. Is a pueritia rigidæ abstinentiæ assuetus vinum non bibebat, nec ullum potum, qui ebrietatis causa esse posset. Nec etiam carnibus, nec lacte, nec piscibus vescebatur, pane, melle, oleribus & fructibus

vit. c. 9.

ctibus arborum contentus. Verum sub vitæ finem ex Hadriani Papæ præcepto, quia multis infirmitatibus premebatur, adduci se passus est, ut pisces comederet. Singulis ferme diebus inter largas lacrymas Missam celebrabat, & cantabat Psalterium, quod quibusdam diebus bis terve repetebat, præterea lectioni & meditationi verbi Divini continuo intentus. Bremæ magnificam Ecclesiam in Sedem Cathedralem sibi ædificavit, quam ubi die Dominico, primo Novembris anno 789. dedicasset, inde octiduo elapso animam Deo reddidit. Ibidem quoque sepultus multis postea miraculis claruit. Ecclesia ipsius memoriam, illo die, quo obiit, octavo Nov. colit.

Sæcul. VIII. A. C. 789.

c. 10.

Martyr. R. 8. *Nov.*

§. XLV.

Capitulare in Saxonia.

Non sine fundamento ad illud tempus refertur Capitulare Regis Caroli ad Saxoniam præcipue pertinens, & complectens Articulos triginta quatuor, quorum plerique ad confirmandam hanc Ecclesiam nascentem conditi sunt. Qui mihi memoratu digni videbantur, sunt sequentes: Veri Dei Ecclesiis saltem non minor exhibeatur honor ac olim Idolorum templis. Omnes ad eas confugientes Asylum inveniant. In pace ibi sint, donec ultro ad Concilium venerint judi-

Cap. to. 1. *p.* 251.

c. 1.

c. 2.

Sæcul. VIII. A. C. 789.

candi. Sed nec vita priventur, nec mutilentur. Qui Ecclesiam incenderit, vi adhita irruperit, aut quidquam inde abc. 3. stulerit, pœnas morte dabit. Eadem pœna in interfectorem Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi sancitur, id est, hæc c. 5. crimina aliorum criminum modo secundum Barbarorum leges neutiquam data pecunia elui poterant. Item eadem c. 9. mortis pœna statuitur in illos, qui virum aut mulierem, sub eo prætextu quod magiæ convicti sint, flammis interemerc. 6. rint, vel qui ob magiæ speciem occisorum carnem comederint, aut aliis comec. 7. dendam dederint, credentes, ab hujusmodi veneficis homines devorari.

Mortuorum corpora secundum morem Gentilium non comburantur. Nemo in Religionis Christianæ contumeliam in Quadragesima carnes manducet, omnia hæc delicta morte puniuntur. c. 4. Item ad mortem damnatur, quicunque Saxo in multitudine hominum latens adc. 8. Baptismum recipiendum venire contempserit, & quicunque cum Gentilibus contra Christianos conjurationem molitus fuerit. Inde vero conjiciendum est, eum maxime in finem has leges severissimas fuisse conditas, ut incusso Barbaris terrore ad conversionem compellerentur, quod adjiciatur, quemcunque, qui hæc c. 14. crimina secreto commiserit, si se pœnitentiæ

tentiæ ſubjiciat, accedente Epiſcopi teſtimonio, a morte fore liberandum. Sæcul. VIII. A. C. 789.

Omnes parvuli intra annum baptizentur, aut transgreſſores mulctam pecuniariam dent. Nempe tunc Baptismus, niſi infantes periclitabantur, adhucdum ſolo tempore Paſchali conferri ſolebat. c. 19. Conjugia illicita quoque mulcta pecuniaria puniuntur. c. 20. Corpora defunctorum Saxonum Chriſtianorum ad Cæmeteria Eccleſiarum, non autem ad paganorum ſepulchra deferantur. c. 22. Qui voto ſe obſtrinxerint fontibus vel arboribus, aut in honorem Dæmonum epulati fuerint, data pecunia luant, aut, ſi in ære non habeant, Eccleſiæ ſervire cogantur, donec mulctam dederint. c. 21. Divinatores quoque & Magi Eccleſiæ mancipentur. Cuilibet Eccleſiæ oportet dare villam, *cortem*, cum duobus *manſis*, id eſt, duas familias ſervorum, & agros unde alantur. Tum centum viginti viri liberi contribuant, ut vir unus & mulier una conditionis ſervilis Eccleſiæ detur. Decimæ de omnibus, etiam de iis, quæ ad Fiſcum pertinent, Eccleſiæ tribuantur. Diebus Dominicis & Feſtis profana conventicula nunquam habeantur. Ceteri hujus Capitularis Articuli de rebus ſæcularibus agunt.

Sæcul. VIII. A. C. 789.

§. XLVI.

Capitulare Aquisgranense.

Rex Carolus Solemnitatem Paschalem Aquisgrani anno septingentesimo octogesimo nono decimo nono Aprilis celebravit, postquam vigesimo tertio mensis Martii præcedentis ibidem Conventum egisset, & promulgasset Capitulare complectens octoginta Articulos, qui ad restaurandam potissimum Disciplinam tendunt. Ad omnes autem Viros Ecclesiasticos, & Sæculares in Dignitate constitutos dirigitur, & Principis Mandatariis præcipitur, ut illud in Provincias deferant. Quinquaginta octo priores Articuli ex antiquis Canonibus excerpta continent, ita ut eorum Summarium dici possint. Atque ut exemplum capiamus, in primo Articulo dicitur: *Contingit, ut quidam ob graviores culpas ab Episcopis suis excommunicati ab aliis viris Ecclesiasticis vel Laicis ad Communionem recipiantur, quod omnino in Conciliis Niceno, Calcedonensi, Antiocheno & Sardicensi prohibetur.* Deinde horum Conciliorum Canones fusissime referuntur. Est igitur hoc Capitulare velut aliquod compendium Codicis Canonum, ab Hadriano Papa Carolo Regi anno 774. dati, cui inserta sunt, quæ ad mores illius ætatis corrigendos maxime facie-

Ann. Loisel. Lauresh. etc. tom. 1. Cap. p. 209. Conc. p. 966. præf.

Sup. §. 5.

faciebant. Articuli posteriores viginti duo hujus Capitularis Canonum Auctoritate non confirmantur, sed sunt exhortationes salutares ad Religionem, pacem & bonos mores conservandos. In iis notatu digniora visa sunt mihi sequentia. Sæcul. VIII. A. C. 789.

Qui super Reliquias Sanctorum jurant, monentur, ut id jejuni faciant. Infantes ante ætatem rationis capacem non jurent. *c.* 62.

Qui semel pejerasse deprehensi sunt, nunquam amplius testes esse possint, aut ad juramentum præstandum admittantur. Omne superstitionum genus prohibetur. Incantatores, qui tempestates excitare & procellas adducere se posse jactitant, aut qui phylacteria præparant, puniantur. *c.* 63.

Omnia Scripta apocrypha opprimantur, atque inter ea quædam epistola, quæ de Cælo descendisse ferebatur, & anno superiore in varias manus devenerat. *c.* 76.

Hujusmodi epistolam Adalberti Sycophantæ alio loco memoravimus. *Sup. lib. XLII.* §. 50.

Homines errantes, *Mangones* seu *Cottiones* dicti, qui nudi & catenis onusti pœnitentiæ rigidioris specie varias provincias peragrabant, non tolerentur. Præstat enim, subjungitur in Capitulari, si in grave crimen lapsi fuerint, ut in uno loco permaneant, laborent, serviant, & pœnitentiam sibi injunctam secundum Canones impleant. Enumerantur opera manuum, quæ Die Dominico perficere

Sæcul. VIII. A. C. 789.

re non licet, & vehiculorum usus tribus ex causis permittitur; si aliqua ad exercitum deferri necesse sit, si advehenda annona, aut si sepeliendi sint mortui.

p. 79.

Episcopi monentur, ne multos nimium pueros ex mancipiis natos inter Clericos suos suscipiant, sed etiam liberos. Parvulorum utilitati scholas erigant, in quibus litteras legere doceantur, & rursus alias in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & Monasteriis, ubi Psalmos, Notas, Cantum, Arithmeticam, & Grammaticam addiscant. Non dispicitur, an hic de Notis Musicis, vel scriptionis abbreviatæ sermo sit. Nemo legat libros non emendatos. Evangelium, Psalterium & Missale non nisi a viris maturæ ætatis describantur. Episcopi invigilent, ne Presbyteri a se in Diœcesim suam ad populum instruendum & regendum missi apocrypha pro veris venditent; ipsi vero Episcopi non aliena opera populum Articulos ad Salutem necessarios, morumque regulas edoceant. Monachi in Novitiatu ad examen vocentur, priusquam recipiantur. Nunquam in Curia judiciali sicut nec Clerici adsint, atque hi Episcopo, illi Abbati subditi sint. Abbatissæ in Ecclesia Benedictionem viris manuum impositione & signo Crucis, nec puellis velamen cum Benedictione Sacerdotali dare præsumant.

c. 70.

Capitulare Aquisgranense.

c. 80.

c. 71.

c. 74.

Mona-

Monachi Cantum Romanum ſervent ſecundum Inſtitutionem Regis Pipini, quando cantum Gallicanum ſuſtulit, ut cum Sacra Sede concordia retineretur. Sæcul. VIII. A.C. 789. c. 78.

Alia quoque duo Capitularia ejusdem anni 789. occurrunt, unum complectens ſexdecim articulos, qui ferme omnes ad Monachos ſpectant, alterum articulos viginti & unum, quorum memoratu digniores ſunt ſequentes. Parva puellarum Monaſteria, in quibus Regula non obſervatur, majoribus jungantur. Clauſtra ſint bene firmata, nec eis epiſtolas ad procos ſuos reſcribere liceat. Baptismus ſecundum morem Romanum conferatur. In diebus Feſtis vel Dominicis omnes ad Eccleſiam veniant, & in domibus privatis Miſſa non celebretur. Campanæ non baptizentur, nec chartæ e perticis pendeant ad avertendum grandinem. Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ non habeant canes, accipitres, mimos, nugatores. p. 241. p. 243. c. 3. c. 7. c. 18. c. 15.

§. XLVII.

Libri Carolini.

Cum Hadrianus Papa Carolo Regi Acta Synodi Nicenæ miſiſſet examinanda & approbanda ab Occidentis Epiſcopis, quibus, utpote ne quidem vocatis, in eo Concilio nulla pars fuerat, Epiſcopi Franciæ

Sæcul. VIII. A. C. 790.

ciæ judicarunt, Græcorum Decreta mori suo esse contraria, quippe Franci Imagines quidem in suis Ecclesiis habebant, sed nullum iis cultum exhibebant. Itaque amplum Tractatum sub Regis nomine scripserunt, in libros quatuor divisum cum longa præfatione, in qua dicebant:

p. 92. *Ante annos aliquot in Bithynia celebratum est Concilium, in quo impudentissime rejectæ fuere Imagines, quas veteres ad Ecclesiarum ornamentum, & rerum præteritarum memoriam posuerant; ad imagines enim Græci detorquent, quæ Dominus de Idolis intellecta voluit, dicuntque, se ab Imperatore suo Constantino ab Idololatria fuisse liberatos. In illis etiam Regionibus ante annos ferme tres aliud celebrarunt Concilium, quod in errorem oppositum incidit; nam postquam priori Concilio Anathema dixisset, Christianos ad adorandas imagines compulit.* Liquido patet, quod prius, de quo loquuntur, Concilium sit illud a Constantino Copronymo Constantinopoli anno 754. coactum, & secundum nullum sit aliud, quam sub Constantino & Irene Niceæ in Bithynia anno 787. celebratum. Unde liquet, hoc Scriptum circa annum septingentesimum nonagesimum fuisse editum.

Nos vero, additur in Præfatione, *sex Concilia universalia recipimus, sed Doctrinam novam contemnimus & damnamus.*

mus. Item rejicimus Concilium illud, quod adorari imagines vult, in Bithynia habitum, quorum Acta sine Arte bene dicendi & sine sensu scripta, cum ad nostras manus pervenissent, coacti sumus ad ea refutanda calamum stringere, ne quis forte imprudens illa legendo fallatur. Atque hoc opus ex consilio Episcoporum Regni nostri suscepimus. Nempe Regem Carolum loquentem inducunt. Sæcul. VIII. A. C. 790.

In ipso operis corpore hæc mihi notanda visa sunt. Dicunt: *Constat quidem Moysem, Deo jubente, duos Cherubim fecisse; sed non jussit eos adorari. Idem dicendum de Serpente æneo, quem illos, qui sanari cupiebant, conspicere, non autem adorare oportebat.* Tum ad Textum Psalmi, ubi dicitur: *adorate scabellum pedum ejus* (id est, ad litteram, Arcam fœderis) confugiunt ad explicationes Mysticas Patrum, qui id de JEsu Christo intelligunt. Textus quoque citabatur ex Actis S. Sylvestri, ubi dicitur, quod Constantino Apostolorum imagines exhibuerit. Respondent, S. Sylvestrum minime jussisse, ut adorarentur, atque etiam horum Actorum Auctoritatem respuunt, & S. Gelasii Decretum objiciunt. Ceterum hujus Tractatus adversus Synodum Nicenam Auctor fatetur, se nec vitam nec Scripta S. Gregorii Nysseni noviss e. Synodo Nicenæ succenset, quod Imagi-

Lib. I. c. 15.

c. 18.

Lib. II. c. 5. Psal. 98. Synodus Nicena II. oppugnatur.

Sup. lib. XXX. §. 34.

c. 17.
c. 27.

Sæcul. VIII. A. C. 790.

Imagines conferat cum Evchariſtia, cujus Dignitatem dilaudat, dicitque, imaginibus nullam adhiberi conſecrationem, ſed quidquid ſunt, illud eas a pictore vel ſculptore habere. Ergo hic obſervandum, jam illa ætate in Occidente imagines opere anaglyptico fuiſſe conſpectas, nec morem fuiſſe, in Occidente æque ac in Oriente imagines benedicere. Auctor reſpondere quoque conatur ad argumentum a pari de Cruce, de Vaſis Sacris, & Libris Sacræ Scripturæ. Crucis virtutem deprædicat, ſed non diſtinguit ſignificata vocis ambiguæ, Crucis, acceptæ vel pro paſſione JEſu Chriſti, vel pro Cruce hujusce paſſionis inſtrumento, vel pro ejusdem Crucis materialis imaginibus. Si enim veram Crucem & ejus Imagines venerari licet, quia Paſſionis JEſu Chriſti memoriam nobis reducunt, cur non liceat Imaginem ipſius JEſu Chriſti honore proſequi? idem paucis mutatis dicendum de vaſis Sacris. Semper ſunt res materiales & manuum hominum opera, quibus nunquam alius cultus, quam relativus competere poteſt. Iſtud argumentum admodum infirmum eſt in libris Carolinis; ita enim hoc opus nominare ſolemus.

v. lib. IV. c. 16.

Lib. II. c. 28. 29. 30.

Auctor Tractatus aliqua Concilii Nicæni Patribus exprobrat ad rei Summam non pertinentia. Nam inter alia objicit Taraſio

Lib. III. c. 3.

Taraſio, quod dicat, Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium. Ubi reſpondet argumento a pari de Imperatorum imaginibus, quæ in Civitatibus & Provinciis coluntur, dum populi cum cereis & odoribus obviam procedunt, dicit, abuſum eſſe, & Idololatriæ necdum extinctæ veſtigia. Ad argumentum illud, quod honor imagini exhibitus ad Perſonam honoratam referatur, dicit, & fatetur, hanc virorum doctorum mentem eſſe poſſe, ſed contendit, hanc rem rudibus eſſe occaſionem ſcandali. Inde ſequitur, omnia ſalva fore, ſi rudes bene, quid ſibi credendum ſit, edoceantur. Item Auctor Conſtantino in Cypro Metropolitæ objicit dixiſſe: *Recipio & colo Sanctas imagines eo modo, quo adoro Sanctam Trinitatem, & aliud ſentientibus Anathema dico.* At hic error eſt facti veriſimiliter in perverſa verſione fundatus; nam in Autographo Græco, & in duabus antiquis, quas habemus, verſionibus, Conſtantinus Cyprenſis loquitur in hunc modum: *Recipio, & colo Sanctas Imagines. At ſupremum Latriæ cultum ſoli Trinitati tribuo.* Quæ verba ſenſum priori contrarium reddunt. Et nihilominus ob hunc præcipue Articulum Occidentales Synodum Nicenam tantopere averſabantur. Item Auctor hic Librorum Carolinorum dicit, ex eo, quod

Sæcul. VIII. A. C. 790.

c. 16. Libri Carolini.

c. 17.

Conc. 7. Act. 3. p. 187. p. 725.

c. 24.

Sæcul. VIII. A.C. 790.

quod Reliquiæ Sanctorum honorentur, non sequi, etiam imaginibus ipsorum honorem exhibendum esse; sed ad id probandum nihil solidi affert. Patribus Nicenis objicit, quod argumenta sua ex Libris apocryphis & fabulis petierint; verum speciatim pauciſſima carpit. Non nulla autem argumenta sensu Scripturæ detorto a Nicenis allata non imperite refellit.

c. 30.

Tandem hoc Concilium Græcorum non posse dici universale contendit, quod nec ex omnibus Ecclesiæ Provinciis fuisset convocatum, nec ejus Decreta Doctrinæ Ecclesiæ universalis essent consentanea, quamvis fateatur, Concilium ex aliquot Provinciis congregatum pro universali haberi posse, si ejus Doctrina Catholica sit. His nempe duobus argumentis Franci Synodum Nicenam rejicientes nitebantur, quod ex toto Occidente nemo nisi Papæ Legati adfuerint, & quod Synodi Decretum ipsorum consuetudini adversaretur. Epilogus ad Papam & Ecclesiam Romanam dirigitur in hunc modum: *Scitote, quod secundum S. Gregorii litteras ad Serenum Imagines fieri, & tam intra quam extra Ecclesiam collocari concedamus ex amore Dei & Sanctorum ejus. Verum nolentes ad eas adorandas non compellimus, nec tamen eas con-*

Lib. IV. c. 28.

c. ult.

confringi & deſtrui permittimus. (*) Ceterum ex toto hoc Tractatu apparet, Francos præpoſtero affectu adverſus Græcos fuiſſe occupatos. Nam in multis vix ullius momenti articulis tricantur, aſpera ingerunt, ſophismata atque argumenta ad rem non facientia adhibent. Sæcul. VIII. A. C. 790.

§. XLVIII.

Nuptiæ Conſtantini & Mariæ.

Porro aliunde conſtat, Carolo Regi cauſam non defuiſſe, cur Ireni Imperatrici iraſceretur; cum enim illa jam anno ſeptingeteſimo octogeſimo ſecundo miſiſſet, qui a Carolo Rotrudem ejus filiam Conſtantino juveni nuptui dandam expeterent, & apud eam remanere juſſiſſet Evnuchum, qui puellam ad linguam & mores Græcorum informaret, nihilominus poſt ſpatium ſex annorum fœdera violavit, & non obſtante amore, *Theoph. an.* 2. *p.* 384. *Id. an.* 9. *p.* 391.

(*) Lenius hic loquuntur Francorum Epiſcopi, & ad veritatem accedunt; nam nec Eccleſiæ Catholicæ mens eſt Chriſtianos compellere ad ſingularem huic vel illi Imagini cultum exhibendum, eſt tamen præceptum negativum nec Imagines nec eorum Cultores laceſſendi. Ceterum, ut infra videbimus, his Libris Carolinis reſpondit, data ad Carolum Regem epiſtola, Hadrianus Pontifex, cujus lenitas & prudentia Schiſma declinavit.

Sæcul. VIII. A. C. 790.

quem Constantinus erga Rotrudem conceperat, invitum ad nuptias cum quadam Armena, nomine Maria, mense Novembri, Indictione duodecima, anno 788. compulit. Fuere, qui dicerent, Mariam, humili loco natam, felicissimam sortem singulari pietati patrui sui Phila-

Menol. Basil. 2. Dec.

reti, cognomento Eleemosynarii, in acceptis retulisse. Is in Paphlagonia natus, comparatis sibi manuum labore divitiis postea tamen ad paupertatem redactus, nihilominus eleemosynas largiebatur, atque de eo memorabile Charitatis in proximum exemplum narratur; cum enim quidam ejus vicinus, cujus bos perierat, ad ipsum ruri arantem venisset, proximi sui calamitate usque adeo tactus est, ut alterum boum suorum jugo solutum eidem dederit, & ipse laborem subiens alteri bovi junctus aratrum trahere cœperit. Neptis ejus ad torum Imperatoris vocata propinquum opibus cumulavit, & ipse nunquam non pau-

Menol. Bas. 17. Apr. Boll. to. 10. p. 492.

peribus liberalissime de suo tribuens in optima senectute migravit e vita. Ejusdem memoriam Græci secundo Decembris colunt.

Constantino quoque erat Amita Sancta, nomine Anthusa, Constantini Copronymi filia, quæ nuptias a parente oblatas recusaverat. Constantino defuncto jam sui ipsius arbitra, omnibus bonis

suis

Sæcul. VIII. A. C. 790.

suis in pauperes, in Monasteria, in redemptionem captivorum erogatis, etiam pretiosissimas vestes auro textas sibi detractas ad ornandas Ecclesias contulit. Hæc veluti Orphanorum & parvulorum projectorum Mater miseros colligebat, educabat, erudiebat. Senes in Hospitiis collocabat, morientium curam gerebat. Sæpius ab Irene & Constantino invitata, ut Imperii particeps esse vellet, constanter renuit, & accepto velamine monastico e manibus Tarasii Patriarchæ Monasterium Eumeniæ ingressa ibidem supremum diem clausit. Ecclesia Græca ejus memoriam duodecimo Aprilis honorat.

§. XLIX.

Constantinus solus imperat.

Illo anno quo Constantinus uxorem duxit, scilicet Regni sui decimo, JEsu Christi 789. ipsius & Irenis Matris jurgia in publicum proruperunt. Nam cum Divinatores nequissimi Imperatrici suggessissent, sibi esse exploratissimum, quod Cœlum Matri non Filio Imperium Romanum destinasset, fœmina, & domandæ ambitioni impar, facile adulationi cessit. Vicissim Constantinus viginti annorum juvenis impatientissime ferebat, se neglecto solum Stauratium Patricium omnia posse. Ergo Matrem custodiæ dare & in Siciliam relegare meditatur; *Theoph. an. 10. p. 391.*

Sæcul. VIII. A. C. 790.

at cum Stauratio factionis Auctores nescio a quo detecti fuissent, Imperatrix quosdam Procerum conjurationis conscios virgis cædi, detonderi, & in exilium pelli jubent. Ipsum filium verberibus castigatum, & acerrime objurgatum multorum dierum spatio cogit in publicum non prodire.

Inter hæc Arabum classis e Cypro solvens in Romanos in Sinu Attaliæ invecta fuerat. Theophilus Dux Cibyrensis in Cilicia, dum incaute dimicat, capitur, & ad Aaronem Califam perducitur, qui virum ingentibus promissis tentat, permoturus ut a fide deficeret. Ipse vero constantissime JEsum Christum confessus capite truncatur, militari gloriæ Martyrii lauream conjungens. Theophili memoriam Ecclesia vigesimo secundo Julii celebrat.

Mart. Rom. 22. Jul.

Theoph. p. 393.

Ireni Imperatrici juramentum fidelitatis sibi soli servandæ ab omnibus copiis exigenti, omnes etiam præstiterant, illis tantum exceptis, quæ ex Armenia erant. Hæ enim objiciebant jusjurandum, quo se ante decennium obligaverant, Constantino simul & Ireni parituros. Cumque Irene vim pararet, Constantinum solum Imperatorem proclamant. Exemplum sequentes aliarum quoque Legionum † milites in diversis locis uno consilio Constantinum solum

† *Themes.*

Augu-

Augustum anno 790. mense Octobri Indictione decima quarta pronunciant. Sæcul. VIII. A. C. 790.

Verum mense Januario anno septingentesimo nonagesimo secundo Indictione decima quinta Matris blanditiis & Optimatum quorumdam suasionibus iterum eo adductus est Constantinus, ut eam Imperatricem appellaret, & in fronte Actorum Constantini & Irenis nomina sicut in principio Regni sui poni pateretur. *p.* 349.

Constantinum, Principem levem & inconstantem, astrologorum fabulis fidem habentem, aliquis de eorum censu, nomine Pancratius, impulit, ut cum Bulgaris temere dimicaret; a quibus cladem accepit, multis viris militaribus primi ordinis & ipso Pancratio in prœlio cæsis. *p.* 395. *p.* 394.

Constantino Imperante mense Decembri anno 790. exortum Constantinopoli incendium Palatii Patriarchalis partem & præter alia illum locum, in quo autographum Commentarii S. Joannis Chrysostomi in S. Scripturam asservabatur, consumpsit. *Cedr. to. 2. p.* 472.

§. L.

Felicis & Elipandi Hæresis.

Interim in Hispania nova Hæresis rem Christianam turbabat. Cum Elipandus, Cixilæ in Sede Toletana Successor, Felicem Episcopum Urgellensem olim *Eginart. annal.* 792.

Sæcul. VIII. A.C. 790.

Magistrum suum consuluisset, qua ratione JEsum Christum confiteretur esse Dei Filium, an Filium Naturalem diceret, an Adoptivum. Felix respondit, JEsum Christum secundum Naturam Humanam solummodo adoptivum & nuncupative id est nomine tenus Filium Dei esse. Elipandus hoc Responso accepto istam Doctrinam in Asturia & Galæcia sparsit, Felix autem ultra Pyrenæos in Septimania, quæ ferme nostra Occitania est. Præterea Elipandus Ascaricum Archiepiscopum Bracarensem & quosdam Christianos Civitatis Cordubensis ad hanc Sectam pertraxit.

Jon. Aurel. de imag. lib. 1. init.

Cod. Car. 97.

Hoc novo errore ad Hadrianum Papam delato, ad omnes Hispaniæ Episcopos dedit Epistolam, qua eos exhortatur, ut a veneno sibi caveant, & in Doctrina Ecclesiæ constantes permaneant. *S. Petrus*, inquit, *JEsum Christum Filium Dei vivi confessus est. Et S. Paulus dicit, Deum proprio Filio suo non pepercisse.* Tum Auctoritatem multorum Patrum Latinorum Græcorumque refert, ut probet, nomen filiorum adoptivorum Christianis quidem, sed non JEsu Christo convenire. In eadem Epistola de quibusdam aliis abusibus in Hispania vigentibus questus movet. Aliqui Festum Paschale ultra terminos in Concilio Niceno præscriptos differebant, cujus Sectæ Aucto-

Matth. 16.

Rom. 8. 32.

Auctores erant duo Episcopi Migetius & Egila. Alia Secta erat illorum, qui sanguinem porcorum & carnes animalium suffocatorum manducare nolentes ignorantiæ accusabant, licet omnes ferme in Hispania Christiani ab illis escis abstinere solerent. Papa ejusmodi escas manducantes declarat esse anathematizatos. Alii Prædestinationis Mysterium non capientes libertatem hominis negabant, aut eidem depressa Gratiæ virtute nimium favebant. Alii mores Judæorum aut Paganorum, nempe Musulmannorum, imitantes conjugia cum iis inibant. Quædam mulieres maritis vita fruentibus ad alias nuptias transibant. Presbyteri sine examine ordinabantur. Multique alii abusus in Ecclesias Hispaniæ irrepserant, quorum malorum causa sine dubio Arabum Dominatus erat. Egila, cujus in hac Epistola fit mentio, erat Episcopus Illiberitanus in Betica, quondam ordinatus a Villicario Archiepiscopo Senonensi, cui Papa, cum Egilæ fidem moresque apud se dilaudasset, id mandaverat.

Sæcul. VIII. A C. 790.

Ead. ep. 97.

§. LI.

Beatus & Etherius Elipando resistunt.

Elipandus Archiepiscopus Toletanus, ut huic Epistolæ Summi Pontificis

vit. S. Beati. to. 5. Act. Bt. p. 739.

Sæcul. VIII. A. C. 790.

morem gereret, coacto Concilio Migetii errorem circa Paſcha damnavit, ſed errorem ſuum de Adoptione JEſu Chriſti docere non ceſſavit, cui nemo fortius ſe oppoſuit quam Beatus Presbyter & Monachus in Aſturiæ montibus, qui Livanienſes dicebantur, in hoc labore fidelem adjutorem habens Etherium Diſcipulum ſuum poſtea Epiſcopum Uxamenſem. Ambo igitur juncta opera multos ab Elipando perverſos ad ſinum Eccleſiæ reduxerunt. Hac pietate maximopere offenſus Elipandus, ut eos refelleret, ad Abbatem nomine Fidelem data

p. 364. Epiſtola dicebat: *Qui non confitetur JEſum Chriſtum eſſe adoptivum ſecundum Humanitatem, & non ſecundum Divinitatem, Hæreticus eſt. Iſti cum me conſulere deberent, volunt me docere, & ſe Antichriſti Servos probant. Mitto tibi Epiſtolam Aſcarici Epiſcopi, qui me modeſte conſuluit, ut diverſitatem videas, & Servorum JEſu Chriſti humilitatem. Res foret inaudita, Toletanos unquam a Livanienſibus veritatem edoceri. Econtra nemo ignorat, Sedem hanc ob Fidei integritatem ſemper fuiſſe illuſtriſſimam, & nullius ſchiſmatis labe contaminatam. Poſtquam Fratres mei & ego Hiſpali Migetianorum Hæreſim de tempore celebrandi Paſchatis, aliosque eorum errores repreſſimus, hi nos ipſos reprehendere audent.*

dent. Si molliter agas in hoc negotio, eosque non severe castiges, rem deferam ad Fratres nostros (nempe Episcopos ceteros) *ut confundaris. Meliora edoce Fratrem nostrum Etherium adhuc juvenem, qui cum rudibus & schismaticis consilia contulit.* Sæcul. VIII. A. C. 790.

Beatum deinde Bonoso Fautiniano, & Fausto Manichæo comparat, & subjungit: *Rogo te per ferventissimum zelum tuum, aufer hunc errorem de medio fratrum tuorum, ut sicut Dominus per Servos suos Hæresim Migetianam in Provincia Betica extirpavit, ita etiam ad Hæresim Beatianam ex Provincia Asturiæ eradicandam tua opera usus fuisse comprobetur.* Ita quidem Elipandus. Epistola ejus mense Octobri, æra 823. nempe anno 785. scripta est. Cumque Beatus & Etherius ad Fidelem Abbatem Abosindæ Reginæ causa venissent, ostensa est illis hæc Epistola vigesimo sexto Novembris sequentis. Simulque eam per totam Asturiam jam esse vulgatam indoluerunt. *Sup. Lib. XIX. 27. XX. §. 44.* *Ether. lib. 1. adv. Elip. init. tom. 13. Bibl. PP. Lugd. p. 355.*

Abosinda erat filia Regis Alphonsi Catholici, & vidua Regis Silo, qui succedens Aurelio Æra 812. seu anno 774. novem annis regnaverat. Is Corpus S. Eulaliæ Virginis & Martyris ex Civitate Emeritana translatum condidit in Monasterio S. Joannis de Pravia a se fundato, *Sebest. Salmant. p. 49. & Sandov.*

Sæcul. VIII. A. C. 791.

dato, ubi ipſe, & deinde etiam Conjux ejus ſepulti ſunt. Aboſinda conſentientibus omnibus Proceribus Silo defuncto Succeſſorem dedit Alphonſum, ex Froila Rege, Fratre ſuo natum, æra 821. ſeu anno 783. At Mauregatus Patruus ex Alphonſo primo & matre mancipio genitus Alphonſo pulſo Regnum invaſit, & annos ſex obtinuit. Ipſo fatis functo, Æra 827. anno 789. Veremundus Alphonſi primi Nepos regnavit annis tribus, quibus elapſis, memor ſe olim Ordinem Diaconatus ſuſcepiſſe coronam reddidit Alphonſo, a Mauregato dejecto, multosque cum illo annos raro amicitiæ exemplo usque ad obitum ſuum verſatus eſt. Ergo Alphonſus II. cognomento caſtus Æra octingenteſima trigeſima ſeu anno ſeptingenteſimo nonageſimo ſecundo reſtitutus annis quinquaginta imperavit.

Reges Hiſpaniæ.

Mauregato Tyranno Regnum occupante Aboſinda Regina ab aula diſcedens ſumpto velamine Monaſtico ſecundum Decretum tertii Concilii Cæſarauguſtani ſub Diſciplina Beati Abbatis vitam duxit.

Sup. L. XI. §. 48.

S. Beatus itaque perlecta Elipandi ad Fidelem Abbatem Epiſtola, ſuo & Diſcipuli ſui Etherii, jam tunc Epiſcopi Uximenſis, nomine Reſponſum edidit, quod in duos Libros diviſum & ferme ſine ordine & methodo ſcriptum magnam nihilo-

vit. S. Beati. n. 8.

minus eruditionem & continuam Scripturæ & SS. Patrum lectionem prodit. In eo refertur Symbolum seu Fidei Confessio Elipandi, ubi de Trinitate loquens dicit, quod tres Personæ sint, Deus, Principium & Spiritus Sanctus. Atque eorum unionem cum conjunctione animorum Mariti & Uxoris, & multarum animarum Charitate unitarum confert. Unde conjunctionem in Divinis tantum moralem admittere videtur. Deinde de Incarnatione differens, errorem suum simpliciter manifestat, dicitque, JEsum Christum solummodo esse Filium adoptivum Dei secundum suam Humanitatem, & Deum non per illum, qui natus est ex Virgine, atque adoptione & gratia Filius est, res visibiles invisibilesque creasse, sed per illum, qui Natura Filius est. Quod dicere Nestoriana est Hæresis. Sæcul. VIII. A. C. 791. *Lib. I. p. 363.*

Beatus scripsit quoque Commentarium in Apocalypsim, qui ad nos usque non pervenit, atque in Monasterium de *Valcavado* lingua illius regionis dictum se recepit, ubi decimo nono Febr. anno 798. in pace quievit. Ibidem inter Sanctos sub nomine *S. Bieco* colitur. *v. Boll. to. 5. p. 146.*

§. LII.

Concilium Narbonense.

Cum Carolus Rex Imperii sui fines usque in Hispaniam protulisset, & Urgella

Sæcul. VIII. A. C. 791.

gella sub ejus Ditione esset, de erroribus Felicis monitus Concilium Narbonæ vigesimo septimo Junii, anno Regni sui vigesimo tertio Christi septingentesimo nonagesimo primo convocari jussit. In Actis dicitur, Episcopos convenisse ad discutiendas plures & diversas causas Ecclesiasticas præsertim vero exitiosum dogma Felicis Urgellitani, id per Epistolas suas mandante Hadriano Papa, & hortante Regis Legato, cui nomen Desiderius, atque in Synodo præsente. Tunc temporis Urgella Ecclesiæ Metropolitanæ Narbonensi suberat, cumque gravissimi momenti ageretur negotium Episcopis ex septem Provinciis vicinis Arelatensi, Aquensi, Embrodunensi, Viennensi, Bituricensi, Burdegalensi, & Augustana Auscionensi confluentibus viginti sex adfuere Antistites, quibus præerant Archiepiscopi duo Daniel Narbonensis, & Elisantus Arelatensis, cui cum Elipando Toletano idem nomen fuisse videtur. Non dispici potest, quid in hac Synodo actum fuerit in causa Felicis, in ea præsentis, & cui ordine decimus tertius subscripsit. Sed ex Actis Conciliorum sequentium, in quibus judicatus est, conjiciendum, in Concilio Narbonensi nihil antea de eo fuisse pronunciatum. Acta hujus Concilii, quæ nobis supersunt, solummodo memorant sententiam latam

to. 7. Conc. p. 964. v. Coint. an. 791. n. 11. 12.

in

in diversis causis privatis inter Archiepiscopum Narbonensem & Episcopos Eltnensem & Biterrensem ob limites eorum Diœcesium & jurisdictionem Archiepiscopi ultra montes Pyrenæos agitatis. Sæcul. VIII. A. C. 791.

§. LIII.

Concilium Forojulienſe.

Eodem anno septingentesimo nonagesimo primo Error Felicis & Elipandi etiam in Concilio Forojulienſi, a Paulino Patriarcha Aquilejensi celebrato damnatus est. Rex Carolus hoc anno propitio Numine bellum moverat in Avares seu Hunnos, quippe has duas Gentes Historici confundunt. Amplius enim ferre non poterat æqui amantissimus Rex insolentiam Barbarorum Ecclesiis & Christianis insultantium, præsertim postquam Christiani petiissent, ut sibi damna illata compensarentur, & non obtinuissent. Ergo preces imperat, jejunia, & per triduum supplicationes procedentis populi nudis pedibus, quo Dei auxilium efflagitaretur. Tum exercitum bipartito agmine in utraque Danubii ora immittit in barbaros. Illi terrore perciti in loca inaccessa diffugiunt. Franci nemine obsistente regionem depopulantur, prædas agunt, captivorum multitudinem infinitam abstrahunt. In adversa quoque regione exercitus Italiæ Avares acie vincit

Ann. Loisel. Laureſch. Berti. Metten. an. 791.

Epist. ad Fastr. to. 1. cap. p. 255.

Sæcul. VIII. A. C. 791.

cit, & magna clade profligat. Felicissimam belli armorumque sortem Rex Carolus per litteras significavit Fastradæ Reginæ Conjugi suæ, quæ Ratisbonæ permanserat, ut preces & pia opera, ab ipso speciatim præcepta, peragi curaret.

to. 7. Conc. p. 991.

Post insignes victorias reportatas licuit Paulino cum Suffraganeis suis per litteras Canonicas convocatis Synodum celebrare. Igitur conveniunt Forojulii in Ecclesia Sanctæ Virginis. Tum lectis Epistola & Evangelio aliisque precibus recitatis, portis clausis, maxima populi frequentia foris stante Archidiaconus ex Syllabo Episcopos nominatim vocat, qui servato silentio per portam secretam intrant. Omnibus confidentibus Paulinus dixit: *Scitis, quod nobis bellorum turbis impeditis a longo tempore Concilia celebrare non fuerit permissum, quamvis ea bis in anno celebrari Canones præcipiant. Verum est quidem, hanc omissionem aliquatenus suppleri per Concilia generalia a Principe convocata, quibus sæpe interfui.* Istud de Conciliis, quæ Rex Carolus singulis ferme annis ex omnibus Provinciis sibi subjectis convocabat, accipiendum. Tunc prosequitur in hunc modum: *Jam vero cum profligatis Barbaris aliquantum quiescere detur, sine mora, ut Canones præcipiunt, vos convocavimus.* Dicit deinde, initium ducen-

p. 994.

dum

dum esse a Fide, & duos errores oppu- Sæcul. VIII.
gnat, primum, quod Spiritus Sanctus a A.C. 791.
solo Patre & non a Filio procedat. *Quæ Hæresis*, inquit, *causa fuit, cur in Symbolo addita fuerit vox FILIOQUE, quamvis Patres, ejusdem Symboli Auctores, eam prudenter omiserint, verba Evangelii simpliciter afferentes.* Alter *Joan.* 15. 26. *p.* 999. & 101 error est, quod ab aliquibus JEsus Christus divideretur in duos Christos, unum naturalem & alterum adoptivum. Quem errorem pressis Auctorum nominibus damnat.

In hoc Concilio quatuordecim Cano- *c.* 4.
nes conditi, quorum primus Simoniam *c.* 6.
expugnat, reliqui ad vitam honestam *c.* 7.
Clericorum pertinent. Non liceat Clericis cum quacunque muliere habitare, neque cum illis, quas Canones alias Clericis apud se habere indulgent. In domibus Clericorum nunquam audiantur cantiones profanæ, nec lyræ aut tibiæ, nec unquam appareat immoderata lætitia. Episcopus inconsulto Patriarcha Canones.
Aquilejensi Presbyterum, Diaconum, aut Abbatem ad Depositionem non condemnet. Nemini liceat Matrimonium *c.* 8.
clandestinum contrahere, sed pactis sponsalibus intervenientibus per aliquam dilationis moram in lineam generationum tam sponsi quam sponsæ inquiratur; idque ad Parochi notitiam deveniat.

Sæcul. VIII. A. C. 791.

Puer vel Puella in dissimili ætate non socientur, ut occasio adulterii tollatur.

c. 9. Soluto fornicationis causa conjugali vinculo non liceat viro aliam uxorem ducere quamdiu adultera vivit; adulteræ vero nec mortuo marito liceat alium virum accipere.

c. 10. Puellæ vel viduæ, si nigram vestem indutæ fuerint ob continentiæ signum, votum quod pollicitæ sunt servent, etiamsi ab Episcopo non fuerint sacratæ.

c. 11. Monasteria Sanctimonialium nulli virorum pateant. Nemo sine permissu Episcopi ingrediatur. Ipse Episcopus nunquam solus sed comitantibus Clericis eas adeat. Abbatissæ aut Moniales nec Romam nec ad alia Sacra loca peregrinentur.

c. 12.

c. 13. Dies Dominica a tempore vespertino, postquam Sabbato signum insonuerit, observetur, & etiam Conjuges ab opere carnali abstineant. Diebus autem Sabbati, quod adhuc rustici solebant, nemo ferietur.

c. 14. Ultimus Canon, Decimas & Primitias reddere præcipit.

Paulinus in hoc Concilio Præses vir erat Doctrina eximius, olim Grammaticæ Magister. Rex Carolus artium liberalium Fautor ei agrum a Fisco occupatum concessit; quæ donatio decima septima Junii anno regnantis Caroli octavo, nempe septingentesimo septuagesimo sexto data est, & brevi post tempore Pauli-

Boll. 11 Jan. to. 1. p. 713. Coint. an. 776. n. 7.

Paulinus Sigwaldo in Sede Aquilejensi succeſſit. Alcuino arcto amicitiæ vinculo junctus erat, quod ex aliquot epiſtolis diſpicitur, in quibus Alcuinus ejus pietatem laudat, ad prædicandam fidem hortatur, ſeque ejus precibus commendat. Paulinus etiam præcipuam operam ad convertendos Avares contuliſſe creditur. Sæcul. VIII. A. C. 792. *Ep.* 2. 73. 113. 94.

Anno ſequente ſeptingenteſimo nonageſimo ſecundo Felix Urgelitanus Reginum ſeu Ratisbonam in Bavaria jubente Carolo Rege, ubi hyemaverat, adductus eſt, & congregatum Concilium. Auditus eſt Felix, erroris convictus, & miſſus Romam ad Hadrianum Pontificem, quo præſente confeſſus eſt & damnavit Hæreſim ſuam in Eccleſia S. Petri. Urgellam deinde rediit. *Ann. Egin.* 792. *Lauresch. Loiſel.* an. 792.

Felicem Romam perduxerat Angilbertus, Carolo chariſſimus, qui ex Bertha ipſius filia duos filios ſuſceperat, olim Pipini junioris Regis Italiæ Palatio præfectus, quem illo ſecutus, apud ipſum aliquanto tempore commoratus eſt. Eidem deinde præfectura oræ maritimæ in Francia, qua Oceanum & Angliam ſpectat, obtigit, ubi cum cognoviſſet, quale eſſet Monaſterium Centulenſe ſeu S. Richarii, illo circa annum 790. conſentiente Rege ſe recipiens vitam Monaſticam amplexus eſt. *Elog. to.* 5. *Act. SS. Be.* p. 92. 93. *&c.* Angilbertus.

Sæcul. VIII. A. C 792.

Nihilominus Rex posthac in causis Ecclesiæ gravissimis sicut & in hac Legatione Romana, cum Felicem Urgelitanum anno 792. in Urbem deduxit, ipsius opera usus est.

§. LIV.

Alcuinus in Francia.

Sup. n. 17. Elog. to. 5. Act. SS. Be. p. 162.

Angilbertum suavissimum amicitiæ vinculum jungebat Alcuino, qui hoc anno Sedem fixit in Francia, ut ante annos duodecim Carolo Regi promiserat, cum ei Ticini occurrisset.

Alcuinus natione Anglus, in provincia Eboracensi nobilibus & opulentis parentibus natus, ab unguiculis in Monasterio illius Ecclesiæ Cathedralis alumnus fuit. Egberto & Elberto duobus Archiepiscopis Eboracensibus, qui sibi in illa Sede successerunt, Magistris latinam græcamque linguam didicit. Egbertus fatis proximus anno 765. eum Ecclesiæ suæ Bibliothecarium constituit; Elbertus vero eundem præfecit scholæ Eboracensi, quo labore in se suscepto S. Liudgerum, Fridugisum, & Enbaldum juniorem Discipulos habuit.

Sup. n. 19.

Alcuinus sibi nomen latinum assumpsit Flaccus Albinus, & frequentissime Albinus apud Scriptores dicitur.

Cum igitur Rex Carolus Alcuinum anno septingentesimo octogesimo Ticini obvium

obvium habuisset, invitatum, ut in Franciam veniret, apud se aliquamdiu retinuit, & eo docente didicit Rhetoricam, Dialecticam, inprimis vero Astronomiam, cui scientiæ Rex multum temporis & laboris impendit, ut ex Epistolis Alcuini ad ejus Quæstiones respondentis dispicitur. Sæcul. VIII. A. C. 792. *Egin. vit. Car.*

In hac prima commoratione in Francia Alcuinus noviisse cœpit & in amicorum numerum adlegit Angilbertum, quem in Monographo litterario Homeri nomine designabat. Amicitiam item coluit Riculfi, postea Archiepiscopi Moguntini, quem Dametam appellabat. Regem vero Carolum Davidem dicere solebat.

In Angliam reversus Alcuinus circa annum 790. Ecclesiis & Monasteriis maxima dona tam suo quam Regis Caroli nomine distribuit.

Rediit in Franciam elapso ferme triennio a Rege Carolo vocatus, licentiam concedente Archiepiscopo suo Elberto, qui ei mandaverat: Iret, & Fidem Catholicam defenderet, ubicunque terrarum eam hostes oppugnarent. Venit ergo pro Ecclesia contra Felicem & Elipandum decertaturus. Cum Rex Carolus in Angliam misisset Concilium Constantinopolitanum, in quo imagines adorari jubebantur, scripsit Alcuinus contra illud Decretum epistolam, quam nomine Episcopo- *Præf. adv. Elip.* *Roger. Hoved. an. 792.*

Sæcul. VIII. A. C. 792.

coporum & Principum Angliæ Regi attulit. Ceterum hoc ultimum in Franciam iter post celebratum Concilium Ratisbonense id est sub finem anni septingentesimi nonagesimi secundi vel initium nonagesimi tertii suscepit, ibique reliquum vitæ tempus, annos scilicet duodecim, exegit.

Lib. I. cont. Fel. init. Felix Urgellam reversus cœpit denuo docere errorem, quem Romæ perfide

Lib. II. init. dissimulans abjuraverat. Hunc Alcuinus primum data humanissima epistola &

Felix ad vomitum. charitate plena invitavit, ut ad Fidem Ecclesiæ rediret. At Felix respondit edita longa Dissertatione Hæresim suam

Ibid. p. 816. 10. defendens. *Cum JEsus Christus*, inquit, *sit novus homo, ei novum etiam nomen competit. Sicut in prima generatione, qua secundum carnem nascimur, originem nostram aliunde quam ab Adamo ducere non possumus, ita in secunda generatione, quæ est spiritualis, non aliunde Gratiam & adoptionem accipimus, quam per JEsum Christum, qui utramque accepit, primam ex Virgine Matre, &*

Lib. III. init. *alteram in suo Baptismo. JEsus Christus in sua Humanitate est Filius David & Filius Dei. At fieri non potest, ut homo duos patres habeat secundum Naturam. Ergo unus est Pater naturalis & alter Adoptivus. Adoptio nihil aliud est, quam electio, gratia, applicatio ex arbi-*

trio

trio & libera voluntate. Hæc autem omnia in Scriptura de JEſu Chriſto leguntur. Hactenus Felix de Adoptione. Sæcul. VIII. A. C. 792.

Ut demonſtraret JEſum Chriſtum tanquam hominem ſolummodo Deum eſſe nuncupative, id eſt, nominetenus, dicebat: *Secundum teſtimonium Salvatoris Scriptura Deos nuncupat illos, ad quos Verbum Dei dirigitur, propter gratiam, quam receperunt. Ergo quia JEſus Chriſtus particeps eſt Naturæ Humanæ, etiam particeps eſt nuncupationis de Divinitate, quamvis modo excellentiore ſicut in omnibus aliis Gratiis. S. Petrus dicit, JEſum Chriſtum patraſſe miracula, quoniam Deus erat cum eo. Et S. Paulus; quoniam quidem Deus erat in Chriſto Mundum reconcilians ſibi. Non dicunt JEſum Chriſtum fuiſſe Deum. Tanquam Deus ſua Eſſentia bonus eſt; ſed tanquam homo, quamvis bonus ſit, non tamen eſſentia & per ſe ipſum bonus eſt. Si verus Deus fuit, ut dicitis vos, ex quo conceptus eſt in ſinu Virginis, quomodo apud Prophetam dicit, quod Deus formaverit ſe ex utero Servum ſibi? Rurſus, quo pacto dicere poteſtis, quod hic homo Domini ſit verus Deus ex utero Matris ſuæ, cum natura ſua ſit verus homo, & in omnibus Deo ſubjectus? An fieri poteſt, ut ille, qui verus Deus eſt, fiat conditione ſervus, ſicut JEſus Chriſtus in for-*

JEſus Chriſtus nuncupative filius.

Act. 10. 38.

2. *Cor.* 5. 19.

Lib. V. p. 82.

p. 844.

Iſai. 49. 5.

p. 849.

p. 866.

Sæcul. VIII. A. C. 792.

ma Servi? Nam demonstratur, quod sit Servus Dei & filius Ancillæ ejus, non solum obedientia, ut plerique explicant, sed natura. In qua forma æternum subjectus erit Patri, si Divinitatis Humanitatisque ejus nulla est distinctio? In alio loco Felix ex Advocati nomine, quod S. Joannes Apostolus JEsu Christo tribuit, argumentum eruebat hujusmodi: *Advocatus est Mediator, qui apud Patrem pro peccatoribus intercedit; quod de vero Deo non est accipiendum, sed de homine, quem assumpsit.* (*) Ad hæc probanda Felix multos Textus ex Scriptura & Patribus detortos & truncatos afferebat; præcipue vero nitebatur Liturgia Hispaniæ, ubi sæpe dicitur, quod Filius Dei adoptaverit Naturam Humanam, & de Adoptione sæpe fit mentio.

p.850. 1. Jo. 2. 1. p.858. Lib. VII. p.895.

§. LV.

Alcuinus contra Felicem scribit.

Alc. ep. 48. Hoc Libro Felicis in Franciam delato, Rex Carolus Alcuino præcepit, ut responderet. Ille hanc provinciam lubenti

(*) In hac tota Dissertatione error Felicis inde originem trahit, quod in JEsu Christo Naturas & Personam confundat, sicut maxime in hoc loco. Nam Filius Dei non assumpsit Hominem, sed assumens Naturam Humanam factus est Homo.

benti animo in se suscipiens rogavit Regem, ut descripta Libri exemplaria Papæ, Paulino Patriarchæ Aquilejensi, Richboldo Archiepiscopo Trevirensi, Theodulfo Episcopo Aurelianensi, Viris illa ætate doctissimis, mitteret, & ipse sibi moram ad consulendos Patrum Libros popposcit. Paulinus contra hanc Hæresim concinnavit tres libros, quos habemus, Regi Carolo, quo jubente scripti fuere, dedicatos. Alcuinus vero conscripsit libros septem, in quibus presso pede Felicem refutat. Dicit hanc Hæresim Ecclesiæ pacem, qua fruebatur, turbasse, & exprobrat exiguum numerum illorum, qui eam in mundi angulo contra Auctoritatem Ecclesiæ Universalis sectabantur. Tum ad ipsius Quæstionis summam veniens dicit, illos in Nestorii Hæresim relabi, qui in JEsu Christo duos Filios Dei, unum Naturalem alterum Adoptivum distinguunt, item duos Deos unum verum alterum nuncupativum. Non posse esse eundem, qui dicit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob*, & cui dicit: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Nec solum nuncupative Deum esse, de quo S. Paulus dicit, *Deum esse super omnia*, loquens de JEsu Christo, qui secundum carnem ex Judæis ortus esset. Rursus interrogat: *Quare Ecclesia S. Virginem*

Sæcul. VIII. A. C. 792.

Post. Alcuin. p. 1765.

Lib. I. p. 786.

p. 787.

p. 792.

Ex. 3. 6.

7. 1.

Rom. 9. 5.

p. 794.

Sæcul. VIII. A. C. 792.

appellat Matrem Dei, nisi quia ille, quem de carne sua genuit, etiam est proprius Dei Filius? secus non erit Mater Dei nisi per Adoptionem. Et si Filius Virginis est Filius Dei adoptivus, Filius Dei etiam Filius adoptivus Virginis erit.

p. 795.

Dicis, novo homini competere novum nomen. Quis te hoc novum nomen docuit? An Deus locutus est tibi de Turbine, sicut Job? aut super Pyrenæos montes, sicut Moysi in monte Sinai? Dicis, unum hominem non posse habere duos Patres naturales, & JEsum Christum non posse esse Filium Dei, eo modo, quo est Filius David. Dico & ego, unum patrem non posse habere duos filios in eadem persona unum naturalem & alterum adoptivum. In ordine generationis naturalis, quamvis anima Filii non fuerit profecta a patre sicut filii corpus, nihilominus totus dicitur filius illius, qui ipsius corpus produxit.

Lib. II.

Lib. III. p. 813.

Si Filius Virginis solum est Filius adoptivus Dei, cujus Personæ ex SS. Trinitate filius est? sine dubio Personæ Filii, quæ naturam humanam assumpsit. Ergo æterni Patris Nepos adoptivus erit.

p. 828.

JEsus Christus Filius Dei Naturalis

Ad demonstrandum, quod JEsus Christus verus Deus sit, Alcuinus plurimos Textus Patrum affert, Procli Constantinopolitani, Cassiani, S. Augustini, S. Cyrilli, S. Hieronymi, S. Fulgentii, S. Hila-

Lib. IV.

S. Hilarii, Theophili Alexandrini, S. Ambrosii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Petri Chrysologi, S. Bedæ, Victoris Capuani, Cassiodori, & S. Gregorii Papæ. Quod ideo notavi, ut videat Lector, quos Libros in manibus habuerit, eique Patres Græcos æque familiares fuisse ac Latinos. Felix contendebat, JEsum Christum non esse proprie Deum, quia legimus, Deum fuisse in illo. Alcuinus respondet, inde etiam secuturum, nec Verbum Deum esse, nec ipsum Patrem, cum JEsus Christus dicat: *Quia ego in Patre, & Pater in me est.* Ad objectionem, quod JEsus Christus dicatur Advocatus, respondet, JEsum Christum eo modo (*) pro nobis intercedere, quo dicitur Spiritus Sanctus postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Hæc metaphorice dicuntur.

Sæcul. VIII. A.C. 792.

p. 856. *p.* 868. *L. V. p.* 855.

Joan. 14. 12 *p.* 858.

Rom. 8. 26.

Ad Textus Patrum a Felice citatos Alcuinus respondet demonstrando, quod eos vel inepte adhibuerit, vel corruperit. Tandem ad Auctoritatem a Liturgia Hispanica desumptam dicit, quod illius Auctores in Orationibus, quæ referuntur,

L. VI. p. 872. *Lib. VII. p.* 883. *p.* 895.

(*) Inde dispicimus, quod longe alia orandi ratio sit JEsu Christi in Cælo ac Sanctæ Virginis ac Beatorum; nec ab Oratione Christi ad Orationem Sanctorum quoad modum semper bona sit argumentatio.

Sæcul. VIII. A. C. 792.

runtur, videantur esse Hæretici, *Nisi forte*, inquit, *tu eas depravasti, quemadmodum & alios textus, nam vox Assumptio loco vocis Adoptio ibi legi dicitur. Nos autem Auctoritate Ecclesiæ Romanæ nitimur.* Refert postremo aliquas Orationes, in quibus JEsus Christus Filius Dei unicus nominatur, suntque illæ ipsæ, quas hodieque, & in iisdem Festis recitamus.

§. LVI.

Alii contra Felicem & Elipandum Libri.

Libell. Paul. to. 7. Conc. p. 1022.

Elipandus data usque in Franciam epistola Encyclica ad Episcopos, & alia speciatim ad Regem Carolum directa suam Doctrinam propugnabat, ejusque litteræ in Concilio ex diversis provinciis collecto recitatæ sunt. Quadam vero die Episcopis in atrio Palatii considentibus, Diaconis, Presbyteris omnibusque Clericis circumstantibus, ipso Rege præsente allata est Elipandi Epistola, qua perlecta Rex e sede sua surgens diu de Fide verba fecit, & addidit: *Quid vobis videtur? ab anno superiore, ex quo hic error spargi cœpit, magno horrore usque ad extremas Regni nostri partes exceptus est. Maxima ergo cura tollendum existimo.* Cum Episcopi aliquot dierum moram petiissent ad dicendam sententiam

Ep. Car. p. 1048. 1049. Coint. an. 793. n. 15.

tiam, Rex diem præstituit, qua singuli, quid censerent, in scripto aperirent. Præterea Carolus hac super Quæstione Legationibus Romam quater adornatis Papæ sententiam exploravit. Ex magna Britannia quoque viros doctos accivit, ut omnium Ecclesiarum in Occidente consensum colligeret. Sæcul. VIII. A. C. 792.

Hadrianus Papa missa ad Regem Carolum epistola, quæ dirigebatur ad Episcopos Galæciæ & Hispaniæ, id est, tam ad illos, qui Regi Alphonso parebant, quam ad illos, qui sub Dominatione Arabum premebantur, litteris Elipandi sibi a Rege missis respondit, & Auctoritate Scripturæ errores in iis contentos refutavit in hunc modum: JEsus Christus dicit: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*, suum natura, nostrum adoptione. S. Paulus dicit: *Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Atqui non secundum Divinitatem, sed secundum Humanitatem traditus est. Doctrinam suam Pontifex in Confessione S. Petri præcipue fundat: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Refert deinde Auctoritatem multorum Patrum tam Græcorum quam Latinorum, illos damnantium, qui JEsum Christum filium adoptivum sicut nos esse dicerent. In fine hortatur Episcopos Hispaniæ, ut Ecclesiæ Fidei inhæreant.

to. 7. Conc. p. 1014.

Joan. 20. 17.

Rom. 8. 38.

Matth. 16.

Sæcul. VIII. A. C. 792.

reant. Secus, eos ab eadem ſeparatos & anathematizatos Auctoritate S. Petri pronunciat.

To. 7. Conc. p. 1022. v. Coint. ann. 794.

Paulinus quoque Patriarcha Aquilejenſis miſit ſententiam ſuam ſcriptam, & non ſolum ſuo, ſed etiam Petri Archiepiſcopi Mediolanenſis omniumque Epiſcoporum Liguriæ, Iſtriæ, Territorii Venetorum, & Æmiliæ, id eſt omnium Italiæ Provinciarum in Ditionibus Caroli exiſtentium nomine loquebatur. Reliqua Italiæ pars mentem ſuam cum Papa explicaverat.

Epiſt. Car. p. 1049.

p. 1028. & p. 1038.

In hoc Tractatu Paulinus errorem Elipandi fuſiſſime confutat & ſpeciatim, quod JEſu Chriſti Perſona ex tribus ſubſtantiis Verbo, Anima & Corpore componeretur. Hæc enim, ut ſupra vidimus, Doctrina Hiſpanorum erat. Affirmat, animam & corpus in homine unicam Subſtantiam totam & perfectam conſtituere, *Secus enim*, inquit, *qua Corpus quatuor elementis conſtat*, (in quo illius ævi Philoſophi omnes conſentiebant) *in JEſu Chriſto ſex Subſtantiæ admittendæ forent.* In concluſione Elipandum & Felicem anathematizat, niſi errorem abjiciant, omnesque eorum Sectatores, ſalva tamen Papæ Jurisdictione. Carolo precatur Victoriam de Barbaris reportandam, quo facilius ad veram Fidem adducantur, petitque, ut Epiſcopi

Sup. XI. n. 39.

ab

ab obsequiis militaribus præstandis & negotiorum sæcularium cura eximantur. Sæcul. VIII. A. C. 794.

§. LVII.

Concilium Francofordiense.

Hæc Paulini Epistola in Concilio Universali omnium Provinciarum, Carolo parentium, celebrato ineunte æstate anni 794. vigesimo sexto Regni ejus, Francofordiæ ad Mœnum prope Moguntiam lecta est. Illa tempestate erat locus ille Domus Regia, in qua Carolus hyeme consumpta Festum Paschale celebraverat.

Huic Synodo autem interfuerunt duo Episcopi Papæ Legati Theophilactus & Stephanus. Postquam Rege jubente litteræ ab Elipando & Episcopis Hispaniæ missæ, lectæ fuissent, & ad examen revocatæ, Concilii Patres data Epistola Synodica, nomine omnium Episcoporum Germaniæ, Galliæ, & Aquitaniæ, ad omnes Episcopos & Fideles Hispaniæ directa, amplissime responderunt. *Ann. Laureſh.*

Præcipue illos Textus, quibus Hispani abutebantur, refellunt. Quod vero spectat ad argumenta ex Liturgia Hispanica, quæ S. Isidoro, Sancto Ildephonso, & S. Juliano Episcopo Toletano tribuebatur, Patribus Francofordiensibus operæ pretium non videtur, ut explicent, sed potius dicunt, ob hos ipsos errores *p.* 1032.

Hispa-

Sæcul. VIII. A.C. 794.

Hiſpanos Dei permiſſu Infidelium furori fuiſſe traditos, iisque opponunt Auctoritatem Liturgiæ Romanæ a S. Gregorio compoſitæ. Nihilominus videtur ſenſus bonus tribui poſſe verbis Liturgiæ Hiſpanicæ, quæ adhucdum in Miſſali Mozarabico leguntur. Ubi nempe dicitur, quod JEſus Chriſtus paſſus fuerit per hominem adoptivum, & quod denuo aſcenderit ad Cælum poſt adoptionem carnis, id eſt, poſtquam aſſumpſiſſet carnem, eamque ſibi propriam feciſſet. Videlicet Hiſpani voces latinas: *Adoptio* & *Adoptivus*, pro vocibus: *Aſſumptio* & *Aſſumptus* adhibuerunt. Epiſtola Synodica ſimplici exhortatione ſine comminatione Anathematis finitur.

p. 1035.

Miſſ. de Cœn. Dom. de Aſcenſ.

Carolus quoque Rex data ſuo nomine ad Elipandum aliosque Hiſpaniæ Epiſcopos Epiſtola, inter alia dicit: *Magno dolore afficimur, quod vos Infidelium tyrannis premat; ſed multo magis affligimur, quod in veſtris regionibus a recta Fide aberretis. Hinc coacti ſumus ad convocandum Concilium ex omnibus Eccleſiis Ditionum noſtrarum, in quo communi conſenſu decerneretur, quid ſentiendum ſit, de Carnis JEſu Chriſti Adoptione, quam nuperrime in Epiſtolis veſtris propugnare non dubitaſtis. Hac ſuper re Sacram Sedem Romanam conſuluimus, ex Bri-*

p. 1049.

Britannia viros doctos accersivimus, & omnium litteras ad vos mittimus. Ex primis litteris discetis, quid sentiant Papa, Ecclesia Romana, & illarum regionum Episcopi. In secundis videbitis sententiam Episcoporum, qui Italiæ proximi sunt, atque etiam Petri Archiepiscopi Mediolanensis & Paulini Patriarchæ Forojulienſis & Aquilejensis; quippe & ipsi Concilio nostro adfuerunt. Ex scripto tertio, quæ sit Fides Episcoporum Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ, & Britanniæ, cognoscetis, & responsa ad objectiones vestras invenietis. Scriptum quartum, testimonium est mei consensus, quo Episcoporum Definitionem ratam habui, juxta preces vestras; rogastis enim me in epistola speciatim ad me directa, ne opinione paucorum hominum falli me sinerem, sed Fidem amplecterer plurimorum testimonio nixam. Certe consilium, quod dedistis, sequor, dum sanctam hanc multitudinem vobis, quorum exiguus admodum est numerus præfero. Ex toto corde Sanctæ Sedi Apostolicæ conjungor, antiquas Traditiones a tempore nascentis Ecclesiæ conservatas, Doctrinam Librorum Deo Auctore scriptorum, & Patrum, qui eos in Scriptis suis explicarunt, amplector.

Sæcul. VIII. A. C. 794.

Caroli Regis Epistola. p. 1050.

Sæcul. VIII. A. C. 794.

Id quoque a nobis postulastis, ut Libellus vester nobis præsentibus legeretur, eaque examini subjicerentur, quæ in illo veræ Fidei consentanea continerentur.

p. 1051. *Lectus fuit in Concilio ab initio usque ad finem, de Articulo ad Articulum, & quilibet, quod sibi videbatur, pronunciavit. Adfui, ut petiistis, in conventu Episcoporum, & hac super quæstione Deo adjuvante quod rectum & perfectum est, post maturum examen definivimus. Jam obtestor vos, ut eadem fide, qua hæc definita sunt, & in Spiritu pacis Confessionem nostram recipiatis, & vos ipsos paucos utique homines, Ecclesiæ Universali sapientiores non existimetis.* (*) *Priusquam nobis illa voce, Adoptio, scandalum dedistis, amavimus vos tanquam*

p. 1052. *fratres nostros, eratque nobis solatio, quod dura licet servitute pressi rectam tamen Fidem teneretis. Imo constituramus vos liberare, favente occasione & vestro consilio adjuti.* (**) *Nunc vero utroque auxilio nempe & orationis & armo-*

(*) Hæc etiam quælibet Protestantium Ecclesia a Romana separata sibi dicta habeat.

(**) O Principem vere pium, vere magnum, vere Catholicum, non Sæculi modo sui, sed omnium temporum miraculum!

armorum noſtrorum vos ipſos defrauda-ſtis; niſi enim poſt hanc Papæ & Concilii admonitionem errorem veſtrum abjiciatis, ſciatis velim, quod vos ſimpliciter Hæreticos habituri, & vobiſcum nullatenus communicare auſuri ſimus. Ponit deinde Carolus Rex Fidei ſuæ Confeſſionem, quæ Catholica eſt, & in qua JEſu Chriſti Adoptio erronea nominatim damnatur. Sæcul. VIII. A. C. 794. p. 1053.

In Concilio Francofordienſi Canones quinquaginta ſex conditi. In primo dicitur, quod Auctoritate Pontificis & juſſu Regis fuerit congregatum. Tum Hæreſis Elipandi Toletani & Felicis Urgelitani de Adoptione, quam Filio Dei affingebant, damnatur. p. 1057.

§. LVIII.

Canones de Imaginibus.

Canonis ſecundi tenor eſt hujusmodi: Allata eſt in medium Quæſtio de nova Græcorum Synodo, Conſtantinopoli de Adoratione Imaginum habita, in qua ſcriptum legebatur, ut quicunque imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati Servitium & Adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Quam Adorationem & ſervitutem Concilii noſtri Patres omnino contem-

Sæcul. VIII. A. C. 794.

pserunt, & consentientes condemnaverunt.

v. not. Sirm. tom. 7. Conc. p. 1054.

Haud dubie hæc nova Græcorum Synodus nulla alia est quam ante septennium Niceæ celebrata. Eam Patres Francofordienses Constantinopoli habitam dicunt vel ob locorum propinquitatem, vel quod initio Concilium illic fuerit convocatum. Dicunt etiam in eo decerni, ut Sanctorum imagines

Sup. n. 45.

sicut Sancta Trinitas adorentur; nempe secundum perversam interpretationem sententiæ Constantini Cyprensis, sicut & in Libris Carolinis factum, nam hic Canon in eodem spiritu scriptus est.

Libros illos Carolinos vel ante vel statim post Concilium Francofordiense Angilbertus jam tunc Abbas Centulensis ad Papam misit, iisque Summus Pontifex respondit data amplissima Epistola ad Carolum Regem, quem semper reverentissime habet, quamvis in illis libris acerbissime dicta occurrant. Quia enim Papa Concilio septimo per Legatos suos præfuerat, ejusdem Concilii contemptus in eum recidebat, atque exinde id saltem conficiebatur, persuasum sibi habere Francos, solam Papæ Auctoritatem ad imperandam obedientiam Synodo præstandam sine præcipuarum

puarum Ecclesiarum consensu non suffi-Sæcul. VIII.
cere. (*) A. C. 794.

§. LIX.

Responsum ad Libros Carolinos.

In illo Responso Hadrianus Papa loquitur in hunc modum: *Angilbertum Abbatem Capellæ vestræ Ministrum, pæne ab ipsis infantiæ rudimentis in Palatio vestro enutritum, & omnibus Consiliis adhibitum, suscepimus, (**) & audivimus benevole, quæcunque nobis explicavit, non secus ac si vestra Excellentia nobis locuta fuisset. Is tradidit nobis Capitulare adversus Concilium Niceæ celebratum pro erectione Sacrarum imaginum; & inde dilectio, qua vos complectimur, compulit nos, ut ad singula capitu-* tom. 7. Cons. p. 915.

(*) Sola Summi Pontificis Auctoritas simpliciter quidem sufficeret, sed Dei providentia nunquam factum, ut reliquæ Ecclesiæ a Romana, Fidei dogma promulgante, dissentirent, ne Fidelibus errandi occasio præberetur.

(**) Ipsa verba sic sonant: *Unde pro nimio amore, quem erga vestram mellifluam gerimus regalem excellentiam, sicut misistis, cum nimio amore dulcedinis eximiæ, eum suscipientes &c.* Act. Conc. Tom. IV. p. 775. Edit. Paris.

Sæcul. VIII. A. C. 794.

la responderemus, non quemlibet (absit) hominem defendentes, sed antiquam Ecclesiæ Romanæ Traditionem vindicantes. Respondet deinde ad diversa capitula, non quidem ordinem Librorum Carolinorum sequens, sed semper notans, ex qua Concilii Niceni Actione articulum, quem defendit, excerpserit. Initium ducit affirmans, quod Tarasius dixerat, Spiritum Sanctum a Patre procedere per Filium, atque ad id probandum quorumdam Patrum Auctoritatem adducit. In hoc Summi Pontificis Responso illud observari meretur, quod tunc temporis Ecclesia Romana in Doctrina Græcorum de processione Spiritus Sancti nihil reprehenderet.

c. 9. p. 946.

Ad objectionem deductam ab opinione Constantini Cyprensis, qui ferebatur dixisse, quod Imagines adoraret sicut Sanctam Trinitatem, Papa aliud nihil respondet, nisi quod referat Concilii Decretum, in quo honor imaginibus competens a Cultu Naturæ Divinæ congruo clare distinguitur. Mentionem facit duorum Conciliorum Romæ contra Iconoclastas, anno 732. a Gregorio Papa III. & anno 769. a Stephano celebratorum. Atque hoc secundum ad præsentem disceptationem gravissimi erat momenti, quod duodecim e Fran-

c. 2. p. 919.
c. 12. p. 947.
Sup. Lib. XLII. §. 16.
Sup. Lib. XLIII. §. 56.

cia

cia Episcopi delecti interfuerint, & tamen in eo decretum sit, Imaginibus cultum esse exhibendum. Ad illud, quod dicebatur, vitas Patrum non esse opera genuina, vel corrupta esse, Hadrianus Papa respondet, non alia opera in Ecclesia legi, quam talia, quæ nomina Scriptorum probatorum præferrent, & plerumque legi Acta Martyrum. Affert exempla multorum Pontificum, quorum jussu in Ecclesiis Romanæ Civitatis imagines collocatæ fuissent, quæ adhucdum viserentur, scilicet S. Silvestri, S. Marci, S. Julii, S. Damasi, S. Cœlestini, S. Sixti, S. Leonis, Vigilii, Pelagii, Joannis primi, & S. Gregorii. Sæcul. VIII. A. C. 794. c. 17. p. 955.

Tandem respondet Papa ad ultimum Articulum Librorum Carolinorum, in quo dicitur, non vetari, ne adorentur imagines, sed neque ad eas adorandas quemquam esse compellendum, *Quantum articulus iste a prioribus diversus est! Idcirco hanc esse genuinam mentem vestram cognoscimus, cum S. Gregorii Doctrinam vos omnino sequi profiteamini.* Hic sermo ad Carolum Regem dirigitur. Deinde Textum ex Epistola S. Gregorii ad Serenum refert, in qua dicit, Imagines utiles esse ad informationem nostram, at neminem p. 960. Hadriani Papæ Responsa.

Sæcul. VIII. A. C. 794.

nisi solum Deum esse adorandum. Addit Textus duos ex Sancto Gregorio, videlicet ex duabus ad Secundinum Epistolis, ubi dicit, mittere se ipsi imagines ad excitandam ipsius devotionem, atque ut JEsum Christum præsente ipsius imagine adoret.

VIII. ep. 9. Sup. Lib. XXXVI. §. 9.

VII. ep. 5. 53

Papa de Concilio Niceno II. loquens prosequitur: *Hoc Concilium recepimus, quia ejus Definitio cum opinione Sancti Gregorii consentit, timentes ne si illud rejiceremus, Græci in errorem suum relaberentur, nosque tot animarum ruinæ causam poneremus. Interim post celebratum Concilium necdum Imperatori ullum responsum dedimus.* Nimirum non latebat Pontificem, vacillare Auctoritatem Aulæ Constantinopolitanæ, ibique Iconoclastas plurimum posse. His subjungit: *Cum Græcos hortati fuimus, ut imaginum cultum reducerent, monuimus etiam, ut Ecclesiæ Romanæ Jurisdictionem in quosdam Episcopatus & Archiepiscopatus, item patrimonia, tunc nobis ablata, quando imagines destruere jussi sunt, redderent; sed nullum responsum accepimus. Unde liquet, ipsos unum articulum sed non duos alios emendasse. Itaque si vobis videatur, cum Imperatori scribam & ob assertum imaginum cultum*

p. 962.

cultum Gratias agam, inſtabo, ut Ju- Sæcul. VIII.
risdictionem & Patrimonia quoque re- A. C. 794.
ſtituat; ſi vero recuſet, Græcos Hæreticos pronunciabimus.

Tale eſt Hadriani Papæ ad Libros Carolinos reſponſum, ideo admiratione digniſſimum, quod leniſſime reſpondeat Scripto contumeliis & ſophiſmatis referto; ſive tanta moderatio Pontificis ingenio adſcribenda ſit, ſive timori ne offenderet animum Caroli, cujus præſidium ipſi erat per neceſſarium.

§. LX.

Reliqui Canones Francofordienſes.

In tertio Canone Concilii Francofordienſis dicitur, Taſſilonem Caroli Sobrinum, olim Bavariæ Ducem, in medio Concilii ſtantem, flagitaſſe veniam culparum, quas tam in Regnum Francorum, quam in Reges Pipinum & Carolum admiſiſſet. De cetero etiam omnem animi rancorem de præteritis dimittebat, & omne jus, quod ſibi vel filiis ſuis in Ducatum Bavariæ competere potuiſſet. Rex omnibus condonatis ſupplicem recepit in gratiam. *Egin. an.* 788.

Sæcul. VIII. A. C. 794.

Jam ſexennium effluxerat, ex quo Taſſilo criminis læſæ Majeſtatis convictus ad mortem damnatus fuerat, & Rege vitæ gratiam tribuente, in Monaſterium conceſſerat, ubi vitæ anteactæ ſanctum finem impoſuit. Ignoramus vero, an novi criminis ſe reum fecerit, cujus veniam petere denuo coactus ſit.

v. Act. SS. Ben. to. 4. p. 444.

c. 8.

Urſione Archiepiſcopo Viennenſi & Elifanto Archiepiſcopo Arelatenſi de ſuarum Provinciarum limitibus altercantibus, lectæ ſunt Paparum Epiſtolæ, in quibus definitum fuerat, ut Provincia Viennenſis haberet quatuor Sedes Suffraganeas, & Provincia Arelatenſis novem, ſuper quas Metropolitæ eminerent. Quatuor Eccleſiæ Suffraganeæ Epiſcopatus Viennenſis ſecundum Decretalem S. Leonis erant Valentia, Tarentaſia, Geneva, Gratianopolis. At Tarentaſia, quæ Civitas principio fuerat Metropolitica, & tres Sedes habebat Suffraganeas nimirum Octodurenſem, Auguſtanam, & Maurianam jam Viennenſi ſubeſſe detrectabat. Epiſcopi quoque Embrodunenſis & Aquenſis Archiepiſcopo Arelatenſi ſubeſſe recuſabant, & Provincias proprias, quales hodie habent, ambiebant. Sed circa

Sup. Lib. XXVII. §. 45.

Leo ep. 50. al. 109. v. Not. Sirm. & Coint. an. 794. n. 48.

trium

trium horum Episcoporum postulationem tunc in Concilio Francofordiensi decretum, ut ea, quæ a Papa olim definita fuerant, observarentur. Sæcul. VIII. A. C. 794.

Cum Petrus Episcopus Virodunensis accusaretur, quod conjurationis Pipini Gibbosi in necem Regis Patris sui, ante biennium vulgatæ conscius fuisset, Rex & Concilium jusserunt, ut cum duobus vel tribus Episcopis, sicut in Consecratione sua, vel cum Archiepiscopo Trevirensi Metropolita suo juramento se purgaret. Quia vero Petrus neminem habebat, qui pro ejus causa cum ipso jurare auderet, misit unum suorum, qui Dei Judicium sustineret, inscio Rege & Patribus. Ipse interim nec super Sanctorum Reliquias, nec super Evangelia jurans, solum coram Deo asseverabat, quod sibi hujus criminis non esset conscius, atque in suæ innocentiæ argumentum Homini suo Dei auxilium expetebat. Tum homine ipsius sano & incolumi reverso Rex ignovit Episcopo, Dignitatem asseruit, & plene purgatum habuit. Ignoramus, quale fuerit hoc experimentum, quod hic Dei Judicium appellatur, an duellum, vel ferrum candens, vel aliud, quo Barbarorum legibus uti licebat. Illud

Egin. an. 292.

c. 9.

Canones Francofordienses.

Sæcul. VIII. A. C. 794.

lud autem obſervandum, quod nec Rex, nec Patres hujus conſilii participes eſſe voluerint.

can. 10. Magenardus Archiepiſcopus Rothomagenſis tanquam Suffraganeum ſuum receperat Gerbodum, nullos ſuæ Ordinationis teſtes habentem, & profitentem, ſe nunquam Canonice Diaconum nec Presbyterum fuiſſe ordinatum. Concilium juſſit, ut a Magenardo & Provincialibus ſuis ab Epiſcopatu deponeretur.

c. 55. Rex Concilio ſignificavit, ſibi ab Hadriano Papa licentiam fuiſſe conceſſam, ut in Regia ſua ſemper retineret Angilramum Epiſcopum Metenſem Cauſas Eccleſiaſticas curaturum, videlicet Regis Archicapellanum & Papæ Apocriſiarium futurum, adjecitque, eandem licentiam ſibi datam, Hildebaldum Archiepiſcopum Colonienſem iisdem de cauſis apud ſe habendi. Tum rogavit Patres, ut conſentirent, qui etiam id ratum habuerunt. In hoc Canone Angilramus dicitur Archiepiſcopus, quod nomen Sancto Chrodegango quoque & Drogoni, etiam Epiſcopis Metenſibus, tribuitur. Id nempe ipſis competebat ex privilegio accepto a Pontifice, qui his tribus Pallium & Titulum Archiepiſcopi

Sirm. hic.

piscopi concesserat. Præterea Rex Patres rogavit, ut Alcuinum in suam Societatem & Orationis communionem ob insignem Rerum Ecclesiasticarum Doctrinam reciperent. Quod etiam Regi lubentissime datum. Sæcul. VIII. A. C. 794. c. 56. *Elog.*

Ex eo tempore, quo Alcuinus in Francia versabatur, Rex duas ei Abbatias, Ferrariensem, & S. Lupi in Civitate Trecensi, contulerat.

Præter has causas particulares, Patres Concilii Francofordiensis etiam multa Decreta ad Fideles omnes pertinentia condiderunt. Litem inter Clericum & Clericum Episcopus dirimat. Si Laicus actionem moveat contra Clericum, Episcopus & Comes conjunctim judicent. Si Partes Episcopo obedire nolint, adeundus est Metropolita, qui cum Suffraganeis suis judicet, & si Metropolita finem liti imponere nequeat, Judicium Regi relinquat. Presbyter, si commissi criminis accusetur, judicetur ab Episcopo, & si is causam finire non valeat, ad Concilium nationale deferatur. Episcopi ab una Civitate ad aliam non transferantur. Episcopus a sua Ecclesia ultra tres septimanas non absit. Ita Clericos suos instituat, ut semper adsit aliquis dignus, qui defuncto succe- c. 30. c. 6. Concilium Francofordiense. c. 36. c. 7. c. 41. c. 29.

Sæcul. VIII. A. C. 794.

succedat. Episcopo mortuo propinqui in illis solum bonis, quæ ante suam Ordinationem possidebat, succedant; quæ postea acquisivit, ad Ecclesiam suam pertineant.

c. 41.

c. 28. Clerici non ordinentur sine Titulo. De una Ecclesia ad aliam non transmigrent, & sine litteris Episcopi sui nusquam recipiantur. Vagabundi comprehendantur, in carcerem mittantur, & suo Seniori reddantur. Clerici Capellæ Regiæ cum Presbyteris erga suos Episcopos inobedientibus non communicent. Monachi Regulam Sancti Benedicti observare, & a negotiis sæcularibus abstinere jubentur. Nullus sine licentia Episcopi & Abbatis cellæ includatur. Abbates pro recipiendis Monachis pecuniam non accipiant. Non liceat ipsis Monachum visu vel aliquo membro privare quantacunque sit culpa. Rex sine Episcopi consensu Abbatem eligi non jubeat. Deus non solum in tribus linguis, ut aliqui dicebant, sed in omni lingua orandus est. Forte tantum Hebraice Græce & Latine licitum esse orare putabant, propter Titulum Cruci Domini affixum. Quilibet det Decimas ex propriis Bonis præter pensiones ob possessionem Beneficiorum

c. 27.
c. 38.
c. 13. 14.
c. 16.
c. 12.
c. 18.
c. 17.
c. 52.
c. 25.

rum Ecclesiæ debitas, nempe agrorum, quorum usumfructum privatis concedebat. Sæcul. VIII. A. C. 794.

Hi sunt Canones, qui mihi in Concilio Francofordiensi notandi videbantur.

§. LXI.

Capitulare Italiæ.

Sub idem tempus conditum creditur Capitulare Italiæ, in quo præter alia agitur de Bonis Ecclesiasticis, pro illorum temporum abusu, Laicis in usumfructum concessis. Soli Regi liceat hunc in modum Monasteria aut Hospitia concedere. Qui vero Nosocomia possident, teneantur alere pauperes, sicut antea fiebat; secus ea dimittant, quibus Rex ex consilio Episcopi Curatores dabit. Ecclesiæ Baptismales seu Parochiæ Laicis non concedantur, sed a Presbyteris regantur. Episcopi habeant Advocatos seu Professos, id est, VirosLaicos, quibus jura Ecclesiarum suarum defendere incumbat. *to.* 1. *cap. p.* 257. *c.* 6. *c.* 2.

Hos antiqui Canones vocant Defensores, qui plerumque erant Scholastici aut Jurisconsulti, ut causas Ecclesiasticas agerent, & urgerent coram Judicibus *c.* 3. *v. Cang. Gloss. Advoc.*

Sæcul. VIII. A.C. 794.

bus Sæcularibus, quos adire Clericis non licebat.

Ex quo Barbari dominari cœperunt, Defensores Ecclesiarum Viri militares constituebantur, qui necessitate postulante, Ecclesias armis etiam tueri possent. Principis Mandatarius unacum Episcopo curet, ut Legata pia ad eos, quibus destinata sunt, perveniant. Reliqua hujus Capitularis ad Res Sæculares pertinent.

c. 8.

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XLV.

HADRIANUS PAPA.
CONSTANTINUS VI. IMPERATOR.
CAROLUS REX LONGOBARDORUM.

§. I.

Constantinus Theodotam ducit.

Constantinus Imperator Mariam Imperatricem, quam invitus tori consortem acceperat, in dies magis aversabatur, cumque jam proprio regnaret arbitrio, dissolvere invisum matri- Sæcul. VIII. A. C. 795. *Sup. Lib. XLIV.* §. 47. 48. *Theoph. an.* 5. *p.* 396.

Sæcul. VIII. A. C. 795.

trimonium constituit. Imo & Irene Mater, qua compellente illam duxerat, jam ingratum vinculum rumpere suadebat vaferrima mulier, eo nempe consilio, ut, cunctis filii inconstantiam devoventibus, amissam potestatem ad se ipsam traheret. Hoc vero divortium meditabatur juvenis Imperator, captus amore Theodotæ, puellæ, quæ inter Mariæ alumnas in aula serviebat. Novas igitur nuptias cogitans de industria in vulgus spargi jussit, Mariam vitæ suæ propinato veneno fuisse insidiatam. At nemini hac fabula imposuit.

vit. S. Tarasi. c. 7. ap. Boll. 25. Feb. to. 5. p. 584.

Nihil etiam intentatum reliquit Constantinus, quo Patriarcham Tarasium eo adduceret, ut hoc divortium approbaret. Misso enim Viro, Magistratu insigni, omnia adjuncta hujus molitionis, qua Imperator e medio tollendus erat, edoceri eum jussit, & suo nomine nunciari, hanc accusationem argumentis luculentissimis probari. Patriarcha ingemiscens respondit: *Nescio profecto, an Imperator par futurus sit ferendæ infamiæ, qua nomen suum coram omnibus nationibus notaturus est. Quomodo in subditis suis adulteros, & improbos in omnem vitæ licentiam effusos coercebit, postquam rem pessimi exempli patraverit? Etsi Imperatricis Mariæ facinus atrox tam liquido constaret, ut dicis, nihilominus*

nus perpendendum est Domini præceptum prohibentis, uxorem, nisi in causa adulterii, dimittere. Ergo, meo nomine Imperatori dices; me potius necem & acerbissima tormenta subiturum, quam ejus voluntati consensurum. Sæcul. VIII. A. C. 795.

Tarasius, deinde ab Imperatore accersitus, in Regiam venit, comitante Monacho Joanne, qui Concilio septimo Patriarcharum Orientalium nomine interfuerat. Itaque Imperator ad Patriarcham: *Nihil eorum, quæ acturus sum, te celare volui, quia Patris loco te habeo. Nemo negaverit, me posse dimittere mulierem, quæ mihi mortem machinata est, mulierem, ultimo supplicio, aut saltem pœnitentia perpetua dignam! ut vero sontem esse scias inspice sceleris argumenta.* His, jubet afferri vas vitreum quod liquore turbido livebat, dicens, hic inesse venenum, quo uxor sua usura erat, ut sibi vel vitam vel saltem rationem adimeret. At non potuit juvenili fraude Patriarcham fallere, qui Imperatori dixit, minime ignorare se, quod Theodotam deperiret. Tumque candide aperuit, se ejus matrimonium dirimere non posse, sed fore, ut in proposito perseverantem a Sanctuario arcere (id est, excommunicare) compelleretur. Joannes quoque Monachus, vir senectute venerabilis, diu & constanter coram Imperatore *Sup. Lib. XLIV. §. 26*

Sæcul. VIII. A. C. 795.

ratore verba fecit, indignantibus Prætoribus & Patriciis, quorum aliquis acriter differentem percussurus ensem nudaverat. Tandem Imperator, cum non haberet, quod responderet, utrumque e conspectu abigi jubet.

Theoph. an. 5

Itaque Constantinus a proposito se dimoveri non passus Mariam Imperatricem Monacham esse cogit, & detondet

Constantini Nuptiæ.

mense Januario Indictionis tertiæ anno septingentesimo nonagesimo quinto. Mense Augusto sequente Theodotam Imperatricem proclamat & Sponsam. Cum vero Patriarcham permovere non potuisset, ut nuptiis benediceret, accersito alio Presbytero, nempe Josepho Abbate & Oeconomo Ecclesiæ Constantinopolitanæ, eam publice duxit die quarta mensis Septembris sequentis in Palatio Mamæ Indictione quarta jam inchoata. Hoc Imperatoris factum non modo Constantinopoli, sed etiam in aliis Urbibus & Provinciis remotissimis, quales erant Bosphorus † & Gothia, maximum scandalum creavit, Provinciarum Rectoribus aliisque Optimatibus Imperatoris exemplum sequentibus, cum quidam uxores suas expellerent, & alii unacum uxore pellices domi alerent, ita ut pernicioſa licentia sisti non posset.

† nempe Cimmerius.

S. Plato & S. Theodorus soli generosum pectus tanto malo manifeste opposue-

posuerunt, Communionem Imperatoris respuentes. Nam Tarasius Patriarcha ultra minas non est progressus, nec credidit e re Ecclesiæ fore, si Imperatorem excommunicaret, ne ansam ipsi daret deficiendi ad factionem Iconoclastarum, quorum non exiguus erat numerus; quippe id se facturum juvenili audacia minatus fuerat. Ergo Tarasio videbatur, dissimulandum esse, ne Principem ad pejora impelleret. Nihilominus prudentissimum virum Imperator pessime habuit; nam Syncellos dedit, verius exploratores, qui omnes, nisi quos sibi favere noverant, a Patriarchæ alloquio arcebant. Familiares quoque Patriarchæ & propinquos Imperator contumeliis affici & relegari jussit. Sæcul. VIII. A. C. 795.

§. II.

S. Platonis initia.

Plato, de quo prius nobis mentio fuit, anno septingentesimo trigesimo quinto Constantinopoli Sergio & Euphemia nobilibus & divitibus parentibus ortus, iisdem postea & plerisque propinquorum suorum peste Constantinopolim dire depopulante anno 745. orbatus, beneficio unius patrui, Ærario Imperatoris præfecti, educatus est. Cumque Plato adolescens peritissime notas efformaret, initio patruum sublevare, & deinde mu-

Sæcul. VIII. A. C. 795.

nere ipsius defungi cœpit, ita ut præter nomen nihil re ipsa deesset. Proceres plerique & ipse Princeps Platonem diligebant, qui sobrie vivens, nam ab omnibus vitiis, quibus juvenes immergi solent, abhorrebat, & exinde multis opibus, præter illas, quas a parentibus acceperat, abundans, sæpius præclaras nuptias sibi oblatas rejecit. Sed potius amore Dei incensus super vitæ Sæcularis strepitum elevabatur. Lectione delectabatur, Ecclesias & Monasteria frequentabat, confitebatur, (*) & interiora conscientiæ revelabat cuidam Abbati, quem innocentia ejus singularis in admirationem rapiebat.

Tandem relicturus omnia, mancipiis manumissis, & venditis omnibus Bonis suis, quorum partem maximam pauperibus, & admodum exiguam duabus sororibus dedit, Constantinopoli discessit, & pergens ad montem Olympum in Bithynia Theoctisti Abbatis Disciplinæ in Monasterio Symbolorum se tradidit.

Plato tunc ætatis annos numerabat viginti quatuor, ex quibus duodecim in domo patrui sui transegerat, unde sequitur, quod Monasterium ingressus sit anno

(*) Il se confessoit à un Abbé! confitebatur Abbati, hat der Protestant gegeben: Er vertrauete sich einem Abte an.

anno 758. postquam Monachum induis- Sæcul. VIII.
set, singulis quidem virtutibus, at præ- A. C. 795.
cipue obedientiæ, in voluntatem Magi-
stri sui plene resignatus, studere cœpit.
Labori manuum, præsertim describen-
dis libris, in qua arte excellebat, vacabat,
nec ideo tamen farinam subigere, hor-
tum rigare, & fimetum comportare re-
cusabat.

Theoctistus, ut experimentum cape-
ret, quantum Plato in virtute patientiæ
profeciisset, eum non nunquam increpa-
bat, quamvis nulla præcessisset culpa,
verbisque verbera & colaphos addebat,
ipso Platone rogante, ut se his modis ha-
beret. Postea vero tenerrime eum ama-
vit, & ejus in se adjuvando operam us-
que adeo credebat necessariam, ut ab S. Plato.
eo avelli non posset, sed omnium Bono-
rum Monasterii Regimen committeret,
de quibus ille nec obolum in suos usus
impendebat. Theoctisto fatis functo,
Plato ad cellulam suam convolans, vi-
tam Anachoreticam ducere cupiebat,
postquam in Congregatione ad id vitæ
genus satis se comparasset; sed Abbas
a Symbolensibus electus defuncto succe-
dere coactus est, anno salutis septingen-
tesimo septuagesimo, ex quo Monaste-
rium adierat duodecimo, ætatis suæ tri-
gesimo sexto. Vescebatur vero pane,
fabis, & oleribus, oleo non conditis, ex-

Sæcul. VIII. A. C. 795.

ceptis illis diebus, quibus cum Congregatione manducabat, scilicet diebus Dominicis & Festis. Sitim nullo alio potu quam aqua sedabat, sed raro, namque non nunquam usque ad decimum diem non bibebat. Orans sæpissime genua flectebat, assidue laborabat; inter ceteras enim ejus virtutes continui laboris studium eminebat. Hinc Monasteriis suis numerum ingentem librorum sua manu descriptorum, & præsertim ex Patribus excerpta, reliquit.

Constantino Copronymo Monachos furiose persequente latuit Plato, & isto Imperatore defuncto cum negotii necessarii causa Constantinopolim venisset, usque adeo ignorabatur, ut ne quidem ipsius nepotes scirent, an adhucdum aura frueretur. At virtus Sanctum Virum non diu latere permisit, dum suis exhortationibus saluberrimos animarum fructus produxit; quippe in familias odio & inimicitiis divisas concordiam reduxit, pessimam temere jurandi consuetudinem repressit, ipso instante largissimæ in pauperes eleemosynæ erogabantur, plurimos licentius viventes ad frugem convertit. Instantissime rogatus, ut cujusdam Monasterii Constantinopoli Regimen susciperet, tam istud, quam etiam oblatum sibi a Tarasio Patriarcha Episcopatum Nicomediensem recusans ad dilectam

dilectam solitudinem remeavit. Cum interim Irene Imperatrix quibuscunque libertatem reddidisset Institutum Monasticum amplectendi, tota S. Platonis familia, nuncium Mundo mittens, fundavit Monasterium prope Constantinopolim, dictum *Saccudion*, cujus Regimen S. Plato suscepit anno septingentesimo octogesimo secundo, & ex eo tempore, quo Abbas Symbolensis electus fuerat, duodecimo. Monasterio suo Servos ademit, ea potissimum de causa, quod uxores haberent, quæ dimitti non possent. Præterea Monachorum non esse judicabat, habere homines, a quibus formidari deberent. Satis difficulter quidem hunc morem sustulit; postmodum autem bonum exemplum alia quoque Monasteria ad dimittenda mancipia permovit. S. Platone hanc Congregationem gubernante celebratum est Concilium Nicenum, cui interfuit, ejusque nomen octavo post Episcopos loco, tanquam Hegumeni & Archimandritæ *Saccudion* legitur. Haud multo post tempore tentatus morbo, qui lethalis videbatur, arrepta occasione Monasterii Regimen dimisit, & Theodorum ex Sorore sua natum Abbatem eligi curavit. S. Plato tunc Abbatiæ *Saccudion* annis duodecim præfuerat; unde agebatur annus Salutis septingentesi-

Sæcul. VIII. A. C. 795.

Act. 4. *p.* 339.

Sæcul. VIII. A. C. 795.

mus nonageſimus quartus, ætatis ejus ſexageſimus.

§. III.

S. Theodorus Studita.

Theodorus tunc annum ætatis numerabat trigeſimum quintum, quippe anno Copronymi decimo nono, Salutis ſeptingenteſimo quinquageſimo nono, in lucem editus erat, & agebat Profeſſionis ſuæ annum decimum tertium. S. Plato morbo decumbens Congregationem convocat, & tanquam poſt breviſſimum temporis ſpatium ex hac vita migraturus, Fratres obteſtatur, ut ſibi candide aperirent, quem Abbatem, ſe elato, habere cuperent, prolixe pollicitus, ratam ſe habiturum eorum voluntatem, quemcunque elegiſſent. Nec ignorabat, quis omnium votis expeteretur. Cunctis uno ore reſpondentibus, ſe Theodorum expetere, S. Plato, nihil præterea eloquutus, illico eidem munus Abbatis injungit. Theodorus vero, cui nihil minus in mentem venerat, unanimi omnium conſenſui reſiſtere non valuit.

vit. per Mich. n. 1. 2. &c.

Illo igitur tempore S. Plato, in ſolitudine agens & ab omni munere liber exiſtimavit, facturum ſe quod zeloſi Chriſtiani eſſe, ſi publice teſtatum faceret, quod Matrimonium Conſtantini Imperatoris & Theodotæ damnet, atque ex

ex hac causa a Communione Tarasii Patriarchæ abstineat. Imperator, ira flagrans, minatur exilium, flagella, membrorum detruncationem. Mittuntur Monachi, qui aliam Platoni mentem inderent, scribuntur Epistolæ; sed frustra omnia. Theodorus Abbas eandem sibi sententiam stare aperte professus, & nihil, contra quam Tarasius Patriarcha existimabat, dissimulandum ratus, re mature pensata Imperatorem publice excommunicat, idque omnibus Monachis denunciat. Imperator iram premens, ut ex Theodoro assensum eliceret, novæ Conjugis suæ, quæ S. Abbatem affinitate contingebat, blanditias adhibuit. Hæc igitur profusa pecunia & magnis donis inprimis autem injecta propinquitatis mentione virum permovere conata est, ut matrimonium suum laudaret.

Sæcul. VIII. A C. 795.

vit. Theod. per Mich. n. 20.

Tum etiam Imperator, videns uxorem suam operam perdidisse, ipse ad Monasterium *Saccudion* se conferens subitum & necessarium negotium obtendit. Verum nec Theodorus Abbas, nec Monachorum quisquam venientem excepit, nullus allocutus est, nullus saltem propius accessit. Ergo contumelia incitatus in Regiam redit, & missis Bardane Scholarum Domestico id est cohortium Duce, & Joanne Comite ab obsequiis, Theodorum Abbatem illosque

ex

Sæcul. VIII. A. C. 795.

ex ejus Monachis, quos in ſententia ſibi adverſa conſtantiſſimos ſciebat flagris cædi jubet. Illi crudeliter dilaniati, decurrentibus cruoris rivis confeſtim, ut Imperator præceperat, Theſſalonicam in exilium abſtrahuntur. Viri erant duodecim videlicet Abbas & undecim Fratres immania verbera æquo animo tolerantes, cumque Imperatoris mandata fuiſſent vulgata, ne quis proſcriptos reciperet, ipſi Monaſteriorum Abbates hoſpites admittere non audebant.

Theoph. an. 6. p. 397.

Plato ab iisdem Proceribus Conſtantinopolim in conſpectum Imperatoris perductus, coram obſtitit, ingerens, illicitum eſſe hoc conjugium. Imperator cellulæ Sanctum Virum incluſit, ubi ei per arctiſſimam feneſtram cibus præbebatur. Nemini captivum inſpicere licebat, eratque hæc cellula, in qua cuſtodiebatur, in Monaſterio S. Michaelis Regiæ contiguo, cui Joſephus, ille nuptiarum inter Imperatorem & novam Sponſam Conciliator præerat. Illo Conſtantinus immiſit Epiſcopos, qui Platoni perſuaderent, ut ſaltem ſimulatis verbis conſentiret, & ſic ex hoc carcere ſe liberaret. Præterea inficetæ irriſiones Monachorum, Laicorum, propinquorum & exterorum, integro, quo perſecutio tenuit, anno viri conſtantiam non fregerunt. Nec ſine maximo emolumento fuit

fuit pulcherrimum fortitudinis exemplum; nam Monachi, & Episcopi in Chersoneso, in Bosphoro, in oris, & Insulis adjacentibus Platonis & Theodoti exhibito specimine excitati Imperatorem ab Ecclesia excommunicatum esse pronunciarunt, nec deinde vel minis vel donis a sententia dimoveri se passi sunt. Hos cum Imperator proscripsisset, eo audentius in nuptiarum istarum scandalum invecti, multos, quos Imperatoris licentia seduxerat, ad Christianæ legis rigorem reduxerunt. Irene Cæsaris mater intelligens, quantum filii facinus probi omnes detestarentur, illis, quos ipse persequebatur, favebat & adulabatur, ut invidiam augeret. Sæcul. VIII. A. C. 795. *vit. S. Theo. p. 23.*

S. Theodorus demum Sabbato, in Festo Annunciationis vigesima quinta Martii, nempe anno 797. Thessalonicam pervenit, unde datis ad S. Platonem litteris, de omnibus a tempore, quo ab ejus latere avulsus fuerat, actis & itineris sui adjunctis certiorem reddidit. Summo Pontifici quoque omnia, ut contigerant, perscripsit, accepitque Responsum, in quo ejus prudentia & constantia dilaudabantur. *Theod. ep. 3.* *v. Theod.*

§. IV.

Hadriani Papæ obitus.

Summus ille Pontifex, qui Theodoro respon- *Anast.*

Sæcul. VIII. A. C. 795.

responsum dedit, fuit Leo III. nam Hadrianus sub finem anni 795. vitam posuerat. Is duabus Ordinationibus mense Martio Presbyteros viginti quatuor, Diaconos septem, & per diversa loca centum octoginta quinque Episcopos creavit. Ecclesiis Romanæ Civitatis plurima Vasa donavit, aliaque varii generis ornamenta, quorum omnium pondus mille trecentas octoginta quatuor libras auri, argenti vero libras mille septingentas septuaginta tres conficiebat. Ubi semper Libra Romana duodecim unciarum accipienda est. Multas Ecclesias reparavit, multasque a fundamentis erexit. Quasdam Diaconias collapsas restauravit, & agris in hunc finem donatis largissimas eleemosynas fundavit. Cum Monasterium S. Stephani, alias Barbara Patricia dictum, prope Basilicam S. Petri ita esset desertum, ut Officium Divinum non amplius perageretur, illud Hadrianus Papa reparavit, Monachos & Abbatem immisit, & Officium Divinum in Ecclesia S. Petri, eo modo, quo & aliæ Congregationes ad psallendum illuc conveniebant, celebrare jussit. Monasterium S. Andreæ, ab Honorio Papa fundatum, tunc pœne collapsum restituit, Monachos & Abbatem dedit, atque Divinas Laudes singulis Horis Canonicis in Basilica Salvatoris, quæ est Ecclesia Late-

p. 1741.

p. 1741.

p. 1745.

Lateranensis, cum Monachis S. Pancratii duobus Choris canere jussit. Nempe quodlibet Monasterium unum chorum efficiebat. Monasteria duo propinqua, alterum S. Laurentii in ruinis veteris Palatii, alterum S. Stephani conjunxit, Monachis in Basilica S. Marci Officium Divinum peragere jussis. Monasterio SS. Hadriani & Laurentii, quod collapsum Sæculares tenebant, restaurato pingues fundos donavit, atque constituit, ut Monachi ad cantandos Psalmos diu noctuque in Ecclesia S. Mariæ Majoris convenirent. Ecclesia S. Anastasii cum Domo Abbatiali aliisque ædificiis incendio consumptis, ita ut solus Loculus, in quo Sancti Lipsana erant inclusa, fuisset servatus, Hadrianus Papa ad restinguendas flammas ipse processit, illudque Monasterium meliora forma quam prius fuerat, rursus ædificavit. Multos etiam Aquæductus, & tandem Romanæ Urbis muros reparavit.

Sæcul. VIII. A. C. 795.

p. 1746.

1750.

Hadrianus Papa Sacram Sedem tenuit annis viginti tribus, sepultusque est ad S. Petrum vigesima sexta Decembris anno 795. Indictione quarta. Vixit temporibus Regis Caroli, ut refert Anastasius, qui exinde Pontificum tempora a Regno Imperatorum Constantinopolitanorum non amplius designat. Carolus comperto Hadriani obitu, haud secus ac

si

Sæcul. VIII. A. C. 795.

si fratrem vel filium amisisset, defunctum deflevit, & quamvis nullatenus dubitaret, quin anima ipsius ad quietem æternam translata fuisset, nihilominus jussit pro eo orari, & regia munificentia eleemosynas distribuit. De Thesauro suo dona misit ad omnes Urbes Metropolitanas, item Dalmaticas & Trabeas, ad omnes Ecclesias Episcopales Angliæ, ut ipse litteris prodidit scribens ad Offam Regem Merciorum. Tandem ut sinceræ amicitiæ æternum monumentum daret Rex Papæ Epitaphium Versibus Latinis Elegiacis composuit. (*) Offa Rex Merciorum Ordine temporis duodecimus, genus

Egin. vit. Car.

ep. ad Off. to. 7. Conc. p. 1130. & Math. Vesim.

(*) Hujus Epitaphii initium & finis apud Pelatium legitur in hunc modum:

Hic Pater Ecclesiæ, Romæ decus, Inclytus Auctor
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir cui vita Deus, pietas Lex, Gloria Christus.
Pastor Apostolicus promptus ad omne bonum.

O pete Regna Pater felix Cœlestia Christi,
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum Sol ignicomo rutilus splendescit ab axe,
Laus tua, Sancte Pater, semper in ore manet.

genus ducens a Penda, qui primus Religionem Christianam suscepit, Regnum auspicatus est anno 756. cum vero Ethelbertum Regem Angliæ Orientalis ultimum vita privasset, Regno ipsius anno 794. potitus, peregrinatione Romana sub finem Pontificatus Hadriani Papæ susceptа Privilegium obtinuit pro Monasterio, quod in Honorem S. Albani, cujus Reliquias invenerat, fundare volebat. Sæcul. VIII. A. C. 796.

§. V.

Leo III. Papa.

Eodem die, quo sepulchro illatus est Hadrianus Papa, ejus Successor Leo III. electus. Is Romæ natus, & a pueritia in Palatio Patriarchali Lateranensi educatus, Psalterium, Sacram Scripturam & universam Disciplinam Ecclesiasticam didicit. Primum Subdiaconus & deinde Presbyter Tituli S. Susannæ ordinatus est, vir castissimis moribus, facundia & animi constantia insignis. Ubi Monachum vel virum pium, singulari aliqua virtute clarum nactus erat, cum eo orare & de divinis rebus colloqui cessare vix poterat. Eleemosynas hilari animo largiebatur, atque ad similia opera charitatis alios excitabat. Ægrotos invisebat, & Doctrina ex Sacris Scripturis petita solabatur. His moribus omnium *Anast.*

Sæcul. VIII. A. C. 796.

hominum & præsertim Vestiario Papali Præpositi amorem sibi conciliavit; unde factum, ut unanimi omnium consensu, in Festo S. Stephani, vigesima sexta Dec. anno 795. ab omnibus Episcopis, Optimatibus, Clericis Populoque Romano Romanus Pontifex eligeretur, & altera die in Festo S. Joannis Evangelistæ, quod illo anno in Dominicam incidebat, lætantibus omnium ordinum hominibus consecraretur. Sacram Sedem annis viginti quinque, mensibus quinque & diebus septendecim tenuit. Quamvis vero alias leniſſimi esset ingenii, nihilominus ubi de conservandis Ecclesiæ juribus agebatur, nemo majore constantia vigebat. Omnibus dans, quæ sua erant, præterea etiam non debita liberaliter impertiebatur. Distributiones Clericorum auxit, & tot donis Romanæ Civitatis Ecclesias locupletavit, ut ea speciatim recensere longissimum foret.

Egin. Annal. an. 796. to. 2. Duch. p. 248.

Quamprimum Leo sedere cœpit, nihil antiquius habuit, quam ad Carolum Regem Legationem decernere cum muneribus. Fuere claves ex Confessione S. Petri, Vexillum Urbis Romæ, & alia dona. Rogabat Leo, ut Carolus aliquem ex suis Optimatibus mitteret, a Romanis recepturus fidelitatis juramentum, quo in sua obedientia firmaretur.

tur. (*) Misit Rex Angilbertum Abbatem S. Richarii cum magna parte thesauri, Sæcul. VIII. A.C. 796. Legatio ad Carolum.

(*) Sunt, qui ad hunc locum disputant, an Papa hac Legatione & his verbis supremam in Carolo Principis Sæcularis potestatem voluerit agnoscere. Cardinalis Baronius hic addit sequentem Reflexionem: *Hic tu rideas opus est, Lector, Novatorum deliria, dum quamlibet occasionem captantes, per claves ex legum præscripto tradunt, Carolum in possessionem immissum Romanæ Ecclesiæ, & per Vexillum Romanæ Urbis, ignorantes miseri ejusmodi dona mitti consuevisse a Pontificibus Christianis Principibus. &c.* Et post pauca: *Et ne de Vexillo misso habeas, quod objicias, invenies inferius anno octingentesimo in fine a Patriarcha Jerosolymitano ad eundem Carolum Magnum missas pariter loco benedictionis claves locorum Sanctorum unacum Vexillo . . . . honorasse vero Leonem Pontificem ipsum Carolum Magnum dono Vexilli, eo quod potentissimus esset Ecclesiæ Romanæ Defensor dicere quoque possumus.* Verosimile est, de Quæstione supremæ in civilibus Potestatis & Jurisdictionis, in sensu stricto, tunc nec Summum Pontificem nec Carolum Regem cogitasse;

Sed quando & quo pacto Romani Pontifices Summo Sacerdotio etiam Regalem potestatem in illas Provincias, quæ hodie Status Ecclesiæ dicuntur, conjunxerint, peritis Historiarum

Sæcul. VIII. A. C. 796.

sauri, quem Henricus Dux Forojulienſis eodem anno expilata Ringa Hunnorum Metropoli ex Pannonia attulerat. Angilbertus Epiſtolam deferebat, ad Litteras Papæ reſponſum, cujus initium eſt hujusmodi: *Perlecta Epiſtola tua & Electionis tuæ Decreto, magno gaudio perto.7. Conc.p. 1128. Alcuin.ep.84 cepimus, eam omnium votis fuiſſe expetitam. Pergratum quoque nobis accidit, cognoſcere, quod nobis obedientia & Fidelitas, ut par eſt, ſervetur.* Et infra: *Mittimus ad te Angilbertum, Miniſtrorum noſtrorum fidiſſimum, quem ad Anteceſſorem tuum miſſuri eramus; ſed cum jam omnia dona parata eſſent, allatum eſt nuncium, obiiſſe beatum Patrem Noſtrum, & ideo dilata profectio. Hunc in mandatis dedimus, ut tecum de iis omnibus deliberet, quæ ad Gloriam Eccleſiæ, atque ad Papalem tuam & noſtram Patri-*

---

rum lectoribus non ex uno facto, verum ex tota per aliquot Sæcula rerum geſtarum ſerie æſtimandum & judicandum eſt. Ceterum cum Epiſcopi Electores & S. R. I. Principes in Germania, etiamſi eorum Jurisdictio in Politicis Regiæ Poteſtati æquiparari poſſit, juramento tamen Fidelitatis & alicujus ſubjectionis Romano Imperio & Imperatori adſtringantur, ſolus hodie in orbe terrarum Epiſcopus Romanus Provinciis ampliſſimis poteſtate, nemini niſi ſoli Deo ſubdita, imperat.

Patritiam Dignitatem confirmandam ja-ciunt. Sæcul. VIII. A. C. 796.

Præterea mandata habebat Angilbertus, quibus Papam Officii sui admonere jubebatur; mores castissimos exhiberet, Canones observari curaret, & Ecclesiam sancte regeret. *In illis*, dicit Rex, *ob oculos ei pone, Dignitatis Papalis honorem paucorum annorum esse, at mercedem fore æternam, si bene præfuerit. Vehementer instabis, ut vitium Simoniæ extinguat, & omnia suggere, quæ, ut bene meministi, emendanda esse, sæpe diximus.* Cum duæ hæ Epistolæ inter Opera Alcuini occurrant, conjectura est, eas nomine Regis ab ipso concinnatas fuisse. Sed & aliam nomine suo ad Leonem Papam addidit. *ap. Alcuin. p. 82.*

Credibile est, ex tot donis Regis Caroli, & ex prædis in Regione Hunnorum actis habuisse Pontificem, unde sub initium Pontificatus sui tantam vim vasorum aureorum & vestium Ecclesiis Romanæ Civitatis dare potuerit. Inter res alias laudantur colum ex argento deauratum, quo purgabatur vinum consecrandum. Visitur in Palatio Lateranensi aula amplissima, quam marmore vestivit, columnis & imaginibus musivi operis ornavit. Supereſt hodieque effigies, in qua repræsentatur S. Petrus sedens, & tres claves habens super ge- *ep. 72.* *Anast.* *p. 1078.* Leo III. Papa

Sæcul. VIII. A. C. 796.

nua. Ad utrumque latus, nempe Leo Papa a dextro, & Carolus Rex a sinistro genua flectunt. Una manu S. Petrus Pallium dat Papæ, & altera Regi Vexillum, in quo rosæ sex conspiciuntur. In parte inferiore leguntur verba: *Sancte Petre, da Leoni Papæ vitam, & Carolo Regi Victoriam.*

Alam pariet. Later.

§. VI.

Ecclesiæ in Anglia.

to.7. Conc. p. 1109.

Quenulfus Rex Merciorum Offæ Successor comperta Hadriani Papæ morte, datis ad Leonem litteris, rogavit, ut loco Filii adoptivi se haberet, promittens perfectam obedientiam. Tum subdit: *Non te latet, quod Rex Offa primo molitus fuerit, Diœcesim Cantuariensem in duas partes dividere propter odium, quod inter ipsum, & Archiepiscopum Jambertum, atque illius Civitatis populum intercedebat, quodque ejusdem Regis precibus dederit Hadrianus Papa, ut, quod ante illud tempus nunquam factum, Pallium concederet Merciorum Episcopo.* Erat is Episcopus Lichefeldensis, qui tunc ad Archiepiscopi Dignitatem evectus

to.7. Conc. p. 1148.

fuit. *Nos tamen neutrum vituperamus, credentes, quod jam cum JEsu Christo regnent, sed rogamus te, ut nobis scribas, quid factu opus sit, ne inter nos schisma oriatur.* Id quoque rogavit, ut quere-

las

las Athelradi seu Adelardi tunc Archi-Sæcul. VIII.
episcopi Cantuariensis examini subjice- A. C. 796.
ret Pontifex, atque, ut suas Epistolas Leoni commendaret, centum viginti marcas dono adjecit.

Cum Athelradus Archiepiscopus, o- *v. Cang.*
lim Abbas Malmesburiensis, & deinde *glos. Manc.*
Episcopus Wintonienſis, ipsemet has Epistolas detulisset, Pontifex viri scientiam & pietatem admiratus, dato responso, eidem lubentissime concessit potestatem etiam Reges & Principes, Dei præcepta transgredientes, excommunicandi. Forte ideo, ut ob Sacræ Sedis reverentiam Censuræ magis timerentur. Ceterum Papa Archiepiscopo omnem illam reddidit Auctoritatem, qua Antecessores ejus secundum ordinem a S. Gregorio stabilitum tam in Ordinatione & Confirmatione Episcoporum, quam in Regimine Monasteriorum gaudebant. Ut ea, quæ in hoc Decreto præcipiebantur, exequeretur, Athelradus Concilium in loco *Bacanceld* celebravit, in quo Rex præsens prohibuit, ne Laici Bonorum Ecclesiæ dominium usurparent. Hæc anno 796. Quenulfi Regis secundo acta sunt, Episcopis septendecim, & aliquot Abbatibus subscribentibus.

Sub idem tempus, jubente Rege aliud Concilium celebratum est in Nordhumbria, quod Regnum, Rege ultimo Ethel-

Sæcul. VIII. A. C. 796.

berto anno 794. occiso, extinctum. Hac Synodus in loco, qui dicebatur *Fincahal*, Echanbaldo Archiepiscopo Eboracensi præsidente, habita, in qua præceptum, ut antiqua Disciplina & præscriptum tempus Paschatis servaretur.

Simeon Dunelm. L. II. c. 5.

Antequam hæc Synodus ageretur, scilicet anno 793. Ethelredi, qui idem est ac Ethelbertus, regnantis quinto, Dani, seu Normanni, Angliæ littora infestarunt, & de navibus descendentes, quocunque pervenirent, prædas egerunt, Presbyteros, Monachos, Sanctimoniales occiderunt. Septima die Junii Ecclesiam Lindisfarnensem invadunt, Altaria evertunt, & Thesaurum diripiunt. Quosdam etiam ex Monachis trucidant, alios captivos abstrahunt, alios spoliatos & modis indignis habitos in mare præcipitant. Postquam autem funestæ prædonum cohortes recessissent, illi Monachi, qui eorum furorem effugerant, apud Reliquias S. Cuthberti Patroni sui denuo congregati sunt, & nihilominus Sedes Episcopalis in illa Ecclesia adhucdum longo tempore stetit.

Sup. Lib. XL. §. 43.

§. VII.

Constantini Fata. Irene imperat.

Theoph. an. 7. p. 398.

Inter hæc in Oriente Imperator Constantinus juvenis Irenis matris insidiis carceri datur, cum ea Procerum præcipuos in

in ſuam factionem pertraxiſſet, atque oculis privatur tam immani ſævitia, ut ex dolorum acerbitate expiraverit. Peractum eſt facinus in Sabbato die 19. Aug. anno 797. Indictione quinta, poſtquam utcunque imperaſſet annis ferme ſeptendecim. Tunc ergo Irene ſola adhucdum annis quinque regnavit. Illa illico Exules revocavit, atque inter alios S. Theodorum. S. Plato quoque e carcere eductus, cui Taraſius Patriarcha excuſavit, quod minore conſtantia iniquis obſtitiſſet, invitavitque ad ſanciendam reconciliationem. Igitur in gratiam redierunt, ſolo Joſepho Presbytero, qui nuptiis Theodotæ benedixerat, pœnas dante; hunc enim a Presbyteratu depoſitum ejecerunt.

Sæcul. VIII. A.C. 797.

vit. S. Plat. c. 5. n. 30.

S. Theodorus ſine mora relicta Conſtantinopoli ad ſuum Monaſterium *Saccudion* rediit, ubi diſperſum gregem ſuum collegit, & Fratrum numerum, multis eximii viri famam ſequentibus, auxit. Verum, elapſo temporis ſpatio non longo, ex eo Monaſterio iterum migrare cogitur, ut incurſus effugeret Muſulmannorum, qui vix ſatis a Civitatis Conſtantinopolitanæ portis arcebantur. Ergo cum tota Congregatione in urbem confugiens, amiciſſime excipitur a Patriarcha & Imperatrice, inſtantiſſime rogantibus, ut in Monaſterio Studii diver-

vit. Theod. c. 27.

c. 29.

Sæcul. VIII. A. C. 797.

tere vellet. Illud Monasterium ita nominabatur a Studio Patricio & Consule, qui cum Roma Constantinopolim, incertum quo tempore, venisset, ibique sedem fixam elegisset, Ecclesiam cum Monasterio in honorem S. Joannis Baptistæ fundaverat. Postquam Monachos Constantinus Copronymus expulisset, post liminio quidem redierant, sed pauci, quippe numerum duodenarium non excedebant. Illuc ergo Theodorus transtulit suam Congregationem, quæ ipsius ætate usque ad mille fratres aucta, cetera Constantinopolitanæ Civitatis Monasteria sui nominis fama longe post se reliquit. Ipse vero inde Theodorus Studita vocatur.

Cang. C. P. Lib. 4. p. 103.

c. 31.

Tunc vero S. Plato metuens, ne tantæ Congregationis regimen suscipere compelleretur, cellulæ simpliciter includi petiit, & obedientiam professus est in manibus Abbatis Theodori nepotis sui, præsentibus testibus ad id ipsum convocatis. Quod votum severe observavit; nam angustæ & incommodæ cellulæ inclusus, pedem alterum innexuit catenæ, quam maxima cura occultabat, ita ut pauciſſimi hunc rigorem scirent. Ibi meditationi Verbi Divini & labori manuum intentus, fratribus se consulentibus monita salutaria suggerebat.

vit. S. Plat. c. 6.

§. VIII.

Sæcul. VIII. A. C. 798.

§. VIII.
Alphonsus Castus.

In Hispania rerum potiebatur Alphonsus cognomento Castus, quod cum Regina Bertha seu Bertinalda uxore sua de Gente Francorum continentiam servaret. Is multis de Musulmannis reportatis victoriis, inprimis anno Regni sui tertio, JEsu Christi 795. & Olisipone in potestatem suam redacta, ad Carolum Regem anno 798. misit Legatos, qui partem spoliorum Barbaris detractorum attulerunt, nempe servos nigra cute septem, mulos septem, & totidem loricas. Fœdus & amicitiam Caroli tanti faciebat Alphonsus, ut cum illi scriberet, se totum, quantus esset, devotum profiteretur. *Sebast. Salmat. p. 51.* *Ann. Egin.*

Primus ipse Regum Sedem fixit Oveti, & in eadem urbe Ecclesiam pro modo opum suarum satis magnificam ædificavit, ut ibi arcam seu thecam Reliquiarum, quibus Hispani Reipublicæ suæ salutem in acceptis referebant, deponeret. Erant autem hæ Reliquiæ, Sanguis JEsu Christi, qui ex effigie Crucifixi a Judæis perforata prodigiose effluxerat, Lignum veræ Crucis, pars coronæ spineæ, & sudarioli, Pallium a S. Virgine S. Ildephonso donatum, & multa alia his similia. Ecclesia, in qua hæc Theca reposita, Salvatori *Sup. Lib. XLI. 40.*

Sæcul. VIII. A. C. 799.

vatori dedicata erat, & plura Oratoria S. Virginis, S. Michaelis, S. Joannis Baptistæ adjuncta. S. Eulaliæ quoque Reliquiæ ibi asservabantur. Rex Alphonsus tempore Regni sui, quod in annos quinquaginta productum, plures alias Ecclesias, unam in honorem S. Tyrsi prope Palatium suum, aliam S. Leocadiæ, & aliam S. Juliani, extruxit.

§. IX.

Felix Urgellitanus Romæ damnatus.

Sup. Lib. XLIV. §. 53

Cum Felix Urgellitanus, non obstante, quod hæresim suam Romæ coram Hadriano Papa ejurasset, esset relapsus, & liber ejus contra Alcuinum editus toti Ecclesiæ scandalum pareret, promovente Rege Carolo Romæ Concilium ad damnandum hunc librum convocatum est. Adfuere Episcopi quinquaginta septem cum Papa, qui Concilio præerat, in Ecclesia S. Petri anno 799. a Regno Caroli trigesimo secundo congregati. Supersunt tria fragmenta trium Actionum hujus Concilii, atque in secunda Leo Papa de Felice loquitur in hunc modum:

Elip. Conf. Fid. to. 7. Conc. p. 1858

to. 7. p. 1150.

Is in Synodo Ratisbonensi jubente Rege Carolo celebrata confessus est, se pessime docuisse, quod JEsus Christus sit Filius Dei adoptivus secundum Carnem, & dato chirographo hanc doctrinam anathematizavit. Exinde ad Antecessorem nostrum

ſtrum Hadrianum a Rege miſſus, in cuſto- Sæcul. VIII.
dia hanc profeſſionem Fidei Catholicæ A.C. 799.
ſcripſit, eam ſuper Divina Myſteria in Palatio noſtro Patriarchali, & deinde ſuper Corpus S. Petri depoſuit, juramento affirmans, ſe ita credere. Sed poſtea ad paganos profugus juramentum violavit. Nempe in Hiſpaniam ad Muſulmannos redierat. Tum Papa proſequitur: *Ne quidem Concilium præſente Rege Carolo celebratum, in quo damnatur, reveritus eſt.* Nempe Concilium Francofordienſe. In tertia Actione Papa in Felicem, niſi Hæreſim abjiciat, excommunicationem pronunciat.

§. X.

Vis contra Leonem Papam adhibita.

Haud longo poſt hoc Concilium elapſo temporis ſpatio, in Feſto S. Georgii vigeſima tertia Aprilis, anno ſeptingenteſimo nonageſimo nono, in Eccleſia illius Sancti denunciata Litania majore, ſcilicet, ſolemni Supplicatione, quam poſt biduum in Feſto S. Marci vigeſima quinta Aprilis inchoari, & in Eccleſia S. Laurentii Lucinæ, ubi Miſſa celebranda erat, terminari oportebat, cum Leo Papa equo vectus hujus Cæremoniæ cauſa ex Palatio Patriarchali exiret, occurrit ei Paſchalis Primicerius ſine Planeta, quamvis illa uti hoc die decuiſſet. Veniam petiit Paſcha-

Anaſt. to. 7. Conc. p. 1079

Ann. Egin. 799. Loiſel. an. 799. v. Coint. an. 799. n. 21. &c. Theoph. an. 7

Sæcul. VIII. A.C. 799.

Paſchalis dicens, quod eſſet infirmus. Recepit excuſationem Papa, & ille, atque etiam Campulus Sacellarius eundem comitabantur, amicos in ſpeciem ſermones miſcentes. Erant vero Hadriani Papæ propinqui, & contra Leonem conjurationem inierant. Ubi ad portas Monaſterii S. Stephani & S. Silveſtri a Paulo Papa fundati ventum, prorumpunt ex inſidiis armati, & in Pontificem irruunt. Fideles inermes & ad orationem comparati diffugiunt. Graſſatores vero Papæ manus injiciunt, & terræ affligunt Paſchale ad caput & Campulo ad pedes ſtantibus. Veſtes jacentis dilacerant, oculos evellere & linguam præſcindere conantur, & media in platea projiciunt, putantes eum cœcum & mutum fuiſſe effectum.

Conſt. p. 399.

Verum paulo poſt iterum adſunt Paſchalis & Campulus, Papam in Eccleſia Monaſterii ad Altare raptant, rurſus oculos linguamque eruere nituntur, fuſtibus cædunt, dilaniant, & in ſuo ſanguine volutum relinquunt. Mox in eodem Monaſterio arctæ cuſtodiæ tradunt. At timentes, ne inde a viris probis eriperetur, clam noctuque S. Eraſmi Abbatem ad ſe accerſitum ad Monaſterium S. Silveſtri mittunt cum cohorte armatorum, qui Papam eadem nocte inde eductum & ad Monaſterium S. Eraſmi translatum

in

anguſtum carcerem detruſerunt. Et ecce, quamvis magnam vim tuliſſet Leo, non tamen oculorum aut linguæ uſu carens inventus eſt; quod non ſine prodigio factum crediderunt. Sæcul. VIII. A. C. 799.

§. XI.

Leo ad Carolum proficiſcitur.

Interim Albinus Papæ Cubicularius aliique Viri fidem ſervantes, captivum e Monaſterio liberatum, & per murum Civitatis demiſſum ad S. Petrum deducunt, ubi Virundus Abbas Stabulenſis, Regis Caroli Legatus verſabatur.

Papæ inimici in rabiem verſi, quod manus eorum evaſiſſet, ejus Albinique ædes diripiunt. Tunc vero Vinigiſus Dux Spoletanus, comperto, quod Papa in Baſilica S. Petri eſſet, cum exercitu illuc contendens volentem Spoletum tranſtulit. Ibi cum multi Romanorum amici ex diverſis Civitatibus ad eum confluerent, Papa animo conſtituit ad Carolum Regem proficiſci. Iter facientem Epiſcopi, Cleri Romani pars, & Civitatum Optimates comitabantur, & poſtquam nunciatum fuit Regi, Papam venire, miſit obviam Hildebaldum Archiepiſcopum Colonienſem & Archicapellanum cum Anſchario Comite. Poſtea etiam Pipinum Filium ſecundo genitum, Italiæ Regem miſit cum aliis Comiti-

Sæcul. VIII. A.C 799.

mitibus, qui Papam deducerent usque ad locum, quo ipse Rex Carolus obviam processit. Erat locus ille in Saxonia, nam tunc temporis Rex Civitatem Paderbornensem insidebat. Venientem Papam recepit inter Hymnos & Cantica spiritualia, moxque fluentibus mutuis lacrymis in amplexus ruerunt. Tum Pontifice cantum Gloria in excelsis inchoante & Clericis omnibus respondentibus, oratio super populum dicta. Pontificem Rex aliquanto tempore honorifice apud se retinuit, quod ubi hostes ejus Romæ cognoverunt, furore amentes, incensis Ecclesiæ Romanæ agris, miserunt ad Regem Legatos, varias accusationes contra Papam deferentes.

§. XII.

Ecclesia Paderbornensis.

In illa commoratione Leo Papa Paderbornæ in Ecclesia, novissime ædificata, consecravit Altare, in quo Reliquias S. Stephani Roma a se allatas deposuit. Hæc Ecclesia, ab origine Ecclesiæ Herbipolensi subdita, & ab aliquot annis ob nimiam locorum distantiam separata, Episcopum acceperat Harmarum seu Hatumarum. (*) Is de Saxonum Gente adhuc

(*) Hodie Ecclesiæ Paderbornensis Episcopali

adhuc puer Regi Carolo bellum in Saxoniam moventi obsēs datus, in aula educatus, tonsura insignitus, imbutus liberalibus litteris, & Clericorum Herbipolensium numero adscriptus, præ ceteris tanta vitæ merita exhibuit, ut inde evocatus Rege jubente primus Paderbornæ Episcopus constitueretur. Hæc Sedes sicut & Herbipolensis Cathedræ Moguntinæ Suffraganea remansit. Cum anno 792. Saxones pervicaci consilio defeciissent, & moviisset in eos Carolus, anno 794. non ausi fortunam in acie experiri submiserunt se Regi; at iterum anno 795. & apertius anno 798. obedientiam detrectantes Carolum coegerunt, hanc ultimam expeditionem in se suscipere. Ceterum quotiescunque Saxones a Francis

Sæcul. VIII. A. C. 799.

Ann. Egin. Fuld. Metens &c.

pali Infula ornatus Clemens Augustus, Elector, & Archiepiscopus Colonienſis ex Sereniſſima Domo Bavariæ, qui in dicta Eccleſia Paderbornenſi anno 1751. R. P. Joſephum ex Comitibus de Gondola O. S. P. N. Benedicti in Monaſterio noſtro Ettalenſi Profeſſum, Virum a prudentia, doctrina, eruditione, animarum zelo, & ſingulari Verbum Dei prædicandi dono, quod etiam poſt ſuſceptum Epiſcopalem Ordinem in terram non defodit, commendatiſſimum, Vicarium ſuum in Pontificalibus generalem ſibi ſuffecit.

Sæcul. VIII. A. C. 799.

cis, toties etiam multi a Religione Christiana deficiebant.

§. XIII.

Felicis Urgelitani Retractatio.

Fel. Conf. fid. Alcui. adv. Elip. lib. 1. init.

Carolus eo tempore, quo Paderbornæ anno 799. versabatur, Leidrado Archiepiscopo Lugdunensi, Nefrido Archiepiscopo Narbonensi, Benedicto Abbate Anianensi, & pluribus aliis tum Episcopis tum Abbatibus Urgellam missis, Felici persuadere conatus est, ut errore dimisso, Ecclesiæ judicio se subjiceret. Præsules Urgellam pervenientes eidem memorant, quid in Concilio eodem anno Romæ habito actum fuisset, ipsiusque Epistolam ad Alcuinum fuisse damnatam, invitant, ut in conspectum Regis veniret, & pollicentur, ipsi liberum fore, Textus Patrum, quos opinioni suæ faventes crederet, producere. Ceterum hic Conventus Urgelitanus Conciliorum numero accenseri posset, & verisimile est, ideo ibi congregatos fuisse Patres, ut in iisdem locis, in quibus scandalum natum erat, etiam repararetur. Archiepiscopus vero Narbonensis, qui intererat, illius Provinciæ Metropolita fuit.

Felix eo flecti se passus est, ut veniret Aquisgranum, ubi Rex Carolus hyemaverat hoc anno septingentesimo nonagesimo nono, quo etiam annus Regni ejus

ejus trigesimus secundus inchoabatur. Congregantur Optimates & Episcopi Rege præsente. Felix liberrime sua argumenta ab Auctoritate Patrum deducta producit, oppugnant disputantem Episcopi & sola ratione sine ulla vi adhibita erroris convincunt. Dedit victas manus Felix, & errorem damnavit. Quia vero sæpius relapsus fuerat, ab Episcopatu depositus & Lugdunum relegatus est, ubi reliquos vitæ dies transegit. Dedit litteras, in quibus Hæresim detestabatur, ad modum Epistolæ ad Clericos suos & populum Urgelitanum directæ. In ea dicit se olim Episcopum, & narrat, quæ in Concilio Aquisgranensi acta sint, seque convictum fuisse Auctoritate Patrum, præsertim S. Cyrilli, S. Gregorii, & S. Leonis, sibi antea incognitorum. Item Auctoritate Concilii, contra Epistolam suam ad Alcuinum datam Caroli Regis jussu Romæ habiti. Deinde profitetur, quod ex toto corde ad sinum Ecclesiæ Universalis redierit, & quod erroris sui pœniteat. Promittit præterea, se non amplius crediturum, nec docturum, JEsum Christum secundum Carnem esse Filium Dei adoptivum seu nuncupative, sed tam in una quam in altera Natura esse verum & unicum Dei Filium. Hortatur Ecclesiam suam, ut hanc Doctrinam cum Ecclesia Universali credat, pro

Sæcul. VIII. A. C. 799.

to. 7. Conc. p. 1858. & ap. Alcui. p. 998.

Sæcul. VIII. A. C. 799.

se oret, & scandalum, cujus causa ipse fuisset, tollat. Sub finem addit longum Textum ex Nestorio, & ad eum confutandum Patres citat.

Ap. Alcui. p. 995.

Sub idem tempus scriptam fuisse arbitrantur Epistolam Elipandi ad Felicem datam, dum eum adhucdum in errore pristino perseverare credit. Conviciis plena est in Beatum & Alcuinum & in his solum notari meretur, quod stilus sit barbarus, & lingua latina corruptissima, unde videlicet linguæ vulgaris Hispanicæ principia deprehenduntur. Et ob ætatem Elipandi, dicentis, se vigesima quinta Julii annum octogesimum secundum agere incepisse. Itaque eum natum fuisse oportet illo ferme tempore, quo Arabes Hispaniam invaserunt.

§. XIV.

Insidiæ Paschalis & Campuli inquiritur.

Anast.

Interim Leo Papa Romam revertebatur comitantibus Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus; atque in omnibus Civitatibus, ad quas divertebat, iisdem honoris signis, ac si S. Petrus advenisset, excipiebatur. Romam pervenit in Vigilia S. Andreæ vigesima nona Nov. eodem anno 799. tuncque omnium hominum Ordines, Clerici, Senatus, Milites, Populus, Mulieres, Diaconissæ quoque &

& Moniales obviam processerunt. Diversa etiam agmina exterorum, Francorum, Frisonum, Saxonum, & Longobardorum aderant. Cuncti igitur portantes Vexilla, & Hymnos Ecclesiasticos canentes usque ad pontem Milvium occurrerunt, & ad S. Petrum deduxerunt, ubi ipso Missam celebrante communicarunt omnes. Altera die Papa Romam ingressus, & in Laterano diversatus est. Sæcul. VIII. A. C. 799.

Elapsis diebus paucis Episcopi & Optimates, qui Papam in itinere secuti fuerant, in Atrio Palatii ab ipso Leone ædificati congregantur, Libellos contra eum a Paschali, Campulo & conscriis traditos examinaturi. Hi Mandatarii a Rege Carolo missi erant decem numero, videlicet, Episcopi septem, & tres Comites. Episcopi erant Hildebaldus Archiepiscopus Colonienſis, Arno Salisburgenſis, Bernardus Episcopus Wormatienſis, Hatto Passavienſis, Jesseus Ambianenſis, Cunibertus & Flaccus, quorum Sedes ignorantur. Hac causa per unam septimanam & amplius discussa cum ea, quæ contra Leonem allata fuerant, nullo argumento probarentur, Accusatores comprehensos in Franciam miserunt.

Sæcul. VIII. A. C. 799.

§. XV.

Arno Archiepiscopus Salisburgensis.

Sup. Lib. XLIV. §. 3. v. Coint. 781. n. 125. & 796 n. 122.

Arno in Sede Juvavienſi ſeu Salisburgenſi ſucceſſerat Bertrico, qui, defuncto S. Virgilio, non plus anno ſederat. Rex Pipinus Caroli filius, Hunnis anno 796. bello victis, & Imperii Francorum finibus usque ad Dravum fluvium prolatis, ad Arnonem Epiſcopum mandata miſit, ut novellos hos ſubditos partim Hunnos partim Sclavos in Religione Catholica erudiret, donec Carolus Pater in ipſa loca adveniſſet.

Coint. 798. n. 48. Vit. S. Rup. ap. Canis. to. 6.

Anno ſeptingenteſimo nonageſimo octavo, Walderico Archiepiſcopo Paſſavienſi fatis functo, Rex Carolus Sedi Salisburgenſi Dignitatem Metropoliticam, qua prius gaudebat, reddi curavit, novoque Archiepiſcopo Arnoni mandavit, ut ad Sclavos pergens, ibi Religionem ſtabiliret. Arno impigre laborem ſubiens, Eccleſias conſecravit, ordinavit Presbyteros, populum docuit, & inde reverſus Regi ſignificavit, fructus uberrimos ſperandos eſſe, ſi huic Regioni Epiſcopus daretur. Quærenti deinde Regi, an virum haberet huic Officio idoneum, nominavit Theodoricum, & Rege jubente Epiſcopum ordinatum, atq; ſub præſidio Comitis Geroldi in Sclavoniam deductum, Optimatum curæ commenda-

mendavit. Theodoricum vero monuit, ut Carinthiis ex finitimis populis ab ora occidentali usque ad locum, ubi in Danubium provolvitur, Fidem Christi strenue prædicaret; hinc eidem potestatem tribuit in illa Regione prædicandi, ædificandi & dedicandi Ecclesias, ordinandi Presbyteros, & omnia decernendi, quæ ad Disciplinam Ecclesiasticam pertinent, ea solum conditione, ut se Sedi Juvavienſi subjectum sciret. Ipse Arno suis partibus minime deerat; maximo zelo conversioni harum nationum incumbens, ob eximiam prudentiam carissimus Optimatibus æque ac populis, qui ab eo imperata non modo Epistola, sed etiam vel charta vacua, quam ipse misisset, exhibita faciebant. Omnia mancipia christiana mensæ suæ accumbere, iisque potum in poculis deauratis præberi jubebat, cum interim eorum Domini infideles foris velut canes sederent, quibus panis caro & vinum apponebatur, ita ut sibi ipsis ministrare & famulari cogerentur. Interrogantibus cur vilius quam mancipia haberentur, respondebatur; *Cum lavacro salutari abluti non fueritis, indigni estis, ut cum illis communicetis, qui ad novam vitam renati sunt.* Itaque eo magis impellebantur ad capiendam Christi Doctrinam, & Sacrum Baptismum ferventius petebant.

Sæcul. VIII. A. C. 799.

Sæcul. VIII. A. C. 800.

An. Egin.

Rex Carolus hyeme Aquisgrani transacta in medio mensis Martii anno octingentesimo iter inde suscepit ad Oceani oras visendas, quas jam tunc Piratæ Normanni infestabant. Paschatis deinde Festo, quod in decimam nonam Aprilis incidebat, in Monasterio Centulensi seu S. Richarii, in quo Angilbertus Abbas præerat, celebrato, inde Rothomagum, & tum Turonem venit, ut ad sepulchrum S. Martini oraret, & Alcuino colloqueretur, cui hanc Abbatiam contulerat. Sed moras ibi trahere compulsus est Carolus ob morbum Reginæ Luitgardis uxoris suæ, quæ ibidem quarta Junii obiit. Inde Rex per Civitatem Aurelianensem Parisios, Aquisgranum, & initio mensis Augusti Moguntiam reversus est, ubi Comitia Procerum, quæ posterioribus temporibus *Parlamentum* dicta sunt, celebravit, & profectionem in Italiam suscipere statuit.

§. XVI.

Alcuini Tractatus contra Elipandum.

Alcuin. in Elip. lib. I. Alc. ep. 13.

Sub idem tempus Carolus in Hispaniam remisit duos Archiepiscopos Leidradum Lugdunensem & Nefridum Narbonensem cum Benedicto Abbate Anianensi, Viro in illis Regionibus celeberrimo, qui Felicis Urgelitani Hæresim penitus

nitus extinguerent. Alcuinus vero Tractatum composuit, ut Elipandi Epistolæ responderet, divisum in quatuor libros, quorum duo priores ipsius Epistolæ Refutatio sunt, & in posterioribus Veritas Catholica stabilitur. Hos Alcuinus Episcopis misit, quos in itinere legerent, & censuræ subjicerent, priusquam eos in lucem ederet. In Libro primo totius causæ ordinem, oratione ad Elipandum directa, narrat in hunc modum: *Antequam in Franciam a Rege Carolo vocatus venissem, Error tuus Ratisbonæ examini subjectus Rege præsidente, &, Felice præsente, Auctoritate Episcoporum damnatus est, quem jam antea Hadrianus Papa damnaverat. At Felix in vestras regiones reversus eum te instigante denuo resuscitare molitus est. Cum deinde in hanc Provinciam venissem, data ad eum Epistola amice & urgente charitate hortatus sum, ut Ecclesiæ Catholicæ reconciliari vellet. Ipse vero dato responso in amplissimo libro Hæresim vestram luculentissime prodidit. Hanc refutavi editis septem libris, qui præsentibus Rege & Episcopis lecti & approbati fuere. Tandem anno trigesimo secundo regnantis Caroli Felix Aquisgranum vocatus haud repugnante animo venit, & præsente Rege, Proceribus Episcopisque vim veritatis non ferens dedit gloriam*

Sæcul. VIII. A. C. 800.

p. 939.

Sæcul. VIII. A. C. 800.

riam Deo, & veram fidem confessus cum Discipulis suis præsentibus ad unitatem Catholicam rediit. Suadeo tibi, venerabilis Pater mi! ut cum Discipulis tuis humilitatis ejus exemplum sequaris.

§. XVII.

Alcuini Virtutes.

Alcuinus Regi Carolo ad profectionem Italicam cum ipso suscipiendam se invitanti non est obsecutus, nec movebatur joco, cum Rex diceret, quod tecta urbis Turonensis fuliginosa aureis Romæ Palatiis præferret. *Hic fruimur pace,* inquiebat, *quam nobis dedisti, & Romæ Fratrum discordia olim fundata tantum hodieque malum in suis visceribus fovet, teque compellit, ut relictis jucundissimis Germaniæ sedibus abeas, illiusque furores compescas.* Sæpius ita Regem rogabat, ut se solitudine, quam semper amaverat, frui sineret, & tandem senectutem & corporis infirmitatem obtendens, nunquam amplius Turone pedem extulit.

ep. 13.

Ut Rex Alcuinum in Francia retineret, duas eidem Abbatias, paulo postquam secundo illuc venisset, dederat, nempe Ferrarienſem in Diœcesi Senonensi, & S. Lupi Trecensis. Contulit ei etiam postmodum Cellam maritimam S. Judoci, & tandem anno 796. defuncto

Ep. 17. 19. 23. *&c. Sup. Lib. XLIV.* §. 54. *vit. c.* 6. *Mab. Elog. c.* 7. 8. *&c.*

cto Itherio celeberrimam Abbatiam S. Martini Turonenſis. Alcuinus in hanc Domum Regulæ obſervantiam reduxit, cum prius Monachorum vita partim Monachos, partim Canonicos Cathedrales deceret. Monaſterium Cormerienſe ab Anteceſſore ſuo fundari cœptum ipſe perfecit, illoque Monachos viginti immiſit. Iſtud Monaſterium hodieque Abbatiæ S. Martini Turonenſis ſubeſt, & ſub ſe habet Prioratum Pontis Sequanæ in Diœceſi Trecenſi, qui Hoſpitio ab Alcuino fundato originem ſuam debet. Sæcul. VIII. A. C. 800.

De Monaſteriorum iſtorum Reditibus ipſe libere decernebat, & quia ex fundis maximus colonorum numerus alebatur, Elipandus Toletanus Alcuino exprobrabat, quod Monachus viginti mil lia Servorum haberet. Ille ſæpius apud amicos querebatur, quod tantis divitiis oneraretur, & tandem impetrata licentia Abbatiam S. Martini Fridugiſo & Ferrarienſem Sigulfo Diſcipulis ſuis regendam tradidit. Scientiarum & orationis ſtudio totus addictus, legebat, componebat libros, docebat. Singulis diebus Miſſam celebrabat, & quidem quolibet in Hebdomada die aliam. Id ita accipiendum; quod Miſſæ adeſſet, aut tanquam Diaconus miniſtraret, conſtat enim, ipſum ad altiorem in Eccleſia ordinem non fuiſſe evectum. Donum Prophetiæ *Præſi. ad Elip. Ep. 37.*

Sæcul. VIII. A. C. 800.

phetiæ & miraculorum eidem tribuitur. Ceterum in ejus Epistolis magnus Religionis zelus, tenerrimus in amicos affectus, & singularis, qua alterius censura scripta sua subjiciebat, modestia dispicitur.

§. XVIII.

Scholæ in Francia.

Alcuinus Litterarum in Francia Restaurator, vel saltem præcipuum, quo Rex Carolus ad insigne Opus usus est, Instrumentum habetur. *Ep.* 10. Dicit ad Regem scribens, nihil magis ambobus in votis fuisse, quam ut in Francia novæ Athenæ Christianæ exurgerent, & ex ejus Operibus apparet, quod ad revehenda ferme omnia studiorum genera operam dederit. Primo docuit in Regia, & ipse Rex honori sibi ducebat, Discipulum ejus esse, cumque ipsi scriberet, Magistrum & Præceptorem appellabat. Ab eo didicit Rhetoricam, Dialecticam, & inprimis Astronomiam, cui plurimum temporis & laboris impendit. *Egin. vit. Car.* Aliquæ extant litteræ, in quibus Alcuinus ad quæstiones Caroli de cursu Lunæ scisciitantis respondet. Erat vero Carolus eloquens, facile, quæ volebat, enunciabat, & linguas peregrinas didicerat, pariter linguæ latinæ ac Teutonicæ, quæ ipsi patria erat, gnarus. Græcam satis capiebat,

piebat, quamvis non ita facile eloqueretur. Sæcul. VIII. A. C. 800.

Præter Regem Carolum Alcuinus in Palatio puellas regias Giſellam & Rictrudem filias ipſius, Angilbertum poſtea Abbatem Centulenſem, Riculfum deinde Archiepiſcopum Moguntinum & quosdam alios inter Diſcipulos numeravit. *v. ep. 93.* Poſt Alcuinum hanc Scholam in Palatio rexit quidam Scotus, ſeu potius Hibernus nomine Clemens. Claudius vero Hiſpanus Felicis Urgelitani Diſcipulus, & exinde Epiſcopus Taurinenſis, Sacram Scripturam explicabat. *Ep. 9. Epig. 199. v. Mab. præf. 1. in Sæc. 4. §. 3. Launoy de Scholis.*

Hæc ſchola etiam ſub Regibus ſequentibus ſtetit, cumque haberet Bibliothecam, veriſimile eſt, Aquisgrani, ubi ut plurimum verſabantur Reges, fixam quoque libris ſedem fuiſſe.

Nulli alteri palmam cedebat Schola Turonenſis, in qua Alcuinus Sacram Scripturam, Grammaticam, Aſtronomiam, ceterasque Scientias docebat. Multi eo Magiſtro claruerunt Diſcipuli, inter quos eminuerunt Rabanus, Archiepiſcopus Moguntinus, Simeon Epiſcopus Wormatienſis, Sigulfus Abbas Ferrarienſis, Almalarius cognomento Fortunatus. Præter has Scholas aliæ in Monaſteriis florebant, & brevi videbimus, quantam ſibi Schola Lugdunenſis famam comparaverit. *ep. 19.*

Theo-

Sæcul. VIII. A.C. 800.

Theodulfus tunc temporis Episcopus Aurelianensis non ultimo loco inter Restauratores Litterarum ponendus in suo Capitulari de duplici genere Scholarum mentionem facit, de minoribus pro infantibus, quas habere quilibet Parochus in sua Parochia tenebatur, & de majoribus, ad instruendos Clericos in diversis locis, nempe in Ecclesia Cathedrali S. Crucis, & in multis Monasteriis, præsertim S. Aniani Aurelianensis, S. Benedicti ad Ligerim, & S. Lifardi Meduncnsis. Alia Monasteria, in quibus Scholæ præ ceteris florebant, erant Corbejense, Fontanellense, Prumiense, Fuldense, S. Gallense, S. Dionysii, & S. Germani Parisiis, S. Germani Antissiodori, Ferrariense, Anianense, & in Italia Montis-Cassini. Superius meminimus Regem Carolum jam anno 789. præcepisse, ut in omnibus Episcopatibus & Monasteriis Scholæ instituerentur. Sæpe id ipsum novis mandatis inculcavit, & in Capitulari Theodonis Villæ anno 805. præter alia etiam studium Medicinæ non negligendum suadet.

Cap. Aquisg. c. 70. Sup. Lib. XLIV. §. 45 p. 421. to. 1. cap.

§. XIX.

Alcuini Opera.

p. 1246.

Ex Alcuini Scriptis quis Litterarum Status illa ætate fuerit cognosci potest. Primo occurrit parvus Tractatus de

de septem Artibus Liberalibus, qui ex Cassiodoro excerptus videtur. Artes vero in hunc modum dividebantur; prima erat Grammatica, tum Rhetorica, Dialectica, & Mathematica in quatuor partes sciissa, videlicet, Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Astronomiam. Alcuinus ampliorem de Grammatica Tractatum composuit, & ex una Epistolarum ejus ad Regem Carolum videmus, quantum ei cordi fuerit Orthographiam emendare, Grammaticæ fundamentum, quam duorum ultimorum Sæculorum Barbaries ferme oblivioni tradiderat. Tractatum quoque de Rhetorica & alterum de Dialectica, ubi se ipsum & Carolum Regem colloquentes inducit, concinnavit. At pleraque ex ipsius Operibus sunt explanationes S. Scripturæ & Tractatus Theologici. Sæcul. VIII. A.C. 800.

In omnibus ejus Operibus plus laboris quam ingenii apparet, & ipsum magis memoria quam vi res inveniendi aut deligendi valuisse; nam tota licet Grammatica sua, Rhetorica & Dialectica instructus nec terse tamen nec eleganter latine loquitur. Stilus ejus verbis inutilibus scatet, ornatus nimium solicite quæsitus, res ipsæ, quas affert, sunt vulgares, & argumenta sæpe non satis stringunt. Verum hæc vitia omnibus illius ævi Scriptoribus communia sunt. Nihil

Sæcul. VIII. A.C. 800.

hil ipsi invenerunt, sed quæ illis temporibus gesta sunt, enarrant. Illud vero omnino Laude dignum, quod Traditionem sanæ Doctrinæ in Ecclesia conservaverint, & bonos Antiquitatis Sacræ & profanæ libros custodierint, quos hodie desideraremus, nisi eos solicite collegissent, & Exemplarium numerum auxissent. Ultimo certe loco ponenda sunt Scriptorum illius medii ævi poemata. Plerique hanc artem sola versificatione absolvi putabant, eorumque versus nihil aliud sunt, quam prosa ligata, & dictio sæpe humilior, quam illa, qua in oratione soluta uti solemus, quia nempe verba qualiacunque in versus mensuram cogebant.

In Epistolis Alcuini non nulla leguntur ad Disciplinam Ecclesiasticam spectantia, quæ referre operæ pretium est.

ep. 6. Locum illum de duobus gladiis, quorum in Evangelio mentio fit, explicat in sen-

Luc. 22. 23. su allegorico, sed eum ad significandas duas Potestates Sæcularem & Spiritualem, quod postea factum, non trahit.

ep. 7. Regem Carolum hortatur, ut Saxonum conversorum & Hunnorum nuper devictorum curam gereret, sub ista Conversionis initia ad dandas Ecclesiæ Decimas non adigeret, & pro modo a S. Augustino præscripto, antequam baptizarentur, Catechumenos fidem exacte edoceri jube-

ret.

beret. Iterum de Baptismo differit in Epistola ad Paulinum Aquilejensem, ubi reprehendit Hispanorum ritum, quod semel tantum baptizandos immergerent, aut ad tres immersiones omnes trium Personarum Trinitatis Nomina repeterent. Quippe Ecclesiæ Catholicæ Ritus erat, unam tantum ex Personis Divinis ad singulas immersiones nominare. In illa Epistola etiam illos arguit, qui dubitabant, an animæ Sanctorum in Cœleste Regnum ante diem Judicii reciperentur. Item de Baptismo scribens ad Presbyterum nomine Odwinum, & ad Fratres Ecclesiæ Lugdunensis fusissime hujus Sacramenti præparationem & administrationem exponit, subjungit Evchariştiam & postremo Confirmationem, nullam de aliqua Unctione mentionem faciens.

Sæcul. VIII. A. C. 800.

ep. 81.

p. 1150.

ep. 69. 70.

In eadem Epistola reprehendit illos, qui Sancto Sacrificio sal immiscebant. In alia Epistola ad Fratres Provinciæ Gothorum directa demonstrat necessitatem confitendi Presbyteris peccata sua, atque adolescentes Scholæ S. Martini, ut confiteantur, exhortatur. Tandem interrogante Rege Carolo cur tres Dominicæ Quadragesimam præcedentes Septuagesima, Sexagesima & Quinquagesima dicerentur, hujus rei rationem afferre conatur. Hæc notatu præ ceteris di-

ep. 71.

p. 1142. & *ep.* 2.

Boll. to. 15. *p.* 334.

Sæcul. VIII. A. C. 800.

digna in Operibus Alcuini. Obiit anno 804. in Die Pentecostes 19. Maji.

Mabill. to. 5. p. 707.

§. XX.

Papa Causam defendit.

Ann. Egin. Fuld. Loisel.

Cum Rex Carolus anno octingentesimo in Italiam contenderet, Leonem Papam usque Nomentum, quod duodecim millibus seu quatuor Leucis Roma distabat, obviam sibi procedentem honorifice excepit, & postquam ambo cœnassent, Romam rediit Pontifex, quo altera die Rex pervenit. Venientem Papa stans in gradibus Ecclesiæ S. Petri cum multis Episcopis & omnibus Clericis suis præstolabatur. Tum de equo descendens Rex lætis acclamationibus excipitur, & inter cantus Gratiarum actionis in Ecclesiam deducitur. Erat dies vigesima quarta Nov. cum Rex Carolus Urbem quarto intraret.

Post dies septem Rex populo ad Concionem convocato, causas, quæ se ad profectionem Romanam suscipiendam permovissent, publice exposuit, iisque expediendis sequentes dies omnes impendit. Initium duxit a Causa majore & difficiliore scilicet ab examine Actionis contra Pontificem motæ. Itaque Episcopis, Abbatibus, omnibus Francorum Romanorumque Proceribus Rege jubente in Ecclesia S. Petri congregatis, Rege

Anast. in Leon.

&

& Papa considentibus, atque etiam Episcopis & Abbatibus sedere jussis, stantibus Presbyteris, & Optimatibus, cum nemo prodiret, qui crimina Papæ objecta probare vellet, edixerunt Antistites: *Judicare Sedem Apostolicam non audemus, Ecclesiarum omnium Caput, sicut antiqua consuetudine accepimus.* (*) Papa respondit: *Antecessorum meorum vestigiis insistam. Paratus sum has falsas accusationes diluere.* Id sequente die fecit; nam omnibus in eadem Ecclesia S. Petri Episcopis, Francis & Romanis præsentibus, Evangelia manibus prehendit, ascendit ambonem, & clara voce cum jurejurando dixit: *De criminationibus, quas Romani mihi imposuere, scientiam non habeo, nec talia me fecisse cognosco.* His dictis omnes Præsules & Clerici recitata Litania Deum, S. Virginem, S. Petrum, & omnes Sanctos laudarunt. Sæcul. VIII. A. C. 800.

(*) Hic P. Balduinus iterum Fleurium accusat, quod pauca hæc verba, & non omnia ex Anastasio excerpserit. Verum, ut ego arbitror, hæc pauca non tantum sufficiunt, sed etiam ad probandam contra Protestantes Summi Pontificis in universa Ecclesia Auctoritatem, a JEsu Christo acceptam, testimonium sunt invictum, & inexpugnabile argumentum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæcul. VIII. A. C. 800.

§. XXI.

Carolus Imperator coronatur.

Theoph. an. 7. Const. p. 399. & an. 4. Iren. p. 401.

In Die Natali Domini vigesima quinta Dec. Indictione nona, eodem anno octingentesimo, Rex ad Basilicam S. Petri Missæ adfuturus venerat, cumque inclinatus coram Altari staret, Papa orantis capiti suis manibus pretiosissimam coronam imposuit, universo populo Romano acclamante: *Carolo Augusto a Deo coronato Magno & pacifico Romanorum Imperatori vita & victoria!* hæc cum Sanctorum invocatione ter repetita. Ita unanimi omnium voto Imperator salutatus est, Populo Romano pro Defensione Romanæ Ecclesiæ gratias referente. Acclamationibus cessantibus Papa Imperatorem, more quo antiqui Principes solebant, adoravit, id est, coram ipso prostratus Dominum & Principem suum professus est. Atque exinde Carolus loco Tituli Patricii Imperator & Augustus est appellatus. Mox Papa Carolum & Pipinum Regem filium ejus oleo sancto unxit, & Carolus peracta Missa Sancto Petro duas mensas argenteas, Calices, Patenas, & diversa Vasa ex auro purissimo obtulit. Dona etiam pretiosissima ad Basilicas S. Pauli, S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris misit.

Cete-

Sæcul. VIII. A. C. 800.

Ceterum tantum aberat, ut Carolus hujusmodi Coronationem speraret, ut primo aversaretur, & affirmaret, se ea die, quamvis præcipua solemnitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium scire potuisset. (*) Nimirum, intelligebat Carolus, fore, ut Imperatoris nomen sibi apud Græcos invidiam crearet, quamvis nihil adderet potentiæ. Nam Longobardis oppressis jam

vit. per Egin. p. 103.

(*) Ita Fleurius ex Eginhardo. Verum audiamus etiam Palatium ad hunc locum: *Sed finxisse Carolum, vel Eginhardum adulatione Regem palpasse litteræ ipsius Caroli demonstrant. Quo enim spectabant tanti pro Ecclesia, ejusque Vicariis exantlati labores, nisi ut in præmium coronaretur Augustus? Nonne teste Sigonio in privilegiis vel edictis in gratiam Ecclesiæ exaratis, Verbis uti solebat sequentibus: Carolus Dei Gratia Rex Francorum & Longobardorum, & Patritius Romanorum. Si Ecclesiarum Dei Servis munificentiam nostram impertimur, eorumque studiis libenter obsequimur, id nobis ad Augustalis excellentiæ culmen proficere credimus. Non ergo reluctanti Carolo sed longo jam tempore ambienti corona imponitur. Quomodo prensasse negatur Imperium Occidentale, si etiam Orientale tenebat in voto? Nonne conjugium cum Irene Imperatrice Græca per Legatos solicitavit atque quæsivit? Zonaras Testis est. &c.*

Sæcul. VIII. A. C. 800.

diu in maxima Italiæ parte regnabat, & ſpeciatim Romæ Dominus erat, cum ſibi juramentum Fidelitatis præſtitum fuerit, & in ea tam per Mandatarios quam per ſe ipſum & quidem in cauſa ipſius Pontificis jus diceret. At Romanis ſuæ erant cauſæ, cur Carolo Imperatoris Titulum darent: Videlicet deſtitutos ſe ſentiebant Græcorum auxilio, quod jam diu nequidquam efflagitaverant, & tunc Conſtantinopoli fœmina imperabat, cui obedire probrum ducebant, cum res exemplo careret. Ergo æquum erat, ut illi, qui Imperatoris habebat potentiam, etiam nomen tribueretur, quod executus eſt Pontifex, qui Dignitate Papali primum Romæ gradum obtinebat. Ita Imperatoris Romani nomen anno 476. in Occidente extinctum poſt annos trecentos viginti quatuor revixit. (*)

Imperium Occidentis reſtituitur.

Sup. Lib. XXIV. §. 34.

Non

(*) Ex his omnibus liquet, collati in Carolum Magnum Imperii Auctorem fuiſſe Leonem Papam conſentiente Populo Romano.

Quamvis vero Summus Pontifex illa Coronatione nullas ei ſubjecerit Provincias, quibus antea non potiretur, ideo tamen dici non poteſt, quod, dum Carolus ſalutatus fuit Imperator, vacuum Imperatoris nomen, aut ſolum Eccleſiæ Defenſoris Officium acceperit, ſed potius quod etiam Jus Græcorum Imperatorum, quod

Non nulli Carolum anno octingentesimo primo coronatum scribunt, quia tunc Franci annos a Die Natali Redemptoris auspicari solebant. Paucis post diebus Imperator Carolus reos in conspectum adduci jussit, qui Papam deponere attentaverant, scilicet, Campulum, Paschalem & conscios, non paucos numero, & ex primis Romanorum stirpibus natos. Inde dispicimus, ex Francia, quo eos Regis Mandatarii miserant, fuisse revocatos. Igitur dum ab Imperatore præsentibus Francorum & Romanorum Optimatibus interrogantur, iisque crimina sua exprobrantur, dicebat ad Paschalem Campulus: *Utinam nunquam vidissem vultum tuum, infelix! Tu enim in hæc pericula me adduxisti.* Tum aliis quoque in alios vicissim culpam rejicien-

Sæcul. VIII. A. C. 800.

Ann. Eginh. Loisel. &c.

Sup. n. 14.

Anast. in Leo.

quod ad Occidentem & ad Urbem Romam habebant, acquisiverit, cum Titulo Imperatoris & Augusti, illisque Prærogativis, quæ superioribus Sæculis non Regiam sed solam Imperatoriam Majestatem comitabantur.

In eo etiam sensu, nempe quoad Occidentem, videtur Imperium posse dici translatum. Plura legenda sunt in Adnotationibus ad Natal. Alex. in Sæc. IX. Diss. I. Quod vero S. Leo Papa ex concessa sibi Divinitus Auctoritate Carolum Imperatoria Dignitate auxerit, Cardinalis Baronius ad hunc annum affirmat.

Sæculum IX. A. C. 801.

jicientibus, ſecundum Legem Romanam judicati, & ad mortem, veluti rei læſæ Majeſtatis, damnati ſunt. At vero Papa pro reis orans, iisdem vitam & membrorum incolumitatem impetravit. Ergo in Francia exulare jubentur. Imperator tota hyeme Romæ verſatus, cauſis Reipublicæ & Eccleſiæ compoſitis, tandem poſt Paſcha anno 801. vigeſima quinta Aprilis diſceſſit.

§. XXII.

Legati ex Oriente ad Carolum miſſi.

An. Eginh. Carolo Aquisgrani ſub finem anni ſeptingenteſimi nonageſimi noni commorante, Monachus Jeroſolyma adveniens dona & Reliquias S. Sepulchri a Patriarcha miſſas attulit, cui Jeroſolymam redituro Rex comitem dedit Presbyterum e Regia ſua, nomine Zachariam, qui anno exacto ex Oriente revertens, menſe Decembri anno octingenteſimo eadem die, qua Papa ſe a criminationibus publice purgavit, Romam pervenit. Zachariam ſecuti fuerant duo Monachi a Patriarcha Jeroſolymitano miſſi, Regi Carolo claves S. Sepulchri, & montis Calvariæ cum Vexillo afferentes. Rex humaniſſime exceptos, aliquot dies apud ſe retinuit, & redire volentes, muneribus cumulatos dimiſit.

Carolo

Carolo etiam, quis crederet? cum Califa Aarone, qui toto ferme Oriente potiebatur, & ad quem ante annos quatuor Legatos duos cum socio itineris Judæo, nomine Isaac, miserat, amicitia intercedebat. Legatos mors in itinere sustulit. Isaac autem anno 801. rediit, & Pisas appulit, Carolo Imperatore in Italia commorante. Socium itineris adducebat Persam, Aaronis Legatum. Præterea Elephantem, aliaque Dona, exquisitissimos odores, & auro gemmisque tumentes vestes attulerat. Califa Aaron amicitiam Caroli omnibus aliis præferebat, dicere solitus, inter cunctos Principes solum Carolum honore dignum esse. Hinc cum Legati a Rege cum donis ad S. Sepulchrum missi in conspectum Aaronis venissent, non modo ea, quæ petebant, indulsit, sed concessit etiam Regi, ut sanctum Locum in sua potestate haberet. Atque id ipsum sine dubio missæ a Patriarcha Jerosolymitano claves vexillumque indicabant.

Sæculum IX. A. C. 801.

Ann. Eginh.

Id. in vit. p. 99.

§. XXIII.

Nicephorus Imperator. Irenis obitus.

Cum Irene Imperatrix Legatum ad confirmandam pacem misisset in Franciam, Imperator Carolus vicissim Jesseum

Ann. Eginh.

Sæculum IX. A.C. 802.

Episcopum Ambianensem & Helingaldum Comitem misit, qui fœdera pangerent. Ecce vero, his Legatis Constantinopoli versantibus, Nicephorus Patricius & Logothetarum præcipuus seu supremus ærario Præfectus, quibusdam Patriciis in suam factionem pertractis, se Imperatorem proclamari & Irenem Benefactricem suam in Regia custodiæ tradi jussit. Dies erat Lunæ trigesima prima Octobr. anno 802. Indictione undecima, qua etiam illico Nicephorus in Magna Ecclesia coronatus est, populo novum Dominum ob insignem perfidiam furiis devovente. Postquam deinde ex ea expressissent, ubi Imperii totius Thesauri laterent, Dominam suam in Insulam Principis & Monasterium ab ipsa conditum proscripsit, unde iterum evocatam mense Novembri tempestate admodum incommoda in Insulam *Lesbos* migrare compulit, eamque a quoquam conspici prohibuit.

Theoph. ann. 1. *Niceph. p.* 402.

p. 405.

Irene in illa Insula sequente mense Augusto eadem Indictione nona anno octingentesimo tertio vitam posuit, postquam sola annis quinque imperasset.

Eodem anno octingentesimo tertio Die Mercurii decima nona Julii Bardanes Patricius cognomento Turca, Natoliæ Præfectus, ab illius Provinciæ militibus Imperator salutatus, Chrysopolim usque

usque movit. At postquam integro octiduo omnem viam, qua Constantinopolim intrare posset, tentasset, intelligens, imperium suum detrectari sponte recessit. Deinde timore Dei impulsus, & nolens, ut ambitus sui causa Christiani in bello occiderentur, missis ad Nicephorum Legatis, litteras obtinuit, in quibus pollicebatur, nunquam fore, ut vel ab ipso vel ab aliis, qui in his Reipublicæ turbis ipsi faviſſent, pœnæ exposcerentur. Huic Fidei publicæ non solum Bardani sed suis quoque datæ Nicephorus, Tarasius Patriarcha, & omnes Patricii subscripsere. Bardanes igitur satis securum se existimans, Monachum professus, in Insulam Proteam, in qua ædificaverat Monasterium, se recepit. At perfidus Nicephorus, ipso Bonis omnibus exuto, & præcipuis ejusdem Fautoribus in servitutem redactis, misit Lycaonios cum mandatis, ut noctu in Insulam Proteam appellerent, Bardani oculos effoderent, & confestim, tanquam se ignaro facinus patrassent, ad Ecclesiam confugerent. Patriarcha, Senatu, & omnibus probis simulationem abominantibus, Nicephorus jurejurando edixit, Magistratus Lycaoniorum pœnas sibi morte daturos. Videri nempe volebat necem Bardanis graviſſime vindicaturus, Vir hypocrita, ut illa ætate nemo magis.

Sæculum IX. A. C. 803.

§. XXIV.

Sæculum IX. A. C. 803.

§. XXIV.

Res Ecclesiasticæ in Foro Julio.

Sigon. de Reg. Ital. lib. 4.

Illa tempestate Venetiis Dux & Tribuni annui Rempublicam regebant. Dux nomine Joannes, ut Imperatori Nicephoro adularetur, Græcum hominem nomine Christophorum ad Episcopatum Olivolitanum, in una illarum Insularum, ex quibus Urbs Venetorum constat, & ubi hodieque est Ecclesia Matrix, evehere nitebatur; at Tribuni Christophorum ordinari prohibuerunt, rogaruntque Joannem Patriarcham Gradensem, ne ei consecrationem impertiri vellet. Patriarcha non solum illorum petitioni annuit, sed etiam Christophorum excommunicavit; qua re Dux Venetiarum usque adeo incitatus est, ut Classe contra Gradenses adornata & Civitate primo impetu superata, Patriarcham ex altissima turri in præcipitium deturbaverit.

vid. Coint. 803. to. 7. Conc. p. 1187

Tantæ crudelitatis facinore ad Paulinum Patriarcham Aquilejensem delato, Synodum convocat in Altinensi Civitate, aliquando Episcopali, sed tunc alteri Sedi subjecta; unde data ad Carolum Imperatorem Epistola Synodica queritur, Presbyteros verberibus fuisse affectos, & semivivos projectos, alios interfectos, hortaturque, ut tanquam solus Ecclesiæ Vindex hæc crimina puniat; sic enim futu-

futurum, ut justissimæ severitatis exemplo plurimorum temeritas coerceretur. Hujus causæ exitum ignoramus, nisi quod legamus, Tribunos Venetos curasse, ut in locum Joannis Fortunatus Patriarcha Gradensis eligeretur, cui Leo Papa Pallium misit cum Epistola 21. Martii Indictione undecima nempe anno octingentesimo tertio Caroli Imperatoris tertio data. Unde perspicimus, Papam a tempore ejus Coronationis annos a Regno ipsius sicut antea a Regno Imperatorum Constantinopolitanorum adnotasse.

Sæculum IX. A. C. 803.

§. XXV.

Chorepiscopi tolluntur.

Eodem anno Paulinus, ut Leonis Papæ Vicarius frequenti Concilio, Regis Caroli jussu Aquisgrani celebrato, & sub finem anni superioris octingentesimi secundi inchoato, præfuisse creditur, de quo nobis supereſt Capitulare complectens septem Articulos, maxime ad Chorepiscopos pertinentes. In eo Imperator loquitur in hunc modum: *Sæpe fastidium nobis crearunt querelæ contra Chorepiscopos non semel, aut bis terve sed frequentissime, nec solum a Clericis, sed etiam a Laicis allatæ. Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi ab Episcopis ordinati æquales illos recipere nolebant, quos*

Baluz. not. in capit. p. 1058.

to. 1. p. 379. c. 4. VII. cap. 200 al. 187.

Sæculum IX. A. C. 803. *quos Chorepiscopi ordinasse se dicebant, Laici ejusmodi Presbyterorum Officiis interesse nolebant, nec liberos suos a Chorepiscopis confirmari sinebant.*

Huic disceptationi finem impositurus statuimus consulere Sacram Sedem secundum Canones, quibus præcipitur, ut causæ majores ad eam deferantur, missimusque ad Leonem Papam Arnonem Archiepiscopum, qui præter alia etiam hanc Quæstionem ei proponeret, a nostris Episcopis deinde secundum sententiam Papæ definiendam.

Ille jussu & nomine Papæ ad nos retulit; hanc Quæstionem jam prius sæpius ab Antecessoribus suis & in Conciliis fuisse decisam, videlicet Chorepiscopis non esse potestatem Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos ordinandi, nec Ecclesias dedicandi, consecrandi Virgines, confirmandi, aut quocunque alio officio Episcopali defungendi, sed omnia quæ facere attentassent, a Legitimis Episcopis esse renovanda, nec timendum, ne illud reiteretur, quod initio nullum fuisset. Tandem Papam præcipere, ut damnarentur omnes Chorepiscopi & in exilium mitterentur. Nihilominus approbavit Pontifex Episcoporum nostrorum lenitatem, qui eos in ordine Presbyterorum esse concesserunt, ea conditione, ne posthac ullo munere Episcopali

piscopali fungi auderent, sub pœna depositionis. Sæculum IX. A. C. 803.

Hæc in Concilio Ratisbonensi Auctoritate Papæ habito statuta fuerunt, atque ibidem declaratum, Chorepiscopos non esse Episcopos, eum nec ad certam Sedem obtinendam, nec a tribus Episcopis ordinati sint. (*)

Imperator prosequitur: *Ex sententia Leonis Papæ, omnium Episcoporum nostrorum, aliorumque subditorum præcepimus, ne ullus Chorepiscopus possit Confirmationem conferre, Presbyteros, Diaconos aut Subdiaconos ordinare, Virginibus velamen Sacrum dare, S. Chrisma conficere, Ecclesias aut Altaria consecrare, aut in Missa publica populo Benedictionem impertiri. Si ea fecerit, omnia nulla sint, & Chorepiscopus transgressor ab omni gradu Ecclesiastico deponatur, quia istæ Actiones Episcopis competunt, & Chorepiscopi tantum Presbyteri sunt. Itaque Episcopi rursus confirment, aut ordinent illos, quibus manus imposuerant, & sic etiam de reliquis, sine ullo metu, ne Sacramenta reiterentur.* Hæc Disciplina illis est consentanea, quæ in antiquis Conciliis Ancyrano & Neocæsariensi

c. 5. *VII.* cap. 424.

c. 6. *VII.* 424.

Sup Lib. X. §. 16. 17.

Ancyr. c. 16. *Neoc. c.* 14. *Ant. c.* 10.

(*) Nempe ex his, tanquam signis, conjiciebatur, ipsis Ordinem Episcopatus non fuisse collatum.

Sæculum IX. A. C. 803.

si decreta fuerant, ubi Chorepiscopi in gradu Presbyterorum collocantur; sed nec Canon Antiochenus, si bene intelligatur, iis altiorem gradum concedit. Verum Decretum istud Concilii Aquisgranensis non illico effectui datum, & consuetudo habendi Chorepiscopos adhucdum plus uno Sæculo obtinuit, donec tandem circa medium Sæculi decimi tam in Oriente quam in Occidente sublata fuerit. Res erat difficilis, Chorepiscopos intra limites suos continere, & præterea Episcopi vel negligentes vel rudes non ægre, quod sui erat Officii, in aliorum humeros rejiciebant.

Sup. XII. n. 13. v. Mor. Ord. Exord. IV. c. 2. 6.

Boll. to. 1. p. 713.

His non diu superstes Paulinus obiit anno 804. undecima Jan. qua die inter Sanctos colitur. Plures ab eo Libri ad nos usque pervenerunt, quorum memorabiliores sunt, Tractatus de Trinitate contra Felicem & Elipandum, dictus *Sacrosyllabus*. Tres Libri contra Felicem. Liber de Monitis salutaribus ad quemdam de Ordine Comitum directus, quem diu S. Augustini Opus esse crediderunt. Paulinus Hymnos præsertim in Missis privatis & circa Consecrationem frequenter recitasse dicitur.

to. 7. Conc. p. 1122. ap. Alc. p. 1873. de Salut. Doc. to. 6. Aug. ap. p. 193. Valafr. de reb. Eccles. c. 25.

§. XXVI.

Episcopi a Militia immunes.

Anno octingentesimo tertio exeunte Carolo

Carolo Imperatori Comitia Wormatiæ celebranti Libellus ab omni Ditionum suarum populo oblatus creditur, cujus Summa hæc est: *Flexis omnes precamur poplitibus Majestatem vestram, ne Episcopi, ut hactenus, cum exercitu proficisci compellantur, sed quando vobiscum in hostem pergimus, ipsi in suis Diœcesibus resideant, sacro suo Ministerio incumbant, pro Vobis & exercitu vestro orent, Missas decantent, supplicationibus publicis instent, & eleemosynas faciant. Quosdam enim ex iis in prœliis vulneratos, quosdam occisos vidimus, Deus scit, quanto nostro terrore! hinc etiam aliqui perterriti fugiunt, & inimicis terga vertere solent. Ita ipsis in suis Ecclesiis manentibus plures dimicabunt, quia multi custodiendis Episcopis intenti non pugnant. Plus nobis proderunt orando, si Moysis exemplo manus ad Cælum tollant. Nolumus ergo permittere, ut nos in prœlia sequantur, nisi duo tresve doctissimi & a ceteris delecti, qui dent Benedictionem, & periclitantes reconcilient. Optamus, ut idem de Sacerdotibus statuatur, qui ab Episcopis suis ad hoc officium electi sint, de quorum scientia vita & conversatione securi esse possimus. Nihilominus profitemur, nos non propterea hæc petere, ut Clericorum res aut pecunias rapiamus, scimus enim esse Sacrilegium,*

Sæculum IX. A. C. 803.

Ann. Met. 803. *Cap. to.* 1. p. 405. *Lib. VI.* c. 370.

Sæculum IX. A. C. 803.

& declaramus omnes, ſtipulas manu tenentes & projicientes coram Deo, Angelis, ac vobis cunctis, quod Bona Eccleſiarum uſurpare non velimus, nec volentibus conſentiamus, ſed potius rapientibus obſiſtere parati ſimus. Cum ejusmodi raptoribus nec in hoſtem, nec ad pugnam, nec ad Eccleſiam, nec ad Regiam ibimus. Cum ipſis cibum non ſumemus, non patiemur, ab hominibus noſtris equos aut alia pecora cum ipſorum pecoribus ad paſtum duci. Sed rogamus vos, ut eos carceri dari jubeatis, & pœnitentiam publicam agere. Item ut hæc profeſſio noſtra in Scripta Eccleſiaſtica referatur, & in Tabulis Eccleſiarum veſtrisque Capitulis conſervetur.

III. Cap. 141 Imperator recepto libello Reſponſum tamen usque ad Conventum ampliorem diſtulit, qui non diu poſt Wormatienſem actus eſt. In eo loquitur in hunc modum: *Nos ipſos corrigentes poſterisque noſtris exemplum dantes, volumus, ut nullus Sacerdos in hoſtem pergat, niſi duo tresve Epiſcopi a ceteris electi, qui Benedictionem impertiantur, concionentur, & populum reconcilient, & cum ipſis Presbyteri delecti, qui ſciant pœnitentias injungere, qui Miſſas celebrent, infirmorum curam gerant, Sacri Olei unctionem & Viaticum diſtribuant. At arma non ferant, ad pugnam non pergant, ſanguinem non*

Epiſcopi non militent.

non fundant. Satis erit, si Reliquias & Sacra Vasa portent, & pro dimicantibus orent. Ceteri Episcopi, qui in suis Ecclesiis permanent, Vasallos suos bene armatos ad nos, aut quo jusserimus, mittant, & ipsi pro nobis & exercitu nostro Deum orent. Nam Gentes Regesque, qui permiserunt, ut Sacerdotes secum in prælia irent, cælo non favente pugnarunt, quod Gallis, Hispanis & Longobardis evenisse scimus. Nos vero contrarium agentes, ut pie speramus, Victoriam de Gentibus paganis reportabimus, & vitam possidebimus sempiternam.

Sæculum IX. A. C. 803.

Imperator iterum declarat, se isto Decreto nec Episcoporum Dignitati, nec Bonis Ecclesiarum quidquam velle detrahere, sed illos tanto majore honore dignos æstimare, quo Professionis suæ normam fidelius observaverint. Laicis vero prohibet, ne ullum Bonum Ecclesiasticum nisi precario possideant; quod præceptum districte præcipit observari. Inde, & ex declaratione in Libello contenta dispicimus, quid adeo Episcopos ad militandum permoverit. Scilicet verebantur, ne, quia latissimos fundos possidebant, homines Reipublicæ inutiles haberentur, nisi velut ceteri Regni Optimates milites ad bellum mitterent, & ne Laici Bona sua invaderent, eo prætextu, quod sine ipsis militarent. Rursus,

VII. Cap. 142.

Sæculum IX. A. C. 804.

nisi milites suos ipsi Episcopi in aciem ducerent, contemni se putabant a Francis, Gente bellis adsueta, in qua nemo nisi mancipia & homines vilissimæ conditionis militiam fugeret.

§. XXVII.

Iter secundum Papæ ad Carolum.

Sig. Ann. Met.

Fortunatus Patriarcha non ignarus, quam graves imminerent Joannes Dux Venetorum & Mauritius filius ejus, constituit ire in Franciam Præsidium Caroli Imperatoris quæsiturus anno octingentesimo tertio; cumque Principem Saltzæ prope Moguntiam habuisset, Privilegium immunitatis pro sua Ecclesia obtinuit. Eodem anno, cum ad Imperatorem fuisset delatum, Mantuæ inventam esse partem Sanguinis JEsu Christi, Leoni Papæ scripsit, gratum sibi facturum, si in rei hujus veritatem inquireret. Papa occasionem prensans Roma excessit, iturus in Longobardiam; sed deinde ulterius progressus est, & secundo ad Carolum se contulit, cui significari jussit, cupere se Diem Domini Natalem cum ipso celebrare, ubicunque degeret. Imperator accepto nuncio Aquisgrani in medio Novembris anno octingentesimo quarto, Filium suum Carolum Papæ obviam ire jussit usque ad S. Mauritium in Valesia. Deinde ipse Rhemos usque pro-

Ann. Eginh. &c.

procedens Pontificem deduxit Cadurcum, & inde, Festo Nativitatis celebrato, Aquisgranum. Octiduo in mutua conversatione absumpto Imperator donis cumulatum dimisit, & quia viam in Italiam per Bavariam elegerat, Ravennam usque redeuntem deduci jussit. Causam hujus secundi itineris Papæ in Franciam ignoramus quidem, sed conjectura est, periculum Territorii Veneti proficiscendi occasionem præbuisse, cui Provinciæ subjugandæ Græci inhiabant, & præterea Patriarchæ Gradensi Imperatoris præsidium parare Pontificem voluisse. Sæculum IX. A. C. 804.

§. XXVIII.

Ecclesiæ in Saxonia.

Tandem hoc anno Carolus bello Saxonico, quod annis plus triginta gerebatur, finem imposuit. Omnibus, qui repugnare solebant, subjectis, ut non essent, qui deficere possent, decem millia Saxonum ultra Albim habitantium cum uxoribus & liberis translata in diversa Galliæ & Germaniæ oppida invexit. In Saxonia vero remanentibus pacis conditiones posuit; ut abjecta Idololatria Religionem Christianam amplecterentur, & Francis juncti populum unum efficerent. Ut eo facilius ad conversionem moverentur, Rex multis in illa Regione *Eginh. vit. Car. in ann.*

Sæculum IX. A. C. 804.

fundatis Ecclesiis, datos sibi obsides, aut diuturno bello captos in Monasteria Franciæ mittebat. Aliquos jam superius memini fundatos in Saxonia Episcopatus, nempe Verdensem, & Mindensem anno 786. Bremensem anno 787. Osnabrugensem anno 788. Paderbornensem anno 795. nunc agendum est de Monasteriensi, cui S. Ludgerus anno octingentesimo secundo primus Episcopus præfectus est.

§. XXIX.

S. Ludgerus Monasterienſis.

Sup. Lib. XLIV. §. 19

Sanctus Ludgerus a Carolo Rege anno septingentesimo octogesimo septimo Frisonibus Orientalibus fidem prædicare jussus, ferventi zelo pio operi insudavit. Cum filium alicujus ex Principibus eorum nomine Landrycum e Sacro fonte levasset, sacris litteris imbutum, postea Presbyterum ordinavit, qui deinde longo tempore Scholæ Frisonum præfuit. S. Ludgero apud Frisones prædicanti, cum in quemdam vicum advenisset, oblatus est homo cœcus nomine Bernelefus totius viciniæ accolis ideo carissimus, quod antiqua carmina, in quibus veterum Regum Victoriæ & facta memorabilia referebantur, hilariter recitaret. Hæ enim cantiones Germanis pro scripta historia erant, quæ hactenus in memoria homi-

Boll. 26. Mart. vit. per. Altfr. n. 19. to. 5. Act. Ben. p. 25. Altfr. lib. 11.

Tac. Germ. init.

hominum conservatæ jubente Carolo Imperatore litteris mandatæ fuerunt. Sæculum IX. A. C. 804.

Egin. vit. c. 8. n. 34.

Bernelesus a triennio oculis captus adducitur ad S. Ludgerum, qui ei persuasit, ut pœnitentiam, quamcunque ipsi injuncturus esset, reciperet. Tum cum simul equitarent, a via paulisper abducit, confitentem audit, & pœnitentiam injungit. Mox etiam super oculos ejus signum Crucis format, & manus ejus prehendens interrogat, an quidquam videret. Lætus ille respondet: *Video manum tuam.* Prosequitur S. Ludgerus sermones pios & documenta salutis, tum quærit, an pagum, cui appropinquabant, novisset. Bernelesus illius pagi nomen edicit, & addit, quod jam omnes arbores & domos cerneret. S. Ludgerus petiit, ut juramento sibi promitteret, nemini, quoad viveret, manifestaturum, quis sibi visum restituisset; & Bernelesus, ut Viro Sancto obsequeretur, adhucdum per dies aliquot cœcitatem simulavit.

S. Ludgerus.

Interim duo Viri nobiles in Frisia persecutione contra Fideles excitata, Ecclesias incenderunt, & Clericos ejecerunt. Tunc vero S. Ludgerus non ignarus, quam carus popularibus suis Bernelesus esset, mandavit, ut domos intraret, & ex Matrum consensu infantes moribundos baptizaret. Aquam simpliciter be-

Sæculum IX. A. C. 804.

nediceret, eisque aspergeret, vel immergeret. Cum hoc ritu octodecim baptizasset, mortui sunt, exceptis duobus, quibus exinde S. Ludgerus Sancto Chrismate Confirmationem contulit. Hic notandum, quod Laicus mittatur ad baptizandum, & Baptismus conferatur per aspersionem, cujus ritus ad hæc usque tempora raro occurrunt exempla. Ad illud quoque attendo, quod hi infantes, licet morituri, non nisi ex consensu Matrum baptizentur. Persecutione post unius anni spatium cessante, rediit cum suis S. Ludgerus & Fidem, ut antea, prædicavit. Sub idem tempus Monasterio S. Salvatoris Verthinensi seu Verdensi, Diœcesis Colonienſis, in fundo maritimo sui patrimonii fundato, Monachos Benedictinos immisit, quibus ipse præfuit. Id anno septingentesimo nonagesimo quinto factum creditur.

§. XXX.

Episcopatus Monasterienſis.

Saxonibus ad Fidem conversis, S. Ludgerus a Rege Carolo in quadam Westphaliæ Regione, cujus locus præcipuus *Mimigerneford* dicebatur, Pastor constitutus, ibidem ædificavit Monasterium Canonicorum, quod, sive Canonici soli fuerint, sive Monachis permixti, illi loco nomen Münster peperit. Ex hoc loco

co S. Ludgerus improbo sed pio labore erudiebat populos Saxoniæ, Idololatriæ radices evellebat, extruebat Ecclesias, & singulis Presbyterum ex numero Discipulorum suorum dabat. Sæpe rogabat fratres, ut ex illa Congregatione Præpositum deligerent, quem deinde peterent sibi Episcopum ordinari, se ipsum enim eo gradu credebat indignum; cumque Hildebaldus Archiepiscopus Colonienſis instaret, ut se ipsum ordinari pateretur, respondit illa Apostoli verba: *Episcopum oportet esse Virum irreprehensibilem*, cui Hildebaldus cum gemitu reposuit: *Hujus Regulæ rationem non habuerunt, qui me ordinarunt.* Tandem Ludgerus communi omnium consensu victus, & timens, ne voluntati Dei resisteret, primus Episcopus Mimigernefordiensis anno octingentesimo secundo ordinatur. Quinque tamen Frisonum regiones, a se conversas continuo rexit, & suæ Diœcesi junctas retinuit. Carolus Imperator præterea Ludgero cujusdam Monasterii in Brabantia, quod tunc *Lotusa*, hodie Lætiense in Hannonia dicitur, Regimen contulit, aliudque S. Ludgerus in prœdio sui Patrimonii, quod *Helmstad* dicebatur, & hodie Ducatus Brunswicensis pars est, fundaverat, ita ut præter suam Diœcesim etiam tria Monasteria gubernaret.

Sæculum IX. A. C. 804.

S. Ludgerus Episcopus.

1. *Tim.* 3. 2.

Sæculum IX. A. C. 804.

vit. per Anon. L. I. c. 24.

Ludgerus, Episcopatu suscepto, alteri etiam viro cœco lumen reddidit. Cum aliquando ex boni Pastoris Officio suam Diœcesim obiret, & in quodam Saxoniæ vico mensæ assideret, venit pauper, foris clamans vehementer; dignaretur Episcopus hominem cœcum conspicere. Diaconus, cui pauperum cura erat demandata, promptissime exit, & clamanti escam affert. Ille cibum respuit dicens, se desiderio alterius reiteneri. Tum præbentibus sibi potum dixit, non petere se eleemosynam, sed Episcopi alloquium & auxilium. Diaconus, quid sibi vellet ignarus, hominem relinquit. At illo clamare non cessante S. Ludgerus Diaconum increpat, jubetque, ut ei pecuniam daret. Tum pecuniam quoque accipere recusantem Episcopus ad se vocat & interrogat, quid peteret. Respondit: *Obtestor te per Dei amorem, fac, ut videam.* Stans attonitus Episcopus eadem verba sine certa intentione repetiit, & confestim cœcus visum recepit. Jubetur mensæ accumbere, comedit, & lætissimus ad sua regreditur. Plura alia a S. Ludgero patrata narrantur miracula, nec fidem superat, Deum primis Frisiæ & Saxoniæ Apostolis donum miraculorum concessisse.

§. XXXI.

Sæculum IX.
A.C. 804.

§. XXXI.

S. Ludgeri Virtutes & Obitus.

Sanctus Ludgerus urgente zelo animarum etiam ad Fidem prædicandam Normannis, id est, Danis aliisque Septentrionis populis abiisset, nisi eum Caroli Regis mandata retinuissent. Vir Sanctus hos populos Francorum Regni partem devastaturos tali tempore, quo necdum timebantur, vaticinatus est, & sorori suæ Heriburgæ prædixit, ipsam hæc mala spectaturam esse, se vero ea non visurum. In sacris Scripturis apprime eruditus singulis diebus mane Discipulos suos docebat. Ut ostentationis suspicionem removeret, vestes, quæ Dignitatem suam decebant, gerebat. Cucullum deposuit, nullo voto ad Regulam Monasticam adstrictus; sed cilicium retinuit, quia sub vestibus latens a nemine notari poterat. Quibusdam temporibus carnes manducabat, semper sobrietatis studiosissimus. Ad alterius mensam invitatus, nullos nisi de rebus piis sermones afferebat, & post moram brevem recedebat. Pauperibus comis, superbis divitibus constans & severus.

S. Ludgerus prompte omnes reditus tam patrimonii quam Ecclesiæ suæ erogabat, nec aliquid ad ornandam novis ædificiis Ecclesiam vel pretiosa vasa comparanda

Sæculum IX. A. C. 804.

paranda reservabat. Hinc aliqui occasionem prensarunt, eum apud Imperatorem accusandi, quod sua dilapidaret. Imperator ad Regiam accersitum quadam die tempore matutino per Cubicularium ad se vocat. S. Episcopus preces suas recitabat, dixitque Cubiculario, venturum se, quamprimum preces absolvisset. Et diutius cunctatus ter jubente Imperatore vocatus tandem comparuit. Tum Imperatori id sibi objicienti respondit: *Existimavi, Deum hominibus & tibi ipsi esse præferendum, quoniam hanc Doctrinam mihi suggessisti, cum Episcopus esse jussus sum.* Reposuit Imperator: *Talem te esse video, qualem credebam; exinde nullis contra te querelis aures dabo.* Tantam animi collectionem S. Ludgerus in recitando Officio Divino exigebat, ut cum aliquando noctu in suo cubiculo cum Clericis suis illud persolveret, & unus eorum ad focum componendum & avertendum fumum se inclinasset, ipsi aliquot dierum pœnitentiam injunxerit.

Annon. c. 33.

Extremo morbo laborans, pietatis opera, quibus adsueverat, non dimisit. Singulis ferme diebus sacris operabatur, & pridie, quam moreretur, in duabus Ecclesiis dixit ad populum. Obiit vero anno octingentesimo nono, vigesima sexta Martii, qua die Ecclesia ejus memoriam

Mart. 26. Mart.

riam colit. Corpus in ipsius Ecclesia asservatum, usque dum Frater ejusdem Hildegrinus Episcopus Catalauni advenisset, qui illud in Ludgeri Monasterio Verdensi vigesima quinta Aprilis sepelivit. S. Ludgerus in Sede Mimigernefordiensi Successorem habuit Gerfridum Nepotem, cui successit Altfridus, vitæ S. Ludgeri Scriptor, ex iis, quæ a Fratre ipsius Episcopo Hildegrino, sorore Heriburga Sanctimoniale, Nepote ejusdem Gerfrido Episcopo, & quibusdam aliis, didicerat. Sæculum IX. A. C. 804.

§. XXXII.

Concilia Cloveshoæ.

In Anglia Adelardus Cantuariensis sub idem tempus duo Concilia Provincialia Cliffæ, quæ tunc Cleveshoa dicebatur, celebravit. Primum anno octingentesimo actum creditur, Quenulfo Rege præsente, ubi postquam Fidem examinassent, & cognovissent, esse eandem, quam a S. Gregorio accepissent, de usurpatione Bonorum Ecclesiasticorum tractarunt; quippe etiam quarumdam Ecclesiarum Tabulæ surreptæ fuerant. Tum Archiepiscopus etiam pactum aliquod permutationis cum quadam Abbatissa initum, ratum haberi voluit. *to. 7. Conc. p. 1153.* *to. 7. Conc. p. 1053.*

Alte-

Sæculum IX. A.C. 806.

Alterum Cliffæ Concilium habitum est anno octingentesimo tertio duodecima Octobris. Cum Adelardo aderant Episcopi duodecim, qui subscripserunt, & post eorum singulos, Abbates & Presbyteri ipsis subditi. Adelardus iterum querelas movit, quod Rex Offa, sedente Jamberto Antecessore suo, multa usurpasset, rursusque, potestate a Leone Papa accepta, Anathema dixit omnibus illis, qui similia attentarent.

p. 1089.

Sup. n. 6.

Prohibuit, ne Monachi Dominos Laicos sibi eligerent, sed Regulam exacte servarent. Ex subscriptione hujus Concilii visuntur nomina Episcopatuum, qui tunc Ecclesiæ Cantuarienſi suberant, eaque hodie ita mutata sunt, ut difficulter cognosci possint.

§. XXXIII.

Tarasii Obitus. Nicephorus Patriarcha.

Constantinopoli Tarasius Patriarcha e vivis excessit 25. Febr. Indictione decima quarta, nempe anno octingentesimo sexto, postquam hanc Sedem annis viginti & uno & duobus mensibus tenuisset. Quamvis esset senectute & morbo fractus, non tamen omittebat Sanctum Sacrificium offerre, (*) sed tabula

Theoph. an. 4. *p.* 407. *vit. Boll. to.* 5. *p.* 588.

(*) Hier hat unser Protestant schon wiederum die

bula lignea, quæ ante Altare ponebatur, debile corpus ſuſtinebat. Unde diſpicimus, non fuiſſe licitum ipſi Altari incumbere. Sepultus eſt prope Boſphorum in Monaſterio, quod in Eccleſia omnium Martyrum fundaverat, atque numero Sanctorum adſcriptus. Feſtum ipſius Conſtantinopoli tempore ejusdem Succeſſoris jam anno octingenteſimo decimo tertio celebrabatur. Sæculum IX. A. C. 806. *Mart. Rom. 25. Febr. Theoph. p. 424. vit. S. Niceph. n. 21. Boll. to. 7. p. 298.*

Taraſio defuncto, cum Nicephorus Imperator de eligendo Succeſſore Episcoporum, Monachorum & Senatorum præcipuos atque inter alios S. Platonem & S. Theodorum Studitam conſulueret, S. Plato ſuffragium ſuum ſcriptum dedit; imo ſolitudinem & ſtabilitatem Monachi recluſi violavit, & quemdam Monachum Imperatoris propinquum noctu adiit. Sed ejus ſententia non placuit. Habemus S. Theodori reſponſum, in quo excuſat, quod neminem nominet, & Imperatorem hortatur, ut in Electione Patriarchæ non Epiſcoporum ſolum & Abbatum ſed etiam Stylitarum & Solitariorum incluſorum rationem haberet. Unde diſcimus, quod Stylitarum Inſtitutum *vit. Plat. c. 6.* *ep. 16.* *Sup. Lib. XXIX. §. 8.*

die Worte offrir le Saint Sacrifice, gegeben: das Heil. Abendmahl austheilen, auf der 474. Seite. Andere Fehler sind so groß und vielfältig, daß manche Seite nicht verständlich ist.

Sæculum IX. A. C. 806.

tutum trecentis quinquaginta annis, S. Simeone ejus Auctore extincto, perstiterit.

Imperator ad occupandam Sedem Patriarchalem nominavit Nicephorum, olim Antecessoribus suis ab Epistolis, qui communi consensu Clericorum & populi electus est, Platone & Theodoro Studita fortiter repugnantibus, quod dicerent, Laicum subito ad Episcopalis Dignitatis apicem non esse evehendum. Sine dubio arbitrabantur, recens hoc factum electioni Tarasii junctum posteris pessimum exemplum futurum esse. Imperator indignatus, esse qui voluntati suæ resisterent, Platonem abstrahi, & diebus viginti quatuor in angusto carcere teneri jussit, quibus elapsis concessit, ut ad suum Monasterium reverteretur. Non nulli etiam Monachi ipso jubente carceri dati, de aliis quæstio habita. Omnes ipse ejicere meditabatur, nisi viri prudentes aliud suasissent; nec enim Imperatorem nec Nicephorum Patriarcham ferendæ invidiæ populi pares futuros, si sub auspicia Regiminis Ecclesiastici septingentorum congregatio Monachorum Disciplinam Theodori sequentium pelleretur.

Theoph. p. 407.

Sup. Lib. XLIV. §. 24.

Nicephorus vero in Die Paschatis, duodecima Aprilis anno octingentesimo sexto Patriarcha ordinatur.

Nice-

Nicephorus natus erat Constantinopoli anno circiter septingentesimo quinquagesimo octavo, cujus parens Theodorus, Imperatori Constantino Copronymo ab Epistolis, delatus, quod Imagines adoraret, idque libere confessus, post minas & verbera munere suo privatus & in exilium ejectus est. Iterum revocatur, novis tormentis tentatur, atque Traditioni Ecclesiæ inhærens ab Imperatore Niceam relegatus, ibidem fato functus est. Eudocia uxor ejus, quæ nunquam a latere viri sui avelli passa erat, maxima sollicitudine filium Nicephorum necdum adolescentiæ annos egressum educavit, & tandem vitam Monasticam est amplexa. Nicephorus eodem Notarii munere, quo olim pater suus, Constantino & Irene imperantibus, atque etiam in septima Synodo functus est.

Sæculum IX. A. C. 806.

vit. c. 1.

Nicephorus Patriarcha.

Act. 2. p. 99.

Is cum sacra Doctrina Religionis Scientias profanas, Grammaticam, Rhetoricam, & omnes partes Matheseos atque Philosophiæ conjunxerat. Ut negotiorum tumultum effugeret, fundavit Monasterium in loco sterili & injucundo, quo secedens non tamen Monasticum Institutum amplexus est, sed orationi & litteris vacans in humilitate & omni virtutum genere exercebatur. Deinde vero jubente Imperatore & Imperatrice e solitudine egredi, & magni Hospitii

c. 2.

Sæculum IX. A. C. 806.

Constantinopolitani curam in se suscipere compulsus est. Jamque secundo ad dilectam solitudinem redierat, cum ab Imperatore Nicephoro ad recipiendam Dignitatem Patriarchalem evocatur. Ille quidem tantum onus subiit, sed repugnante animo, & prius habitum Monasticum induit. Stauratius Imperatoris filius, anno octingentesimo tertio mense Dec. coronatus, sua manu comam abscidit Patriarchæ, qui omnibus Ordinibus per gradus & tandem Sacerdotio initiatus est. Cum consecraretur, manu tenebat librum, quem ad Fidem defendendam scripserat, eumque finita Cæremonia post Altare deposuit.

§. XXXIV.

De Rebus Franciæ.

Cap. to. 1. p. 439. v. Coint. an. 806. n. 29 35. art. 15.

In Occidente eodem año octingentesimo sexto Carolus Imperator ingravescente ætate in conventu Procerum Theodonisvillæ Regnum suum divisit in partes, in quibus tres Filii sui Carolus, Pipinus & Ludovicus post obitum suum regnarent. De Imperio & Ducatu Romano illi annexo nulla mentio, quia de eo decernere Imperatori necdum placebat. Sed inprimis tres Fratres hortatur, ut sequentes exemplum Caroli avi sui, & Pipini Parentis, junctis viribus Ecclesiam S. Petri defendendam in se susciperent, jura

jura omnium ceterarum Ecclesiarum in Regnis suis conservarent illæsa, & Pastores Possessoresque legitimos iisdem libere frui sinerent. Si inter fratres ortæ fuerint lites de limitibus Regnorum, eæque per testes sopiri non possint, Crucis judicio dirimantur; sed ad arma non prorumpant. Hoc Crucis judicium Ecclesiasticum credebatur, & quale fuerit superius explicavi. Caroli Imperatoris Testamentum Optimatum Francorum juramento confirmatum, & Eginhardo deferente Romam missum, ut Leo Papa subscriberet.

Sæculum IX. A.C. 806.

An. Eginh. 806.

Sub idem tempus Carolus Imperator datis ad Pontificem litteris Fortunato Archiepiscopo Gradensi, persequentibus Venetis & Græcis pulso, præsidium quærebat. Nam in factiones abierant Venetiæ, & Nicephorus Imperator classem miserat in mare Adriaticum, Patricio Niceta Prætore, partes Joannis Ducis Venetorum & Mauritii filii ejus tueri jusso. Fortunatus periculum reformidans e Civitate Gradensi fugit, quam statim Diaconus nomine Joannes assumpto Patriarchæ Titulo insedit. Ergo Carolus Imperator rogabat Papam, ut Ecclesiam Polensem a brevi tempore defuncto Episcopo Æmiliano vacantem Fortunato daret; nam Istria Francis parebat. Concessit Papa, quod petebatur,

Ann. Eginh. 806. v. Coint. an. 806. n. 6.

Sæculum IX. A.C. 807.

ea conditione, ut si Fortunatus Sedem suam Gradensem denuo reciperet, Ecclesia Polensi nihil de ejus Bonis retinens cederet. Subjungit adnotationem in hunc modum: *Cum te de Dignitate Fortunati conservanda solicitum videamus, rogamus, ut etiam animæ ipsius curam geras; sic enim ille, quia Auctoritatem tuam pertimescit, ad officium compelletur. Quæ de ejus moribus audivimus* (relata sunt vero ex Francia) *indigna sunt Archiepiscopo. Fidissimos tuorum interroga, & veritas ad te perveniet; nam qui tibi laudabilia de eo referunt, donis acceptis corrupti sunt. Hæc autem solo tuæ Salutis amore permoti tibi scribimus. Interrogare potes Hildebaldum Archiepiscopum, & Ercanbaldum Cancellarium.* Est hic Archambaldus, qui alibi Caroli a secretis esse dicitur.

Leo ep. II. to. 7. Conc. p. 1125.

Ann. Loisel. & Egin. an. 801.

§. XXXV.

Translatio S. Cypriani.

Eginh. an.

Carolo Imperatore anno octingentesimo septimo Aquisgrani agente advenit Legatus Califæ Aaronis, quem duo Monachi Jerosolymitani Georgius & Felix a Thoma Patriarcha missi comitabantur. Eodem anno S. Cypriani Reliquiæ in Franciam allatæ. Nam cum Legati a Carolo Imperatore missi ad Aaronem, per Africam domum remearent, viderentque

Ado. Chron. Id. Martyr. 14. Sept. Agob. carm.

rentque urbem Carthaginem eversam, & sepulchra Martyrum deserta, Califam rogarunt, ut licentiam Reliquias S. Cypriani auferendi daret. Ille rem, quam flocci æstimabat, Carolo gratum facturus facile concessit. Itaque Legati ossa S. Cypriani, S. Sperati, Martyris ex Scillitanorum numero, & S. Pantaleonis caput accipiunt, nave conscensa, felici navigatione Arelatem perveniunt, & relictis ibi Reliquiis Sigillo munitis impigre Imperatorem adeunt, itineris sui rationem reddituri. Imperator adventum pretiosissimarum Reliquiarum lætus accepit, jussitque, ut Arelate asservarentur, donec in regno suo magnificam extruxisset Ecclesiam, in qua decenti honore deponerentur. Cum vero moræ ex moris nascerentur & in longum differretur hoc opus, Leidradus Archiepiscopus Lugdunensis, precibus ab Imperatore obtinuit, ut ipso licentiam concedente in illam Civitatem afferrentur Reliquiæ, quas in Ecclesia Cathedrali post Altare Majus deposuit.

Sæculum IX. A. C. 807.

Sup. Lib. V. §. 3.

§. XXXVI.

Leidradus Archiepiscopus Lugdunensis.

Leidradus in Norico natus Theodulfo Episcopo Aurelianensi, cum a Principe delegatus illas Provincias, quas hodie

Theod. carm. ad judic. l. 1. Coint. an. 790 n. 10.

Sæculum IX. A.C. 807.

Delphinatum, Provinciam, Occitaniam appellamus, visitaret, socius additus fuerat. Anno autem septingentesimo nonagesimo octavo in Sede Lugdunensi successit Adoni, cujus nepos Ilduinus, Successor ipsius designatus nunquam ordinatus erat Episcopus, sed Monachum in Insula Lerinensi professus fuerat. Leidradus toto Pontificatus sui tempore magna pro Ecclesiæ suæ utilitate gessit, quod ex Epistola ipsius ad Carolum Imperatorem data patet. In ea dicit:

Ado. Chr. post. an. 796.

Ap. Agob. to. 2. p. 125.

Compulisti me ad suscipiendum Ecclesiæ Lugdunensis Regimen, quamquam eo munere essem indignus, dumque me huc mittebas, jussisti, ut mala quæ aliorum negligentia irrepserant, reparavem. Nam Ecclesia ista tam intus quam foris multis rebus necessariis ad Divinam Laudem, ædificia, & Sacram supellectilem pertinentibus destituebatur. Audi jam, quæ, ex quo huc veni, auxilio Dei & tuo perfeci. Non ideo hæc tibi scribo, ut aduler, vel avaritiæ serviam, testis sit mihi Deus! nec ea est ætas mea ut longam vitam sperare possim, sed ex infirmitate corporis ominor ultimam diem imminere. Sed ideo hæc ad te refero, ut si quid utile secundum imperium tuum præstiti, illud, me hac vita functo, alterius socordia non subvertatur.

Omnem

Omnem movi lapidem, ut tot Clericos, quot mihi opus erat, ad peragendum Officium Divinum haberem, & Deo sint laudes continuæ! Clericos plurimos habeo, & pauci jam desunt. In hunc finem reditus, olim ad Ecclesiam Lugdunensem pertinentes mihi restitui jussisti, & inde etiam Psalmodiæ ordinem, qualis in Regia tua observatur, reduxi. Habeo enim Scholas Cantorum, quorum plerique ad alios tyrones docendos idonei sunt. Præterea Scholas Lectorum habeo, qui non modo Officii Divini Lectiones recitent, sed etiam Libros Sacros meditentur & explicent. Sunt, qui ex parte sensum spiritualem Evangeliorum intelligunt. Multi sensum Prophetarum, Librorum Salomonis, Psalmorum & etiam Libri Job capiunt. Libros quot quot potui in usum hujus Ecclesiæ describi curavi. Vestes Sacerdotales & Vasa Sacra suppeditavi. Sæculum IX. A. C. 807.

Nunquam cessavi, ubi licuit, Ecclesias reparare. Magnæ Ecclesiæ S. Joanni dedicatæ tectum imposui, & ex parte muros eduxi. Ecclesiam S. Stephani tecto munivi. Ecclesiam S. Nicerii, & S. Mariæ restauravi. Domum Episcopalem aliam pæne collapsam reparavi, aliam ædificavi, in qua tu diversari possis, si in hanc Regionem veneris. Clericis Peristylium ædificavi ubi omnes in uno

Sæculum IX. A.C. 807.

loco commorantur. Plures præterea Ecclesias in Civitate Lugdunensi reparavi, nempe, S. Eulaliæ, apud quam erat Monasterium puellarum, Ecclesiam S. Pauli, Ecclesiam puellarum S. Petri, ubi S. Anemundus Martyr, & illius Domus Fundator sepultus est. Jamque ibi triginta duæ Moniales Regulam observantes degunt. Reparavi Monasterium Regium Insulæ Barbaræ, ubi jam nonaginta Monachi secundum Regulam vivunt. Dedimus Abbati potestatem ligandi & solvendi, quam habebant ejus Antecessores, cum illos hujus Ecclesiæ Episcopi Antecessores nostri in illa loca mitterent, quo ipsi ire non poterant, ad fidem contra ingruentes Hæreses conservandam. Imo Sede Vacante ad Regimen Ecclesiæ Lugdunensis adhibebantur. Ex hac Epistola apparet desiderium Episcopatu se abdicandi, quod etiam Leidradus Carolo vita functo executus est. Interim notari potest, duas partes Disciplinæ præcipuas, Scholas & Monasteria fuisse restitutas.

Sup. Lib. XXXIX. §. 35.

§. XXXVII.

S. Benedictus Anianensis.

Acta SS. Bento. 5. p. 194.

De Scholis egi, cum de Alcuino scriberem; jam etiam S. Benedictus Anianensis memorandus est, Disciplinæ Monasticæ Restaurator. Is ex Gente Gotho-

Gothorum anno circiter 750. ortus, ad- Sæculum IX.
huc puer a Patre, Comite Magalonenſi, A.C. 807.
ad Regis Pipini Regiam miſſus, ejus Pocillator fuit, & deinde Regem Carolum ſecutus eſt. Jam tunc autem animo conſtituit Mundum relinquere, per annos tres jejuniis vigiliisque corpus domuit, & linguam refrœnare didicit. Tandem cum aliquando in periculum incidiſſet ne aquis ſuffocaretur, quod ſibi habebat propoſitum voto confirmavit. Tum præparatis omnibus e domo diſceſſit tanquam Aquisgranum, ubi tunc Rex erat, profecturus. Sed in via ad Monaſterium S. Sequani divertit, ubi dimiſſis Domeſticis vitam Monaſticam amplexus eſt. Vertebatur tunc annus, quo Carolus Italiam ſubjecit, ſcilicet, ſeptingenteſimus ſeptuageſimus quartus.

S.Benedictus ſumpto Monachi habitu corpori ſuo bellum crudele indixit. Solo pane contentus, vinum ceu peſtiferum virus devitabat. Somnus ei breviſſimus, & quandoque nuda humo proſtrato. Sæpe pervigil nudis plantis aere perfrigido in oratione pernoctabat, & ſilentium pluribus diebus non interrumpebat. Donum quoque lacrymarum accepit. Vilibus & pervetuſtis veſtibus utebatur, & raro tunicam exuebat, omnigenum vermium genus patientiſſime tolerans. Cucullum, nempe veſtem

Sæculum IX. A. C. 807.

exteriorem, si qua ruptura facta esset, ex panno dissimilis coloris sarciebat; unde aliorum ludibrio Monachorum patebat. Qui expuentes ceu insanientem hominem propulsabant. Nec Abbatis jussu adduci potuit, ut hunc rigorem moderaretur. Dicebat, Regulam S. Benedicti Tironibus & infirmis esse scriptam, atque ad S. Basilii & S. Pacomii Instituta conscendere nitebatur. Verum videns quod tantam perfectionem paucissimi imitarentur, ad Regulam S. Benedicti rediit, in cujus amorem magis magisque in dies accendebatur, aliosque exhortari cœpit, ut amplius proficerent.

Interea Cellerarii munus ei injungitur, quod ad præceptum Regulæ gerens Abbatis favorem consecutus est. Eo post elapsum quinquennium defuncto, omnibus mire consentientibus Abbas ad S. Sequanum eligitur. At ille mores eorum cum suis non convenire certus, confestim in patrium solum reversus est, ubi paternum habebat prœdium super rivulum, cui nomen *Anianus*. Ibi prope exiguam S. Saturnini Ecclesiam cellulas extruxit sibi & aliquot sociis, quorum ipsi carissimus fuit Vir Sanctus, cœcus, nomine Witmarus, quem initio suæ conversionis consuluerat.

Monasterium Anianense.

Bene-

Benedictus primum hoc Monasterium condidit anno circiter septingentesimo octogesimo, ibique aliquot annos in maxima paupertate transegit, Deum diu noctuque exorans, ut Disciplina Monastica reduceretur. Sæculum IX. A. C. 807.

Erant in illis partibus tres Viri summæ virtutis Atilio, Nibridius & Anianus, qui, licet Regularis Disciplinæ non admodum periti & experti, Religiose tamen vivebant; cumque Benedicti pietatem eximiam cognovissent, eundem colere & amare cœperunt. Nibridius idem esse creditur ac Nifridius postea Abbas Grassæ, seu Urbionis, Archiepiscopus Narbonensis. Ergo ad illud Monasterium ab amne præfluente Anianense dictum perplures primo tempore ardenti studio convolabant, & cum Viro Dei Sæculo relicto degere cupiebant. Sed mox fracti animo novum reformidantes vitæ genus, dum panem in pondere vinumque in mensura acciperent, ab incæpto pedem retrahebant. Hac re turbatus Benedictus ad pristinum suum Monasterium, nempe S. Sequani, reverti animo agitabat. Hoc autem consilium prius aperuit Atilioni, quem in arduis consulere solebat; sed ille acrius increpitum monuit, ne tentationi succumberet. Ergo Atilionis hortatu animatus in eodem loco perseveravit cum paucis

Sæculum IX. A. C. 807.

paucis Monachis, quibus omnia, quæ docebat, suo exemplo monstrabat. Labori non parcebant, solo pane & aqua pura reficiebantur, vino tantum diebus Dominicis solemnibusque concesso, nisi quod aliquando lacte a vicinis mulieribus allato recreabantur. Nulla eis erat c. 14. possessio, non vineæ, non pecora, non equi. Unus tantum erat asellus, quo veherentur, si qua pergere necessitas postulabat.

Cœpit interea paullatim crescere turba Discipulorum. At quia vallis, in qua primum Benedictus consederat, perangusta erat, in patentiore loco Monasterium novo Discipulorum suorum labore ædificavit. Et ipse cum laborantibus fratribus simul non raro laborabat, aut humile coquinæ non refugiebat officium. Ita magnum quidem conditum Monasterium sed vili structura & stramineo tecto, nam ab omni pompa abhorrebat. Ecclesia S. Virgini dedicata est. Non utebatur Vir Sanctus calicibus argenteis, aut Casulis ex serico, & Vasa sacra primum lignea deinde vitrea ac demum stannea adhibuit. Non nihil tamen postea de hoc rigore, quantum ad decorem Ecclesiæ spectabat, remisit. Brevi locus ille rebus ac possessionibus auctus. At Benedictus agros quidem recipiebat, sed non Servos eorum cultores, quos in liberta-

S. Benedictus Anianensis.

libertatem asseri curabat. Nunquam ob cujuscunque rei jacturam conspectus est tristis, nunquam, quod sibi furto ablatum fuit, repetiit; imo si fur fuisset comprehensus, beneficiis cumulabat, & secreto dimittebat. Aliquando quidam vir, qui Monasterii equos furabatur, a vicinis comprehenditur, verberibus afficitur, & ad S. Abbatem adducitur. Ille plagas ejus curari jussit & dimisit. Cum quadam die iter faceret cum fratre, occurrit vir insidens equo, quem frater illico cognovit, esse a Monasterio surreptum, & exclamavit. Sed Abbas tacere eum jussit dicens, sæpe fieri, ut equus equo esset simillimus. Postea tamen soli fassus est: *Et ego, nostrum esse equum, perspexi; sed virum hunc tanto pudore confundere nolui.*

Sæculum XI A. C. 807. c. 20.

Benedicti exemplo excitati plures alii viri sancti Monachos congregarunt, & mores suos ad normam ab eo præscriptam composuerunt. Ipse vero, ut Pater, in spiritualibus & corporalibus subveniebat, & identidem visitans hortabatur, ne egestate perculsi aliisve terroribus fracti retro respicerent. Ita in illis regionibus permulta accrevere Cœnobia. n. 15.

Interea cum Monasterium Anianense semper augeretur, Benedictus Ducum Comitumque beneficiis adjutus insignem

Sæculum IX. A. C. 807. n. 26.

gnem Ecclesiam anno septingentesimo octogesimo secundo Caroli Regis decimo quarto ædificare cœpit. Peristylium quoque reparavit, cui pro tecto stramineo tegulas imposuit, & quamlibet porticum columnis marmoreis fulcivit.

Hæc Ecclesia S. Salvatori dedicata est. Altare exterius solidum, intus cavum capsas Reliquiarum continebat, in quibus erat Particula veræ Crucis, cum una Spina de Corona Christi Domini. Sacra supellex septeno fere numero erat distincta. Septem candelabra cum septem ramis visebantur ad instar illius Salomoniaci in Tabernaculo antiquæ Legis. Ante Altare septem dependebant lampades, & septem aliæ in Choro, quibus omnibus accensis veluti in die ita in nocte tota refulgebat Ecclesia. Calices etiam argentei, vestes pretiosæ, omniaque ad Officium Divinum necessaria aderant. Præterea Benedictus in suum Monasterium permultos libros congessit, Cantores Lectoresque instituit, Grammaticos quoque & Theologos in Scientia Scripturarum peritos habuit, ex quibus aliqui ad Episcopalem Dignitatem assumpti fuere. Hæc fuere initia celeberrimi Monasterii Anianensis, quod hodieque in Diœcesi Montispessulana existit.

Monasterium Anianense.

Cum

Cum tantæ virtutis fama ad aulam usque perveniſſet, Benedictus ad Regem Carolum perrexit, & ne aliquando propinqui ſui aliive homines Succeſſores ſuos in poſſeſſionibus turbare poſſent, Monaſterium ſuum Regis præſidio obtulit, atque privilegium ſeu immunitatem pro illorum temporum conſuetudine obtinuit. Imo dedit Rex Benedicto agros Monaſterio adjacentes, & magno honore virum proſecutus, ad ſua rediturum quadraginta libris argenti donavit, quas Benedictus reverſus illius Regionis Monaſteriis diſtribuit; etſi enim Virtutes omnes coleret, maxime tamen Charitate in has ſacras domos enitebat. Has ſæpe inviſebat, quæ a Fidelium liberalitate acceperat, ut ſingulis opus erat, communicabat, Monachos, quæ ad eorum inſtitutum pertinebant, docebat. Denique eum Patrem Nutricium habebant omnia Monaſteria Provinciæ, Gothiæ, & Novempopulaniæ, id eſt, Occitaniæ & Vaſcoviæ. Omnes Benedictum ceu Patrem amabant, omnes ut Magiſtrum reverebantur. Quia omnes ſciebant, eum pauperum curam maximam gerere, ad eum deferebant, quæ pauperibus dare conſtituerant. Eleemoſynæ ſemper documenta ſalutaria addebat. Monachos vero ſuos omni hora, ſub nocturnos, in Capitulo, in Refectorio, ut proficerent,

Sæculum IX. A. C. 807.

Marculf. 1. *c.* 3. *Sup. Lib. XXXIX.* §. 28. *vit. Ben. n.* 28

S. Benedictus

Sæculum IX. A. C. 807.

ficerent, exhortabatur. In Monasterio suo Clericos & Monachos ex diversis locis alumnos habebat, quibus Magistrum ad eos in rebus Sacris erudiendos dabat. Immensa videbatur S. Viri charitas; hinc ingenti fiducia ad eum, si ad malum tentarentur, recurrebant; mirum quippe a Deo acceperat donum, mentes aliorum tumultuosa cogitationum turba agitatas componendi.

n. 33.

Quamvis vero Benedictus de pristino rigore paululum dimisisset, quod crederet, impossibile esse, in eo perseverare, nihilominus in labore manuum cum arantibus ipse arabat, fodientibus socius aderat, & cum messoribus metebat, vixque in torrida regione illa suis nimio fervore æstuantibus ante horam refectionis pauculum aquæ indulgebat. Nemo tamen in eum mutire audebat, quia minus sibi ipsi quam aliis indulgebat. Inter laborandum, dum irent, redirentque, nullus fabulis locus, sed Psalmi decantabantur. Carnes quadrupedum a die conversionis suæ usque ad extremum vitæ edere noluit, sed tantum ubi aliqua ipsi accidebat infirmitas jus e pullis compositum sumebat. Unde liquet, Sanctum Virum existimasse, volatilibus vesci non æque esse prohibitum, quia a S. Benedicto nominatim non rejiciuntur. Si quis olerum folia aut legumi-

n. 31.

Reg. c. 40.

guminum pauca grana neglexisset, ei pœnitentiam injungebat. Tanta erat pau pertatis cura. Sæculum IX. A. C. 807.

Cum jam ipsius Monachi plusquam trecenti numero essent, claustrum extrui jussit centum cubitos longum & latum viginti, quo postea plus quam Monachi mille continebantur. In diversis etiam locis Cellulas seu parva Monasteria condidit, quibus suos præpositos dabat. Hæc postmodum Prioratus appellata.

§. XXXVIII.

Benedictus Monasteriorum Reformator.

Ceterum quidam Episcopi tanti viri fama permoti instantissime postularunt, ut sibi Monachos mitteret, quorum exemplum Novitii alii sequerentur. Ita e suis viginti delectos Leidrado Episcopo Lugdunensi misit, Monasterium Insulæ Barbaræ restauraturos. Huic Congregationi nempe Fratribus Lugdunensibus scripsit aliquando Alcuinus, ad perseverandum excitans, & præmuniens adversus errores ex Hispania allatos, videlicet adversus supra memoratam Adoptionem Felicis Urgellitani & Baptismum una immersione conferendum. Illos quoque damnabat, qui ad panem Evchariſtiæ salem adhibebant. *c.* 36. *epist.* 69. 70.

Sæculum IX. A. C. 807.

Ipse Alcuinus, cum tanta de Benedicto referrentur, eidem amicitiæ sinceræ necessitudine junctus est, & Epistolas ad eum dedit, eo numero, ut in volumen separatum excreverint. Viginti Monachos ab eo sibi mitti impetravit, qui Abbatiam Cormericanam fundarunt. Theodulfus quoque Episcopus Aurelianensis a Benedicto Anianensi petiit sibi mitti Monachos, quo Monasterium Micience seu S. Maximini, tempore bellorum Pipini Regis contra Gaferium Ducem Aquitaniæ gestorum destructum, e ruderibus excitarent. Monachi nulli ibi supererant; sed eorum cellas occupabant viri sæculares aut mulieres, aut in stabula equorum canumve fuerant conversa. Igitur Theodulfus hoc Monasterium restauraturus, Bona ab aliis usurpata repetiit, de suis addidit, & missi a Benedicto Monachi illic sensim magnum Fratrum numerum congregarunt.

Mirac. 6. Maxim. c. 3.

Theod carm. lib. 2.

Ad illud tempus, quo Monasteria reformabantur, forte referendi sunt complures Articuli, quos Imperator Carolus Theodonis villæ año octingentesimo quinto edidit. In iis præcipitur, ut qui ad Monasterium veniunt, primo ut Novitii probentur, & deinde in illa Domo maneant, ut Regulam plene addiscant, priusquam foris ad obeunda munera adhibeantur. Qui mundum relinquunt, ne servire Regi

to. 1. p. 421. c. 13. 7. 10.

Sæculum IX. A. C. 807.

gi cogantur, saltem deinde bona fide Deo serviant, & qui Deo se consecrant, alterutram eligant professionem, ut inter Clericos secundum Canones vivant, vel Monachi Regulam sequantur. c. 8. c. 9.

Puellis sacrum velamen non detur, priusquam ad illam ætatem pervenerint, qua satis capiant, quid faciant, & in Novitiatu probentur. c. 14.

Nimium magnus Servorum utriusque sexus numerus in Monasteriis non suscipiatur, ne pagi reddantur deserti. c. 11.

Congregationes non sint majores, quam ut eas quilibet præpositus suis consiliis regere possit. c. 12.

Laici de interioribus Monasterii non decernant. c. 15.

§. XXXIX.

Monasterium S. Guilielmi de Deserto.

vit. tom. 5. Act Ben. p. 73. Boll. 28. Maj. tom. 17. p. 809.

Anianensium Colonia reliquis illustrior fuit Monasterium Gellonense, fundatum munificentia Wilhelmi Ducis Aquitaniæ, quo ipse se recepit. Is e primis Gentis Francorum stirpibus editus, Patre Theodorico Comite & Aldana Matre, quam Caroli Martelli filiam fuisse ferunt, liberalibus Disciplinis, Philosophia, sacris Litteris, illisque artibus, quibus nobiles adolescentes corpus ad bellum durare solent, instructus Regi Carolo traditur, ad familiaria obsequia Principis lateri semper hæsurus. Ceterum

Sæculum IX. A. C. 807.

ea fuit juvenis prudentia, ut æmulorum invidiam declinans magni fieret ab omnibus. Cum igitur grandi esset statura, & specie haud vulgari, quibus accedebat ingens fortitudinis opinio, præcipuum ei in Regno suo munus obtulit Rex Carolus, & Titulo Ducis Aquitaniæ decoratum præfecit exercitui, quo irruentes Saracenos depelleret. Wilhelmus Barbaros Araussione ejectos, repetitis cladibus attrivit. Nec exinde Francorum Imperii fines lacessere ausi.

Tum Aquitania labore suo pacata, malis, quæ bellum semper secum trahere solet, reparandis totus incubuit. Dies noctesque publicis curis dabat, quarum prima fuit efficere, ne leges a quoquam contemnerentur. Litigantibus jus dicebat, tuebatur inopes & imbecillos, Optimates coercebat, ne potestate sua abuti, & subditos opprimere possent. Curam singularem virorum Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum gerebat. Presbyteros maximo prosequebatur honore, & venientibus assurgebat. Singulis diebus per Sacerdotum manus Deo ad altare munera offerebat. Nemo ipso largius eleemosynas pauperibus dabat, in omnia etiam Monasteria munificus, præsertim vero illis suum indulgebat præsidium, quæ Rex Carolus vel fundaverat, vel re-

para-

paraverat, iisdemque agros & census con- Sæculum IX.
ferebat. A. C. 807.

Sed novum Monasterium fundare Wilhelmus meditabatur, & quærens locum invenit, ut sibi videbatur, opportunum in asperrimis montibus territorii Lutevensis, qui ex hac civitate Montempessulum pergentibus in media via occurrunt. Vocabatur locus ille vallis Gelonica, † & quamvis esset deserta, ju- † Val. Gelon
cunda tamen erat & commoda. In ea igitur omnia ædificia Monachis necessaria extruxit, Oratorium, Refectorium, Dormitorium, cubicula infirmorum, cellas Novitiorum, Hospitium, Nosocomium pro pauperibus, furnum, pistrinam, & molendinum. Ipse posuit pri- Monasterium
mum lapidem Ecclesiæ, quæ Salvatori S. Salvatoris.
dedicata est. Tum maxima jam ædificiorum parte perfecta advocavit Mona- *vit. n. 10.*
chos Anianenses, nam non plus una leu- *v. Ben. n. 42.*
ca aberant, quorum Abbatem amicum colebat, & arbitrum conscientiæ venerabatur. Novello Monasterio latifundia cum maximo servorum numero, greges pecorum, pretiosas vestes, & ingentem auri argentique vim contulit. Ho- *to. 5. act. p. 8*
dieque supereſt hujus Fundationis monumentum Die Dominica, decima quarta Februarii, Caroli regnantis in Gothia anno trigesimo quarto, Imperatoris quar- *Coint. an.*
to 804. *n.* 44.

Sæculum IX. A. C. 807.

to, seu salutis octingentesimo quarto datum.

vit. Villel. 2.

Guilielmo Duci duæ erant Sorores Albana & Bertana, quæ Virginitatem suam Deo consecrare cupientes, flexis genibus inter largas lacrymas rogarunt, ut se in nova sua Ecclesia tot aliis oblationibus adderet, & Deo donaret. Fecit ille, quod rogabatur. Rarum exemplum! quod fœminæ adultæ & sui arbitræ alterius voluntate Deo offerri voluerint. Duæ Sanctæ Virgines parvam congregationem collegerunt, cujus Ecclesia S. Bartholomæo dedicata, hodieque viginti a majore Monasterio passibus distans visitur.

Dux Guilielmus supremum felicitatis terrenæ apicem consecutus videri poterat. Dignitatibus auctus & divitiis, habens plures liberos, & uxorem, quæ ipsum affectu tenerrimo amabat, Principi suo carus, honoratus ab omnibus, quiete sibi patriæque suis victoriis parta fruebatur. At Deum diligenti voluptates & gloria hujus Sæculi non sapiebant. Stimulabat generosam mentem Sororum exemplum, pudebatque virum a fœminis animi fortitudine vinci. Monachis Gellonensibus simplicem & jucundam vitam sancte invidebat, jamque sibimet ipsi molestus erat. In hac fluctuatione cum eum Carolus gravis negotii causa

ad

ad Regiam vocaſſet, & venientem hila- Sæculum IX.
riter & peramanter excepiſſet, præſer- A. C. 807.
tim vero propinqui ob ejus præſentiam maximæ lætitiæ ſigna ederent, a propoſito tamen non dimotus, ſed multo magis in eo confirmatus eſt. Sed nolens inſcio Rege ſibi amico abire, licentiam petiit, quam denegare Carolus non potuit, nec lacrymas cohibere. Cumque magnis muneribus diſcedentem cumulare pararet, Dux nihil aliud accepturum ſe edixit, quam Veræ Crucis particu- *Sup. n. 22.*
lam, a Zacharia Presbytero anno octingenteſimo allatam & a Patriarcha Jeroſolymitano miſſam. Huic Imperator quasdam alias Reliquias addidit. Duci Aquitaniæ durum quoque certamen fuit cum ſua familia, quæ cariſſimum Patrem, Dominum, Conjugem, ſibi retinere nitebatur; ſed tandem relicta Aula & Francia per Arverniam commeans in Aquitaniam rediturus Brivatam venit, ibique arma ſua S. Juliano Militi & Martyri conſecravit.

Ubi Guilielmus ad Monaſterium Gellonenſe pervenit, ingreſſus eſt nudis pedibus, & cilicio ſub pretioſis veſtibus latente indutus. Eccleſiæ obtulit Reliquias, quas attulerat, & permulta alia ſummi pretii dona, libros, calices aureos & argenteos, veſtes aureas & ſericas, eaque ſua manu Altari S. Salvatoris, &

Sæculum IX. A. C. 807.

ceteris, nam singulis aris numero quinque suas oblationes donavit, imposuit. Denique se ipsum in Capitulo obtulit, rogans fratres, ut se in suam Societatem reciperent, secundum Regulam S. Benedicti mores suos conversurum. Monachi ejus postulationi annuentes omnia ad eum in Festo S. Petri 29. Junii anno 806. recipiendum præpararunt, nam quamvis illius temporis more Habitus Monasticus demum post expletum Tyrocinii annum Novitiis daretur, ipse tamen statim eundem accepit, & barbam capillosque resciſſos Deo (ita ferebat antiquissima consuetudo) obtulit. Ex illa die, olim Dux Aquitaniæ, in Monasterio paupertatem & obedientiam ceu fratrum minimus servavit.

Monasterii ædificia necdum perfecta extrui, & excisa rupe viam parari curavit, qua facilius eo perveniretur. Hortos excolere cœpit, plantavit vineas, oleas, aliasque frugiferas arbores intulit, in quo molimine a duobus filiis Bernardo & Gaucelino atque a vicinis Comitibus juvabatur. Ipse sæpius coram Abbate & Fratribus, positis poplitibus rogabat, ut pristinæ ipsius Dignitatis non recordarentur, sed ea, quæ ad humilitatem conservandam faciunt, sibi præciperent, & vilia quæque injungerent. Et dicta factis implens in culina ministrabat, a-

quam

quam & ligna comportabat, focum excitabat, coquebat olera & legumina, ad mensam sedentibus serviebat, vasa purgabat, vir, cujus mensæ ante breve tempus famulorum agmen epulas inferebat lautissimas. Molendinum quoque & pistrina ejus curæ commissa. Cumque aliqua die tempus coquendi panem instaret, & furno calido suis manibus ligna amovit, & carbones suo scapulari immissos extulit, quia instrumenta necessaria sub manibus non erant. Nec tamen inde vel ipse vel ipsius vestimentum aliquatenus læsum est, quod prodigiis accensuerunt. Exinde vero Guilielmus ab his operibus servilibus amotus orationi & contemplationi liberrime vacavit. Coram Altaribus centies in die genuflectebat, & toties noctu. Sæpe in gelidam aquam hyemali tempore se immergebat, ut animum ad orandum, & ad recipiendam Sacram Communionem præpararet. Quandoque ante Sacram Communionem flagellis castigari volebat, & in cella secreta a fratre fidissimo virgis cædebatur ad refricandam Passionis Domini Nostri memoriam. Sæculum IX. A. C. 807.

Hunc in modum septem annis in Monasterio vitam produxit, & postquam mortem suam instare Carolo Imperatori nunciari jussisset, vigesima octava Maji, & anno, ut credunt, octingentesimo duo-

Sæculum IX. A. C. 807.

duodecimo animam Deo reddidit. Monasterium Gellonense ab eo nomen accepit, & jam a longo tempore S. Guilielmi seu Wilhelmi de deserto appellatur. In aliquibus Ecclesiæ ejus memoria die, qua defunctus est, celebratur.

Boll. tom. 17. p. 810.

§. XL.

Monasteria in Aquitania.

Astron. Duchêne to. 2. p. 293.

Ludovicus Caroli Imperatoris filius, natu minimus, Rex Aquitaniæ in Regno suo, ad reducendam Disciplinam Clericalem & Monasticam, egregiam navavit operam.

Sub Principibus superiorum temporum Clerici totius Regni Aquitaniæ, quod a Ligeri nobili fluvio usque ad Pyrenæos extenditur, minus Divino Officio, quam illis artibus, quæ militantibus necessariæ sunt, incumbebant, nam seu equitandum seu tela mittenda, par Clericorum ac militum erat peritia.

Ludovicus vero undique Magistros advocavit, qui Clericos cantum Ecclesiasticum, & litteras Divinas humanasque edocerent; cujus rei successus spem omnem superavit. Propensissimo in Monachos erat animo; & etiam propinqui sui Carolomanni exemplum secutus ipse cucullum induisset, si hanc a Rege Carolo parente suo impetrare potuisset licentiam. Inter Monasteria permulta quæ

v. Coint. ann. 812. n. 29. 30. &c.

quæ a fundamentis erexit, vel reparavit viginti sex numerantur, suntque ex illis notissima S. Filiberti seu Herense, † Carrofense, S. Maxentii, Nobiliacense (hæc quatuor sunt in Diœcesi Pictaviensi) & S. Radegundis seu potius S. Crucis in ipsa Civitate. Conchense in Diœcesi Rutenensi, Menatense, & Magnus locus † apud Arvernos, Marciliacense apud Cadurcos, S. Chaffori Anicii Velaûnorum, Saloniacense apud Limovicenses, Grassense seu Urbionense in Diœcesi Carcassonensi, & tandem Monasterium Anianense. Horum Monasteriorum pleraque originem suam Carolo Imperatori in acceptis referunt, & credibile est, Ludovicum filium tum mandatis tum consiliis Parentis morem gessisse. Ludovici exemplo animati Episcopi & multi Laici Monasteria collapsa erigebant, aut nova fundabant.

Sæculum IX. A.C. 807.

† Noirmoutier.

† Manlieu.

Rex Ludovicus S. Benedictum Anianensem sibi carissimum adversus Reformationis adversarios tuebatur. Salutaria sibi suadentem auscultabat, muneribus cumulabat, ejusque opera ad multa Monasteria reparanda utebatur. Ludovico jubente Benedictus Monachos duodecim ad Monasterium Menatense in Arvernia misit, qui tot alios ad eandem Disciplinam pertraxerunt, ut post breve tempus Fratres ibi ferme sexaginta numera-

vit. Ben. n. 43

Sæculum IX. A. C. 807.

merarentur. Item viginti Monachos misit in Monasterium S. Sabini seu Tarbellense in territorio Pictaviensi, & quadraginta alios ad Monasterium Mascicense in Biturigibus. Omnia hæc Monasteria Rex ei concessit, ut consuleret Monasterio Anianensi quod ob sterile solum tantam hominum multitudinem alere non poterat. Benedictus vero singulis Abbatem dabat, supremo in omnia regimine sibi reservato.

§. XLI.

Schisma Constantinopolitanum.

Sup. n. 17. *Sup. n.* 19. *Lib. Synod. to.* 7. *Conc. p.* 1192. *vit. Th. Stud. n.* 43.

Interea Ecclesia Constantinopolitana turbis agitabatur. Tarasius Patriarcha, ut supra memoravimus, deposuerat Josephum Presbyterum, quod is Constantino Imperatori illicito connubio Theodotam sibi jungenti Benedictionem nuptialem fuisset impertitus; nunc vero, cum Josephus apud Imperatorem Nicephorum, eo quod pacti fœderis inter ipsum & Bardanem Turcam, qui nomen Imperatoris assumpserat, Auctor fuisset, summam gratiam iniisset, Nicephorus animo constituerat efficere, ut Josephus muneri suo restitueretur. Nicephoro Patriarcha id recusante & negante, se unquam Antecessoris sui Decretum abrogaturum, Imperator dicebat; rem novam non esse, Sacerdotem ab altero depositum

positum ab altero restitui, & opus esse magnæ Charitatis, veniam concedere. Tandem cum instare non cessaret, credidit Patriarcha, dandum esse aliquid Imperatori, veritus, ne in facinus apertum adversus Ecclesiam prorumperet. Ergo convocata Synodo Episcoporum ferme quindecim, in ea, seu conniventia seu dispensatio id fuerit, decrevit ut Josephus denuo Sacerdotali Officio fungeretur. Quod anno octingentesimo sexto factum conjicitur. Sæculum IX. A. C. 807.

S. Theodorus Studita in Synodo præsens huic Decreto se opposuit, quemadmodum olim Constantini nuptiis adversatus fuerat. Idque altera die Epistola suo & S. Platonis nomine ad Nicephorum Patriarcham data professus est. In ea dicunt: *Orthodoxi sumus in omnibus. Rejicimus omnes Hæreses, & omnia Concilia Universalia atque particularia approbata eorumque Canones recipimus. Dispensationes quoque recipimus legitimas, quibus Viri Sancti pro re nata usi sunt. Hæc ipsa Epistola, qua tibi Salutem dicimus, satis demonstrat, quod dispensatione utamur.* Volunt dicere, quod si secundum rigorem juris agerent, nullum sibi cum Patriarcha commercium, ne quidem litterarum intercedere oporteret. Deinde prosequuntur in hunc modum: *Ita etiam Patriarcham Ante-*

Theo. Stud. l. 1. ep. 24. 25. 30.

lib. 1. ep. 30.

Sup. n. 7.

Sæculum IX. A. C. 807.

Anteceſſorem tuum, cum ab exilio redi-remus, dirempto illicito conjugio, & Oeconomo depoſito, recepimus. Nolebamus cum ipſo communicare, quamdiu Principi adultero Cõmunionem præberet, quamvis diceret, ſe ex conniventia id facere, & potius paſſurum fuiſſe, ut ſibi manus reſecarentur, quam ut nuptiis inceſtis benediceret. Hac conditione cum ipſo usque dum quieſceret in Domino communicavimus. Tuam quoque Sanctitatem, Patriarcham noſtrum venerati ſumus, & quotidie tui memoriam in Sancto Sacrificio agimus.

De nulla ergo re inter nos diſceptatio eſt, niſi de Oeconomo, ex pluribus cauſis ſecundum Canones depoſito, & quidem de Viro, qui Sacris iterum operari incipit, poſtquam annis novem ſuſpenſus fuit. Et hæc non occulte, ſic enim res diſſimulari poſſet, quia nullatenus participes eſſemus; ſed volunt, ut continuo tecum Antiſtite tantæ Dignitatis & meriti, in hac Eccleſia, pleniſſimo nempe Sacerdotii fonte, operetur. Id eſt in Officio ſolemni Eccleſiæ Cathedralis aderat. *Æquum igitur erat, ne ſcandalum poneretur populo Dei, præſertim illis qui ex noſtro Ordine ſunt* (ſcilicet Monachis) *ut Sacerdotio privatus eſſet, aut ſaltem, ut nihil contra nos illegitime ageretur. Ad hoc dicendum non impellit nos timor, ſed commiſe-*

miseratio qua in populum tangimur. Nos enim adjuvante Dei Gratia omnia sustinebimus. Sed edicimus tibi coram JEsu Christo, & Angelis, quod funesti Schismatis in Ecclesia nostra causa sis. Possunt quidem homines potentia sua abuti, sed velint, nolint, Canonum Auctoritati subjecti sunt.

Sæculum IX. A. C. 807.

Postquam hæc in ista Epistola declarasset, Theodorus cum omnibus Monachis suis a Communione Patriarchæ recessit, & magnam populi partem, videlicet probissimos quosque, secum traxit. Verum initio plerique hanc Theodori separationem ignorabant, quam, ne in discretionis leges peccaret, quamdiu potuit, secretam tenuit. Ita per integrum biennium res hæc in vulgus non emanavit. Cum enim non esset Episcopus, satis se facere existimabat, si se ipsum servaret innoxium, & hujus mali particeps non fieret. At tandem Logotheta Dromi id est Præfectus vehiculis, cujus Officium in aula erat admodum honorificum, ad Josephum Archiepiscopum Thessalonicensem Theodori fratrem dixit: *Quare tanto tempore & tot Festis solemnibus nobiscum & cum Patriarcha non communicastis? libere, quod res est, edicite.* Archiepiscopus respondit: *Res nobis non est adversus Imperatores, aut Patriarcham, sed adversus Oeconomum,*

vit. Th. n. 45. Theoph. an. 7. p. 409.

Theod. 1. ep. 25.

Th. lib. 1. ep. 31.

Sæculum IX. A. C. 807.

mum, ſecundum Canones depoſitum. Imperatores erant Nicephorus & filius ejus Stauratius, jubente Patre menſe Dec. anno octingenteſimo tertio coronatus. Tum Logotheta: *Imperatores veſtra Communione non egent nec Theſſalonica nec alibi.* Et tunc quidem nihil amplius verborum addiderunt, ſed hoc arcano Conſtantinopoli vulgato multi Theodori ſententiam amplexi ſunt, etiamſi id publice profiteri non auderent.

Theoph. an. 2. p. 405.

§. XLII.

Epiſtola S. Theodori Studitæ.

1. ep. 21.

Sanctus Plato, vel potius ſub ejus nomine S. Theodorus data ad Simeonem Monachum, affinitate Imperatorem contingentem, ipſorum amicum, & tunc ob illud, quod Joſephus Archiepiſcopus declaraverat, afflictiſſimum, Epiſtola rogat, ut mitiget animum Imperatoris, *Cujus nobis*, inquit, *maxima eſt veneratio, & cujus Communionem neutiquam fugimus. Contra illum ſolum pugnamus, qui adulterium approbavit, quem JEſus Chriſtus ipſe depoſuit per duos, ut alios omittam, Canones.* *In uno præcipitur, ne Presbyter in nuptiis bigami epuletur* (adulteri enim, ſcribere non eſt auſus Cæſar non) *quanto magis probibuiſſet ſceleſtis nuptiis benedicere? In ſecundo Canone ſtatui-*

Neocæſ. can. 7. Sup. L. X. §. 17. Cod. Can. Afr. can. 79.

statuitur, ne depositus ob crimen, nisi id intra annum obtineat, amplius recipi possit. Hic vero ante annos novem depositus est. Hæc sunt, Pater! quæ cor nostrum angunt, & timorem incutiunt. Hanc ipsam ob causam, quod cum ipso & cum Patriarcha defuncto communicare noluerimus, custodiæ dati sumus, ego in illo loco, in quo jam degis, & Abbas noster, cæterique Thessalonicæ. Nec post reditum nostrum Patriarchæ temere reconciliati sumus, sed postquam nos recte fecisse fassus est. Si ergo regnante adulterio, per Dei auxilium minime dissimulavimus, quomodo nunc pio dominante Imperatore veritatem prodemus, & animas nostras in periculum extremum conjiciemus? Imo omnia & ipsam mortem sustinere parati sumus; at cum reo non communicabimus. Sit ille, nostra pace, œconomus. Sed cur indigne Sacris operatur, postquam desiit esse Presbyter? Huc usque siluimus, dissimulavimus rem, ex quo restitutus fuit, per annos duos, ne pacem turbare videremur. Et infra: *Si ei Sacra interdicere non placet, saltem liceat nobis manere in eodem statu, in quo per decem annos fuimus. Nam de ceteris, qui cum ipso communicant Episcopi, Presbyteri, Abbates, etsi innumeri essent, nihil mirandum, quando-*

Sæculum IX. A. C. 807.

Sup. n. 3.

Sæculum IX. A.C. 808.

quidem jam pridem cum adultero (*) *consenserunt, nec contra mutire ausi sunt.*

Ep. 22. *Matth.* 19. 9. *ad Amphil.*

In alia ad eundem Simeonem Epistola dicit: *JEsus Christus adulterii reum pronunciat, qui legitimam uxorem dimittit, atque hoc crimen S. Basilio judice homicidio & nefandis flagitiis æquiparatur. Iste nihilominus Principem adulterum ad Altare deducens coram omni populo dicere ausus est: Conjunge, Domine, Servum tuum & Famulam tuam in una carne, secundum placitum tuum.*

Platonis Epistolæ.

Et reliquas Benedictionis nuptialis preces, quas hodieque in Euchologio Græcorum legimus. Deinde subjungit: *Peccatum cogitatu horrendum! Quanta indignatio Spiritus Sancti in tali blasphemia! cur talia proferentem debiscens terra, quemadmodum olim Dathan & Abiron, non subito absorpsit? Et tamen cum istum oportuisset deflere tantum flagitium*

Euch. fol. 69. 70.

usque

(*) Diese Stelle giebt unser Protestant auf seiner 488. Seite also: Als Bischöffe, Priester, und Aebte, so muß man sich darüber nicht wundern. Sie sind eben so wie er Ehebrecher, und keiner unter ihnen untersteht sich ein Wort davon zu sagen.

Dieser Uebersetzer verdienet mit seiner Arbeit etwas anders als das Brod. Tausend andere grobe Böcke werden verschwiegen.

usque ad tempus mortis suæ, & posteris esse execrabile exemplum, jam in Ecclesiam rediit, & publice Sacerdotio fungitur, non secus ac si non facinus atrox sed rem laudabilem patrasset. Nec ideo forte fallatur, quod idem adulter fuerit & Imperator; maximi enim & infimi Legi Dei subduntur. Vel sanctior videri vult Sancto Joanne Baptista, eumque erroris accusare, quod sine causa Herodem arguerit, & stulte se ipsum morti tradiderit. Si vero factum inde excusare vult, quod illud sibi a Tarasio Patriarcha mandatum fuerit, obsecro! cur non ipse Tarasius nupturis Principibus benedixit? nam Patriarchæ fuisset Imperatoribus conjugium ineuntibus benedicere, non simplicis Sacerdotis, quod antea nunquam factum. At nec mihi nec multis aliis fidem facit, si dicat, sibi illud fuisse demandatum. Si objiciat, Sacra a Tarasio sibi non fuisse interdicta; cur ergo novem annis ad aram non fecit? Cur dicit, se in Concilio fuisse absolutum? absolvi non debet, qui nulla Censura ligatur. Sæculum IX, A. C. 808.

Interim Theodorus imminentem sibi suisque persecutionem haud ex vano ominatus datis ad Monachos de *Saccudion* litteris, quæ inter Josephum Archiepiscopum & Logothetam acta fuissent, docet, & subjungit: *Exinde dies trede-* *I. Ep. 31.*

Sæculum IX. A. C. 808.

cim effluxerunt, quibus nihil ultra responsum nec interrogatum. Sed interim has litteras, quas adjungimus, ad Dominum Simeonem dedimus. Jam res hæc ad aures Patriarchæ, & plurimorum de Civitate delata est. Permulti commiseratione nostri tanguntur, & in eadem consentiunt nobis sententia, sed sunt cultores nocturni, qui in lucem prodire non audent. Explicat deinde, quemadmodum superius in Epistolis ad Simeonem, causas ob quas a Communione abstineant, hortatur Monachos ad virtutem constantiæ, & admonet, ipsorum esse, Deum pro Imperatore, pro Patriarcha, & pro pace Ecclesiæ exorare.

Ep. 24. Cum quidam dicerent, oportuisse, ut Theodorus œconomi Restitutionem in Sacerdotium saltem ex prudentia & conniventia dissimularet, data ad Theoctistum Officiorum Magistrum Epistola explicat, quousque in materia Religionis conniventia extendi possit. *Silemus*, inquit, *quamdiu licuit. Nunc quoque id solum petimus: Vir depositus a Sacris amoveatur, & statim cum Patriarcha communicabimus. Sin minus, ab ipsius Communione abstinebimus sicut antea, soli Deo vindictam relinquentes tanti criminis. Si plura concederemus, non amplius conniventia, sed contemptus Canonum dici posset. Quippe pru-*

dentiæ

Sæculum IX. A. C. 808.

dentiæ Regulæ poſcunt, quod minime ignoras, ut Leges receptæ nullatenus violentur, ſed nihilominus pro nata occaſione & poſtulante æquitate aliquid relaxetur, quo facilius ad finem tuum pervenias, ſecus ſi omnia ſummo rigore exigas, totum perditurus. Hanc moderationem nos docuit Sanctus Paulus, quando ſe ritu Judæorum mundavit, & Timotheum circumcidit, & S. Baſilius, quando Oblationem Valentis recepit, & aliquamdiu omiſit Spiritum Sanctum Deum ſimpliciter nominare. Neuter tamen in hac diſſimulatione perſeveravit, imo palam profeſſi ſunt, ſe potius in mortem ire paratos. Qui hanc Regulam ſequuntur, & imitantur Navarchum tempore procellæ gubernaculum pauliſper avertentem, nunquam errant.

Act. 16. 5. *Sup. Lib.* XVI. §. 24. 48.

Dicitis, S. Chryſoſtomum exemiſſe ſe a præcepto Canonis Apoſtolorum contra Ordinationes Simoniacas, & uſum eſſe indulgentia in Epiſcopos ſex a ſe depoſitos. Imo S. Chryſoſtomus ab hoc præcepto revera non diſceſſit, quippe illis omne munus Sacerdotale interdixit, & nihil aliud conceſſit, quam ut in Sanctuario communicarent. Hic longe aliud agitur. Qui adulteri nuptiis benedixit, ſacrificat, ac ſi nullum facinus perpetraſſet, & publice ſacrificat, ut aliis Presbyteris ejus vita exemplo ſit. Quid vero

Sup. Lib. XXI. §. 6. *Pall. p.* 136.

SS. Theodorus & Plato.

Socr. IV. hiſt. c. 31. *& ad ibi. Valeſ.*

Sæculum IX. A. C. 808.

ad nos Valentiniani bigamia paganâ? num aliquis ei Benedictionem nuptialem impertitus est? Quis SS. Patrum Valentiniani factum laudavit? Theodorus præsumit hoc factum verum esse, quia Socrati Historiæ Scriptori fidem adhibet; sed aliqui Viri eruditi hac de re dubitant. Tum prosequitur in hunc modum: *Alii quoque, quibus voluntas propria potior legibus est, similia attentarunt, quæ tamen nec Ecclesiæ nec Legibus nocent. Nemo miretur, quindecim circiter Episcopos errare potuisse; non quælibet Congregatio Episcoporum & Presbyterorum licet frequentissima eo ipso legitimum Concilium est. Convenire debent in Nomine Domini, in pace, & ad Canones confirmandos. Potestatem ligandi & solvendi pro suo arbitrio non habent, sed secundum præscriptum legum, quas transgrediendi potestatem nullam habent; nescio vero, an aliqua sint a Legibus necdum definita. Si potestas hæc arbitraria Episcopis detur, nihil prodest Evangelium & vani sunt Canones. Unusquisque tempore Pontificatus sui novus erit Evangelista, novus Apostolus, novus Legislator. Sed absit! ab Apostolo præcipimur nihil docere, nisi quod accepimus.*

Gal. 1. 9.

Quæ Constantinopoli acciderant, Romam delata & ejusmodi coloribus depicta

depicta sunt, ut Theodori facta ibi vitu- Sæculum IX.
perio digna viderentur. Cum itaque A. C. 808.
Basilius Abbas ad S. Sabam Romæ, Theodoro veteri amicitia junctus, ipsi hac de re acribus verbis scripsisset, Theodorus datis responsoriis queritur, quod non cognita causa se damnaret, & culpam Schismatis a se amolitur iisdem argumentis, quæ in aliis ipsius Epistolis occurrunt. In Papam satis libere stylum movet, quo non ratio sed dolor impellit. (*) Et subjungit: *Si vero dicturi*

(*) Ipsius verba relata a Cardinali Baronio hæc sunt: *De Papa autem quid ad nos, hoc agat, an illud? qui propriis (ignosce) captus est alis, ut dicitur. Cum enim de manifestis Sacerdotii delictis nihil curare dixit, non qualemcunque Sacerdotem, sed Caput Ecclesiæ ita derisit, & aspernatus est, ut vel audire nos pudeat. Quod si id verum est, o Hierarchiam! ceterum prudenter & sobrie quæso, moveamus linguam adversus Capita, & ne adeo acriter pronuntiemus.*

Hic iterum P. Balduinus incusare Fleurium, & dicere, prudentius facturum fuisse, si ea memorasset, quæ idem S. Theodorus in Epistola ad ipsum S. Pont. scripsit. Atqui memoravit sequente Num. XLVII. *Quandoquidem Petro Magno Christus Deus Pastoralis etiam Principatus contulit Dignitatem &c.* quod P. Balduinus dissimulat. Dicit etiam idem Ceasor ad

hunc

Sæculum IX. A. C. 808.

sunt homines, ut scribis, nos, cum ab hoc Patriarchatu excidissemus, ut animum a maritudine exoneraremus, ad aliud argumentum versos fuisse, ne curet reverentia tua. Novit Deus intima cordis, & coram formidando ipsius tribunali omnes stabimus. Deinde profitetur se Patriarcham & magni facere, & ut par est venerari. Ultimo ob prædivitem Eulogiam sibi missam Basilio gratias dicit.

Theodori Adversariis dicentibus, etsi Oeconomo Sacra interdicerentur, ipsum tamen Patriarchæ bellum moturum, quod cum Oeconomo, deposito, communicasset, & haud dubie etiam Patriarchæ defuncti manes insectaturum, ut ab

I. Ep. 32. ista suspicione se purgaret Theodorus, Nicolao Chartulario, qui sæpius antea dissentientium animos conciliare conatus

---

hunc locum, quod scire percupiat, quid tandem Fleurius sub nomine Sacræ Sedis intelligat. Huic quæstioni ego ex Fleurii principiis satisfaciam. Nimirum sub nomine Sacræ Sedis intelligitur Romanus Pontifex cum Reflexione ad Prærogativam, a Christo Domino S. Petro & Successoribus ejus collatam, in quo conceptu Fleurius non putat definiri, quomodo S. Pontifex sit supra Concilium, aut quomodo sit infallibilis. Illud vero inde contra Protestantes demonstratur, JEsum Christum Ecclesiam visibilem & Hierarchicam fundasse, quæ alia quam Romano-Catholica esse nequit.

tus fuerat, scripsit in hunc modum: *Interdicatur Oeconomo Officium Sacerdotale, & Officium Divinum cum Patriarcha, si jusserit, quilibet ordine nostro celebrabimus. Ut nullus dubitandi locus remaneat, quin hæc sincera mente promittamus, libellum tradimus, & consentimus, ut nisi Oeconomo suspenso statim ad Communionem Patriarchæ redeamus, talis quæcunque placuerit sententia in nos feratur, & de hac re amplius loqui nobis non liceat. Nec Angelus nec homo ad id nos compellit, sed Deus ipse vestra usus opera nos excitat.* In hac Epistola post restitutum œconomum dicit annos tres effluxisse; unde eruitur annus octingentesimus nonus. Sæculum IX. A. C. 809.

§. XLIII.

Concilium contra Platonem & Theodorum convocatum.

Jam anno integro gravis persecutio Platonem & Theodorum urgebat. Nullus erat minarum finis, & sæpe ad se vocatis Imperator instabat, ut repugnantes in suam adduceret sententiam. Tandem misit cohortem militum, quibus subito Monasterium Studitarum cingentibus nemo pedem efferre audebat. In illa trepidatione Monasterium intrarunt Episcopi Nicenus & Chrysopolitanus Platoni & Theodoro collocuturi, & persuasuri *vit. Plat. c. 6. n. 36. ep. 48. lib. 1. ad Ath.*

Sæculum IX. A. C. 809.

suasuri, ut Josephum Oeconomum reciperent, qui sæpe memoratis nuptiis jubente Tarasio Patriarcha benedixisset. *Tarasius enim*, ajebant, *Vir Sanctus erat sicut S. Chrysostomus, ejusque dispensationem recipere tenemini.* Eadem ambobus, ad S. Sergium deinde custodiæ traditis, iterum suggesserunt.

Theoph. p. 409.

Cum Monachorum constantia vinci non posset, Imperator Concilium mense Januario, anno Regni sui septimo, Indictione secunda, nempe anno octingentesimo nono, convocari jussit. Frequentissimus fuit Conventus multis Episcopis, Abbatibus, virisque, quos præcipuæ in Imperio Dignitates ornabant, præsentibus. Triste vero spectaculum, cum inferretur S. Plato vir canis & insigni pietate spectabilis. Nam, quia incedere pedibus non valebat, aliorum humeris portabatur, trahens uno pede catenam, quam geruli indignantes alter in alterum rejiciebant. Theodorus quoque ludibrio habitus, circumstantium plerisque ingerentibus, nescire virum, quid diceret.

Ep. ad Euprep. to. 7. conc. p. 1192.

In hoc Concilio declaratum; Matrimonium Constantini cum Theodota ex Dispensatione fuisse legitimum, & Anathema contra illos, qui Sanctorum Virorum Dispensationes nollent recipere, pronunciatum.

Impera-

Imperator Platonem, Theodorum, & Josephum Archiepiscopum in Monasterio Agathensi prope Constantinopolim morantes hujus Decreti certos fieri jussit, missis Scutariis, qui indicarent, a Concilio fuisse excommunicatos & depositos. Deinde omnibus tribus in carcerem ad S. Mamantem conjectis, iterum adsunt iidem Scutarii, afferentes Excommunicationis & Depositionis Decretum, quod iterum prælegebant, Sanctis Viris utraque palma aures obstruentibus. Tum singuli in diversas Insulas haud longe Constantinopoli dissitas relegantur, & carceri traduntur.

Sæculum IX. A.C. 809.

ep. 48. Cang. C. P. L. IV. c. 15. p. 180.

vit. Plat. c. 6. n. 37. vit. Theod. c. 48. c. 49. 50. 51.

Nihil intentatum relictum, quo Monachi Studitæ ad abjiciendam Abbatis sui sententiam compellerentur. Primum jubente Imperatore omnes in thermis includuntur. Deinde accersitos ipse interrogat, eorum præcipuis & doctissimis a ceteris avulsis insidiatur, blanditias, promissa, minas adhibet. Tandem in Arcibus, aut in Monasteriis jubet custodiri, ubi a quibusdam Abbatibus pejus quam imperatum erat habebantur. Interim in Civitate Constantinopolitana præcones proclamabant, ne cuiquam istorum Monachorum latibulum concederetur. Fuere enim ex illis aliqui, qui depositio tantisper Monastico & sumpto Sæculari habitu in specu delituerunt, quo

Abba-

Sæculum IX. A.C. 809.

Abbati suo Constantinopoli degenti necessaria obsequia præstarent. Ex his non nulli deprehensi in Prætorio custoditi & ex urbe proscripti.

§. XLIV.

Quando liceat dispensare.

I. ep. 36.

Theodorus datis e carcere suo ad amicos Epistolis eorum animos contra persecutionem firmabat. Una ad Euprepianum eosque, qui cum ipso erant, dirigitur, in qua de Dispensatione disserit, accusatque adversarios suos, quod tam Vetus quam Novum Testamentum oppugnent. Verba ejus sunt hujusmodi: *Lex præcipit: Non mœchaberis. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Eadem Lex Judæo erit & Proselyto. Evangelium prohibet, ne quis etiam videat mulierem ad concupiscendum eam, & condemnat eum, qui solvit mandatum minimum. Isti vero Oeconomiam dicunt & indulgentiam Ecclesiæ salutarem, adulterium, transgressionem maximi mandati, & assumptionem Nominis Dei in vanum, quam Sanctorum Mysteriorum Communio comitatur. Occludamus aures nostras, Fratres mei! ne horrenda blasphemia inficiamur. Quid autem afferunt ad defendendum facinus? Dicere audent, in causis Principum supremorum Evangelium secundum litteræ rigorem non*

Exod. 20. 13. 7. 12. 49. *Matth.* 5. 28. 19.

non esse accipiendum. Quare ergo scriptum est: Judicium durissimum futurum bis, qui præsunt. Et Deum Personam hominis non accipere? An Imperatori alia lex est, & alius Legislator quam subditis ipsius? vel forte Deus est, & nullam legem novit? nisi omnes æqualiter Divinæ Legi submittantur, omnia seditionibus & Anarchia turbabuntur. Princeps adulteriis & Hæresi indulgebit, & vetitum erit subditis Principis exemplum sequi.

Sæculum IX. A. C. 809.

Sap. 6. 6.

Gal. 2. 6.

Et infra: *Ex primo Articulo secundus facile capitur. Illos anathematizare, quibus conjunctio adulterina non probatur, quid est aliud, quam Sanctos damnare? nam inprimis damnatur S. Joannes Baptista, &, horrendum dictu! ipse Sanctorum Dominus, probibens; ne quis cum adulteris portionem suam ponat. Num Imperator major Angelo est, cui S. Paulus anathema dicit, si quid contrarium Evangelio doceat. Vel credunt nos Legi Dei resistere, dum ita dictam ab ipsis œconomiam rejicimus, vel si fatentur, nos legem observare, se ipsos condemnant.* Et rursus: *Quid ad Articulum tertium dicemus? An qui Evangelio superbe adversantur, credendi sunt curare Canones? quamvis & hi afflante Spiritu Sancto editi sint, & his contemptis pereant omnia ad Salutem nostram neces-*

Psal. 49. 18.

Gal. 1. 8.

Canonum Auctoritas.

Sæculum IX. A. C. 809.

necessaria; nam si demantur Canones, nec Sacerdotium, nec Sacrificium, nec alia morbidis animabus remedia suppetunt. (*) *Cur vero inter Canones & Evangelium JEsu Christi discrimen pono? Ipse JEsus Christus dedit claves S. Petro cum potestate ligandi & solvendi, & omnibus Apostolis potestatem remittendi & retinendi peccata.* (**) *Unde sequitur, quod*

Matt. 16. 19.

Joan. 20. 22.

(*) Hinc Protestantium, S. Theodoro Judice, nulla est Ecclesia, quia Canones Ecclesiæ Universalis abrogarunt & contempserunt, alios condendi Auctoritate destituti.

(**) Eximium contra Protestantes ab Oriente testimonium! Nunquam alias evidentius quam in errore de potestate clavium Evangelici, ut se ipsos vocant, ab Evangelio recedere convincuntur. Cum enim dicant, Sacerdotibus non esse collatam potestatem solvendi aut ligandi, sed solummodo Officium peccatoribus denunciandi, quod Deus eos a peccatis absolvat, plane JEsu Christi Verba a sensu litterali & proprio sine ulla necessitate ad sensum alienum detorquent. Nempe hanc a JEsu Christo Ecclesiæ suæ collatam Gratiam contemnunt; namque in quo hodie inter Protestantes hæc Potestas spiritualis resideat? In omnibus, & etiam in fœminis? At hoc dicere ridiculum est. Vel in aliquibus nempe in Viris Ecclesiasticis? Sed nec istud probare possunt, postquam Successionem Episcoporum legitime ordinatorum, unicum & necessarium Jurisdictionis Ecclesiasticæ propagandæ & conservandæ medium abjecerunt.

quod eandem potestatem dederit eorum Successoribus, si modo Apostolorum vestigiis insistant. Hinc Canones S. Basilii aliorumque Sanctorum Virorum eodem modo ac Canones Apostolorum recepti fuere, quia nihil innovantes ipsorum vestigiis inhæserunt.

Sæculum IX. A. C. 809.

In alia Epistola ad Theophilum Abbatem data dicit: *Si quæras ex me, quare hæc tibi non dixerimus ante persecutionem, & quare illo tempore in precibus nostris mentionem de Constantinopolitanis fecerimus? Perpende, tunc Concilium necdum fuisse celebratum, nec Decretum conditum, nec Anathema pronunciatum. Ante hæc vero tutum non erat discedere penitus a prævaricantibus, sed apertam illorum solum Communionem refugere. Congruenti discretione tolerandi erant.*

I. ep. 39. p. 322.

Ut materiam de Dispensatione solide tractaret, Theodorus conscripsit Dissertationem, in qua nihil de suo sed tantum collecta ex Scriptura & Patribus testimonia proferebat. Hanc Josepho Archiepiscopo germano suo misit, rogans, ut examini subjiceret.

I. ep. 43.

Quidam vero Episcopus nomine Athanasius, forte Theodori Discipulus, (quippe eum filium vocat) perlecto illo Tractatu, admiratus est Doctrinam viri, sed postea mutata mente ad Theodorum litteras dedit asserens, ipsius Adversarios

Sæculum IX. A. C. 809.

rios non debere dici Hæreticos, quia non docerent, licitum esse committere adulteria, & sacrilegos esse absolvendos. Theodorus respondit: *Illud quidem apertis verbis non profitentur. Sed nec Gentiles dicunt, adulterium rem esse indifferentem. Nec nos dicimus Adversarios id manifeste affirmasse, sed ipsos nuptias sacrilegas, & quæ inde sequuntur, approbasse, hanc approbationem vocasse Indulgentiam salutarem, refragantibus Anathema dixisse, eosque exilio & carceribus punire. Nam in illa Mœchosynodo sententiam pronunciarunt in hunc modum: Anathema illis, qui Dispensationes Sanctorum non recipiunt! At tunc de sacrilegis nuptiis agebatur. Ergo affirmant, hanc fornicationem Dispensationibus Sanctorum parem esse. Ergo hæ dispensationes contra leges factæ essent. At si impossibile est, ut Sancti contra leges agant, sequitur, Anathemati subjacere, qui Conjunctionem Sacrilegam damnare nolunt.* Et infra:

1. Ep. 48. p. 342.

An non satis profitentur, Præcepta Dei mutationi esse subjecta pro diversitate temporum & adjunctorum? Cujus erit dispensare, an solius Episcopi vel etiam Presbyteri? An in Concilio, vel extra Concilium? An dispensatio solis Imperatoribus concedenda vel etiam aliis? an in solo adulterio vel etiam in aliis flagitiis

gitiis dispensandum? has quæstiones novellis Evangelistis resolvendas relinquo. In eadem Epistola Theodorus illos nominat, qui illa persecutione involuti fuerant. Sæculum IX. A.C. 809.

§. XLV.

Quæ Plato & Theodorus passi fuerint.

Quomodo dici possunt illud non docere, quod suis operibus prædicant? (*) *cur hic in carcere detineor? quare Pater meus Reclusus* (nempe S. Plato) *male affectus, ab omnibus ceteris avulsus, & in locum, ubi nunc degit, conjectus fuit? quare Archiepiscopus, ut ipsi saltem putant, depositus est, in arcta custodia detentus additis mandatis ut ei cibus parcissime præbeatur, & nuper e patria ejectus est in exilium? cur vos ipsi cum fratribus vestris Thessalonicæ custodimini? cur Abbas Theosostus cum Discipulis suis* p. 339.

(*) Nempe volebat S. Theodorus, ut nuptias, & factum Josephi Presbyteri, qui nuptiis benedixerat, damnarent, atque tam Fautores quam ipse faterentur, quod ex pura gratia & conniventia fuisset restitutus. Incertum an tunc saltem S. Viro satisfeciissent, & certe conditionem adjeciisset, ne publice Josephus Sacrificium unquam offerret.

Sæculum IX. A.C. 809.

suis ex eadem Civitate ejectus, & alius Abbas ejusdem loci crudelem in modum virgis cæsus? cur Naucratius & Arsenius, sicut etiam Basilius & Gregorius arctissime includuntur? cur Stephanus celebratæ virtutis Abbas cum quinquaginta Discipulis e suo Monasterio pulsus? cur pius Abbas Antonius Amorii captivus tenetur? cur Æmilianus & fratres ipsius jubente Episcopo Nicomediensi cæsi, modis indignis affecti, & abstracti sunt Monasterio direpto? cur Episcopum Leonem Chersonæ persecuti sunt, & Abbas Antonius cum duobus Sociis carceri datus? cur fratres nostros Liparæ ultra Siciliam sitæ carcer habet? quare Letojus comprehensus, ad Imperatorem missus, & Constantinopoli vinculis datus?

Josepho depositio alius Archiepiscopus Thessalonicæ sufficitur, quo jubente comprehensus est Anastasius, Theosostus Abbas cum septendecim fratribus pulsus, cuidam sancto Monacho Euthymio flagellis ducentæ plagæ inflictæ, & aliæ recentiores taureis iterum ducentæ, quod eum in Sancto Sacrificio tanquam Episcopum commemorare recusaret. Hic Monachus immani crudelitate habitus est in Ecclesia, ubi semivivus relictus. Verum cum vir Charitate Christiana plenus languentem pelle agni recentissime occisi contexisset, salutem attulit. Theodorus

dorus datis ad germanum Archiepiſcopum litteris tanta calamitate preſſum conſolatus eſt. Sæculum IX. A. C. 809.

§. XLVI.

Secundæ Nuptiæ.

Theodorus in Epiſtola ad Naucratium Diſcipulum ſuum agit de ſecundis nuptiis. *Secundo nubere*, inquit, *per Apoſtolum & per ipſum JEſum Chriſtum permittitur, ſed lege non præcipitur, ut docet Gregorius Theologus; nam indulgentia eſt. Atqui ex indulgentia præſumitur fragilitas & actus reprehenſibilis. Quod indicat Apoſtolus, dum dicit: Si ſe non continent, nubant. Incontinentia autem infirmitas eſt. Hinc veteres Patres pœnitentiam injunxerunt bigamis, & in Concilio Laodiceno quidem tempus non præſcribitur, at S. Baſilius præſcribit annum unum, atque tertiis nuptiis, & ultra, annos duos. Unde etiam Concilium Neocæſarienſe prohibet Sacerdotibus, ne ſecundo nubentium conviviis interſint. Itaque dignum & æquum eſt, ut coronetur primum matrimonium, quod proprie legitimum eſt & incontinentiam vincit.* His vocibus utitur Theodorus, quia Græci Benedictionem nuptialem Coronationem appellare ſolebant. *Hanc Coronationem*, inquit, *Sacra Communio comitatur, & Sacerdotes*

1. Cor. 7. 9. ad Amphil. c. 4.

Sup. Lib. XVII. §. 45. can. 7.

Sæculum IX. A. C. 809.

ipsius JEsu Christi exemplum sequentes nuptiali convivio assident. At secundum matrimonium non coronatur, quia nubentes ab infirmitate vincuntur, & Sacra Communio non præbetur, quia Bigami uno duobusve annis ea privandi sunt, non datur Benedictio, quia illa unica est in primis nuptiis. Ergo secundum Scripturam & Patres sequitur, Sacerdotem secundas nuptias non conficere, sed solum contrahentes post impletam pœnitentiam, quando iisdem communicare licet, recipere. Tunc iis quamdam Benedictionis nuptialis speciem tribuit. Si quæras, quomodo ergo cohabitent, respondeo, id fieri vi contractus civilis (*) sicut in Trigamia, vel in Polygamia, hoc enim nomen Patres matrimonio quarto dederunt. Forte etiamnum quæres, si pars una nubentium sit Virgo; an parti Virgini corona super caput, & alteri super humerum, ut dicunt, ponenda sit. Hæc quæstio mihi risu excipienda videtur, nam quo deinde corona in tertiis nuptiis ponenda erit? existimo igitur, partem Virginem merito suo privandam privilegio Virginum, eamque bigamiæ pœnam sponte subire, cum propria voluntate parti alteri non Virgini jungatur.

Inter

(*) Nihilominus Matrimonium Bigamorum est Sacramentum.

Inter Epistolas Theodori in carcere scriptas reperitur quodlibet Monographum, quo amicos suos designabat. Sunt nempe Græci Alphabeti litteræ, quæ viginti quatuor Personas significabant. Alpha S. Platonem, Betha Archiepiscopum Josephum, Gamma Calogerum, Delta Athanasium, & sic de cœteris, indicabant, usque ad Omega, quam litteram loco proprii nominis Theodorus ponere solebat. Visuntur etiam nomina multorum ex illis, ad quos Epistolæ diriguntur, videlicet Athanasii, Nicolai, Arsenii, Basilii, Euprepiani, & illorum de quibus in his Epistolis mentionem facit. Sæculum IX. A.C. 809. *I. ep. 41.*

§. XLVII.

Theodori Epistolæ ad Papam.

Theodorus gravi persecutione pressus ad Papam Leonem III. confugere non omisit. Scripserat ad eum ante exilium suum Epistolam, quam Imperatoris iram reveritus delevit; sed Epiphanius Abbas, qui eam delaturus erat, cum ejusdem tenorem memoria retineret, secundo conscripsit, & Theodoro in exilium misso ad Papam detulit. Non habemus hanc Epistolam, sed primæ, quæ ad nos usque pervenit, ab Eustathio delatæ hoc est initium: *Quandoquidem Petro Magno Christus Deus Pastoralis etiam Principatus contulit Dignitatem, ad Pe-* *I. ep. 33.*

Sæculum IX. A.C. 809.

trum utique vel ejus Succeſſorem quid quid in Eccleſia Catholica per eos innovatur, qui aberrant a veritate, neceſſe eſt referri, ut a Patribus noſtris accepimus. (*) Queritur deinde, duo Conſtantinopoli fuiſſe habita Concilia, primum ad reſtituendum Oeconomum, alterum ad illos condemnandos, qui in eam rem conſentire nollent, & ſubjungit, Auctores horum Conciliorum ſua Decreta novam Hæreſim docendo defendere, *Declarant enim*, inquit, *adulterini conjugii conjunctionem diſpenſationem eſſe, in Regibus nihil poſſe Divinas Leges definiunt, eos qui pro Veritate ac Juſtitia usque ad ſanguinem reſiſtunt, Præcurſorem & Chryſoſtomum imitari negant, quemlibet Epiſcopum in Canones poteſtatem habere, atque ut lubet, Presbyteros depoſitos reſtituere poſſe pronunciant.* Subjungit: *Poſſumus hodie Apoſtolicum illud dicere: nunc Antichriſti multi facti ſunt, ſi Canonibus omnes homines ſubditi non ſumus.* Et poſtea: *Si enim iſti, arrogata ſibi auctoritate, hæreticam Synodum cogere veriti non ſunt, qui ne Orthodoxam quidem absque cognitione veſtra (ut antiquitus mos obtinet) cogi-*

1. Jo. 2. 19.

(*) Eximium contra Proteſtantes, quod Vir Sanctus & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Decus ante tot Sæcula edidit teſtimonium!

cogere potuerunt, (*) *quanto æquius ac necessarium fuerit, ut aliud ad condemnandum errorem convoces?* In fine addit, Epistolam a se solo fuisse scriptam, eo quod Reclusus, id est, S. Plato, & Archiepiscopus Thessalonicensis germanus ejus in aliis Insulis detinerentur. *Verum,* inquit, *ex ore meo loquuntur, & mecum Sanctitatis tuæ pedibus advolvuntur.* Sæculum IX. A. C. 809.

Papa responsum dedit, quod interiit, & Theodorus suo & S. Platonis nomine data Epistola altera, quam Eustathius detulit, gratias egit. In ea Adversarios suos vocat Mœchianos, id est adulterinos, nam *Moicbos* græce significat adulterium, & affirmat ipsos esse Hæreticos, quod matrimonium adulterinum Dispensatione legitimum reddere velint contra præceptum clarissimum Legis & Evangelii, & quod Canonibus superiores se faciant. Gratias agit Papæ pro missis sibi donis magnificis, & inimicorum calumniam a se amolitur dicentium, quod Barsanuphum Esaiam, & Dorotheum Hæreticos reciperet. His anathema *I. p. 34.* *I. ep. 41.* *I. ep. 35.*

(*) Hæc verba rursus P. Balduinus ad hunc locum lingua gallica ita refert, ut qui ipsum Fleurium non legit, certissime creditурus sit, ea ab ipso, & quidem mala fide, fuisse omissa. Qualis hujus Patris Censura!

Sæculum IX. A. C. 809.

thema dicit utpote a S. Sophronio jam diu damnatis, & generatim Hæreticis omnibus. Accusationis hujus fundamentum forte fuerit, quod haberet inter ceteros amicum, nomine Barsanuphum.

Eadem occasione Theodorus Epistolam dedit ad Basilium Abbatem Romæ existentem, cujus consilio Papa utebatur, & rogavit, ut bonam causam suo fulciat patrocinio.

§. XLVIII.

Collatio cum Papa ob vocem Filioque.

Regin. an. 809 Addo. Chro.

Eodem anno octingentesimo nono Carolus Imperator Aquisgrani Concilium celebravit, in quo actum est de Quæstione, an Spiritus Sanctus a *Filio* etiam sicut a Patre procedat, quæ primo Jerosolymæ a Monacho, Joanne nomine, mota fuerat. Hujus ergo quæstionis definiendæ causa Imperator Romam misit Bernardum seu Bernarium Episcopum Wormatiensem, & Adelardum Abbatem Corbejensem deferentes Epistolam a Smaragdo Abbate S. Michaelis, hodie *Mihel*, in Diœcesi Virdunensi compositam, in qua collegerat Textus Scripturæ & Patrum ad demonstrandum, S. Spiritum æque a Filio ac a Patre procedere. Patres Ecclesiæ, quos citat, sunt sequentes: Sanctus Gregorius Papa, S. Cyrillus, S. Am-

to. 7. Conc. p. 1199.

S. Ambrosius, S. Hieronymus, & S. Augustinus. Sæculum IX. A. C. 809.

Ubi Legati Romam pervenerunt, Smaragdi Dissertationem Pontifici prælegerunt, qui auditis per ordinem omnibus Patrum Testimoniis ait: *Ita sentio, ita teneo ex Auctoritate Patrum & Scripturæ.* Legati dixerunt: *Cum cognoscatis, ita credendum esse, numquid non id nescientes docendi sunt, & scientes in hac Doctrina confirmandi?* Dixit Papa: *Ita est.* Tum Legati quæsiverunt: *An aliquis hanc veritatem non credens salvus esse poterit?* Respondit Papa: *Qui capere eam potuerit & credere noluerit, non salvabitur. Sunt enim Mysteria, quale etiam istud, ad cujus cognitionem pertingere multi valent, multi vero vel ætatis defectu vel acie intellectus destituti intelligere non possunt.* Legati; *si ergo ita est, id licebit docere, & ex consequenti cantare, quod non credere non licet.* Papa: *Licet illud cantare, sed non ibi inserere, ubi prohibitum est.* *to. 7. Conc. p. 1194.*

Legati responderunt: *Capimus, cur dicatis, non esse licitum Symbolo aliquid addere, quia illi qui condiderunt, istud* (nempe vocem, Filioque) *non addiderunt. Et Synodi Universales sequentes, Calcedonensis & Quinta prohibuerunt, ne quidquam insereretur. Si autem ipsi inse-*

Sæculum IX. A. C. 810.

ruissent, an non liceret illud cantare? Respondit Papa: *Liceret utique.* Legati: *Numquid non bene iidem tunc Auctores fecissent, si futuris Sæculis Mysterium maximi momenti quatuor addendo Syllabas aperuissent?* Papa: *Non audeo dicere, quod male fecissent, sed nec dicere audeo, ipsos istud nobis minus intellexisse. Imo probibuerunt, ne cur istud omisissent, perquireremus. Videte, quam alte de vobismetipsis sentiatis. Nam ego quidem me illis non modo non præfero, sed absit, ut coæquare præsumam.* Legati: *Absit etiam, Pater, ut superbe sapiamus, sed tantum pro temporis hujus adjunctis cupimus prodesse fratribus nostris. Hinc cum sciamus quosdam Symbolum ita cantare, & hac via multos de hoc Mysterio fuisse edoctos, credimus expedire magis ut cantetur, quam aliquos in sua ignorantia relinqui. Si enim sciret Paternitas tua, quot sint hodie millia hominum id scientium, forte in nostram concederes sententiam.* Papa: *Verum, quæso! an putatis, omnia ea quæ necessario oportet credere, ut quis Catholicus sit, etiam necessario, nisi prius in eo contineantur, Symbolo inserenda esse?* Legati: *Non putamus, quia non æque omnia necessaria sunt.* Papa: *Etsi non omnia, certe aliqua sunt bis similia, quæ nisi a capientibus credantur, Catholici*

De voce, Filioque.

ci esse non possunt. Legati: *Dabisne nobis aliquid, non dicimus sublimius, sed saltem huic simile, quod in Symbolo desit?* Petiit Papa nocturnam dilationem, ne quid temere de tantis Mysteriis proferret. Et tunc quidem discessum. Sæculum IX. A. C. 810.

Altera die Papa dixit: *An ad salutem magis necessarium est credere, quod Spiritus Sanctus a Filio sicut a Patre procedat, quam credere, Filium Sapientiam Deum a Sapientia Deo,* ✝ *& Veritatem Deum a Veritate Deo genitum esse, & tamen utrumque unam Sapientiam, unam Veritatem essentialiter Deum esse? Plura alia exempla non solum de Essentia Divinitatis sed etiam de Mysterio Incarnationis adducere possem.* Legati responderunt: *Deo sint Laudes in materia Fidei, scimus omnia, quæ alii sciunt, aut discere possumus.* Papa: *Hoc est, quod miramur, vos frustra laborare, cum quiescere possetis.* Legati: *Timemus, ne propter inertiam magnum præmium amittamus, & majus lucrum æstimamus, ita cupientes erudiri, quam malum fuerit, unam Voculam addidisse; cum istud nec per arrogantiam factum sit, nec Decreta Patrum nostrorum contemnamus.* Papa: *Utcunque optima sit intentio, attendendum tamen, ne, quod in se bonum est, corrumpatur, si quis a licito docendi*

✝ Sunt ipsa verba Smaragdi.

Sæculum IX. A. C. 810.

docendi modo aberret, cui re semper subest præsumptio; Patres enim dum aliquid Symbolo addere prohibuerunt, non decreverunt, ut benevolus possit, malevolus non possit, sed ut nullus.

Legati repositerunt: *Numquid non a te ipso data est licentia cantandi Symbolum in Ecclesia? Numquid a nobis hic usus processit?* Papa: *Ego licentiam dedi cantandi, non autem cantando quidquam addendi, & quamdiu Symbolum cantastis, quale in Romana Ecclesia recitatur, siluimus. Quod vero asseritis, ideo vos ita cantare, quoniam alios in quibusdam partibus vobis priores audistis cantasse, quid ad nos?* Hic Sermo est de Hispania, ubi ex Decreto tertii Concilii Toletani Symbolum cum additione, Filioque, refertur. Papa iterum: *Nos Symbolum non cantamus sed legimus, & nihil addere præsumimus. Locis deinde temporibusque opportunis quæ in eo non continentur docemus.* Legati: *Ergo vis, ut primo illud vocabulum, de quo agitur, e Symbolo tollatur, & tunc demum permittis, ut cantetur & doceatur.* Papa: *Ita procul dubio decernimus, atque ut & vos assentiatis suademus.* Legati: *Ergo, bonum est cantare Symbolum, si id quod vis tollatur.* Papa: *Bonum sane; quod tamen non imperando sed permittendo dicimus.*

c. 2. Sup. Lib. XXXIV. §. 56. to. 5. Conc. p. 1000. Collatio cum Leon. III.

cimus. Legati: *Verum, cum fatearis, bonum esse cantare Symbolum, si hoc vocabulum auferatur, numquid omnes credent, hoc vocabulum contra Fidem pugnare? Quid das nobis consilii, ne id alicujus exitio fiat?* Papa: *Si priusquam ita cantaretur interrogatus fuissem, ne insereretur utique respondissem. Nunc autem menti occurrit, quod non affirmando, sed vobiscum deliberando dico, ut paulatim in palatio, quia in nostra Ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo intermittatur. Ita quod sine Auctoritate invectum est, si vos dimittatis, ab omnibus dimittetur. Optimum forte remedium illud sine Fidei detrimento tollendi.* Sæculum IX. A. C. 810.

Talis fuit Collatio Leonis Papæ cum Legatis Caroli Imperatoris, quam Smaragdus Abbas præsens collegit. Dicit vero, se non propria verba retulisse sed sensum, quantum memoria retinere potuisset. Non legimus, aliquem hujus Collationis fuisse effectum. Pars utraque suam retinuit consuetudinem, nam in Francia Symbolum cum voce *Filioque* cantarunt ut prius, & Romæ ab hoc cantu abstinuerunt. Sed Papa antiquitatis Custos duas tabulas argenteas centum ferme librarum dextra lævaque in Sepulchri ingressu affigi curavit, quarum altera Symbolum exhibebat latine scriptum

Anast. to. 7. Conc. p. 109

1. Sentent. distinct. 11. n. 6.

Sæculum IX. A. C. 810.

ptum, altera græce exaratum. (*) Ex turbis Græcorum propter hanc vocem ſequenti tempore exortis apparebit, hac in cauſa Leonem Papam ſapientiſſime pronunciaſſe.

§. XLIX.

Smaragdus & Adalardus.

Mabil. to. 2. Annal. p. 383 & 417.

Smaragdus Abbas vir pietate & relictis poſteritati ingenii ſui monumentis clarus in ſuo Monaſterio, in quo Schola erat celeberrima, docuit, & compoſuit Tractatum Grammaticæ, ſeu Commentarium in Donatum in libros quatuordecim diviſum, ubi omnia exempla ex S. Scriptura exprompſerat, quia multi hoc ſtudium ideo averſabantur, quod non niſi nomina Gentilium, & exempla ab ipſis accepta viderent. Hoc opus typis non eſt editum. *to. 5. Spicil. init.* Compoſuit præcepta Principi informando apta, quod opus viam Regiam dixit, ſive hunc laborem ipſi Carolo, priusquam Cæſarea Dignitate fulgeret, ſive Ludovico ejus filio tunc Regi Aquitaniæ impendit. Scripſit Sermones excerptos ex Patribus in Epiſtolas & Evangelia totius anni, item Diadema Monachorum, ſeu documenta pro Monachis in compendium collata, &

(*) Omiſſa voce, *Filioque.*

& Commentarium in Regulam S. Benedicti, opus Concilio Aquisgranensi anno octingentesimo decimo septimo celebrato posterius. Sæculum IX. A. C. 810.

Adalardus Abbas Corbejensis ad illam Collationem a Carolo Imperatore missus, ejusdem Patruelis erat, Bernardi, qui Pipini Regis frater fuit, filius. In Palatio educatus, iisdem quibus Carolus Magistris traditus est. Sed deinde hujus Principis divortium, quando Desiderii Regis Longobardorum filiam expulit, impatientissime ferens, nec novæ Nuptæ, quam uxore vivente inducebat, ullum obsequii genus exhibere sustinens, cum malum (*) prohibere non posset, saltem *Acta SS. Be. to. 5. p. 306.* *Sup. Lib. XLIII. §. 58*

(*) Nihil abstrusum magis quæstione, an Caroli Magni conjugia licita, illicita fuerint. Memoravimus Lib. XLIII. §. LIX. ipsum rejecta uxore prima, aliud frustra suadente S. Pontifice, duxisse filiam Desiderii, Regis Longobardorum. Sed an prius matrimonium fuit solummodo ratum, an etiam consummatum? quis pronunciet? post unius anni spatium Carolus Desiderii filiam Ermengardem dimittit, quod semper ægrotaret, & generandæ proli impar crederetur, atque Hildegardem ex Suevia in matrimonium accipit. Sed an impedimentum prioris matrimonii dirimens fuit? Ubi Declaratio vel Dispensatio Episcoporum? De alterutro affirmare difficile.

Interim

Sæculum IX. A. C. 810.

saltem aperte profiteri constituit, quantum illud aversaretur. Ergo Aula valere jussa, Regi carissimus, in primo ætatis flore, nam ad annos ferme viginti pervenerat, ad Monasterium Corbejense se recepit, ubi expleto Tyrocinii anno, ei horti excolendi cura demandata. Postea vero frequentissimis propinquorum salu-

---

Interim illud satis exploratum est, Disciplinam Ecclesiæ circa divortia illo ævo non tam rigide ac posterioribus temporibus fuisse observatam. Nemo forte etiam nec in Oriente nec in Occidente multum clamoris edidisset, cum Constantinus Imperator ejecta Maria ejus pedissequam Theodotam duxit, nisi S. Theodorus Studita pro Lege Dei & Canonum Auctoritate generosum pectus objecisset. Augustinus Calmet in sua præclara Historia Universali reflectens super vitam Caroli Magni dicit: *Fatendum est, rem esse non facilem a tanto viro incontinentiæ notam removere, & excusare conniventiam in principes filias suas, quas apud se retinere volens, eo adduci non potuit, ut eas viris in matrimonium daret.* Inde puellæ deperdita verecundia in tantum vitæ licentiam prolapsæ sunt, ut vulgi fabula fierent, quod tamen parens prudenter & constanter dissimulavit. Hæc ille. At satis. Nam in Carolum nostrum cadit pars prima illius appositi effati de Cardinali Richelio: Il a trop fait de bien pour en dire du mal. *Pauca mala nec satis certa ingenti benefactorum numero absorbentur.*

salutationibus, hominum laudibus, & hujus Sæculi fabulis, de quibus referentes amicos audire cogebatur, fatigatus, fugit in Italiam ad Montem Cassinensem, quod Asceterium vitæ Monasticæ fons habebatur. Ibi quoque missis a Rege Carolo Ministris, qui eum evocarent, haud diu morari licuit. Sæculum IX. A. C. 810.

Adalardus modico post reditum suum tempore, consentiente Abbate, ejusdem Successor in Abbatia Corbejensi eligitur. Exinde vero a Rege Carolo in Italiam mittitur, Pipino juniori filio suo, qui anno septingentesimo octogesimo primo Rex Longobardorum coronatus est, a consiliis futurus. Cum tanto munere Vir prudens integerrime fungeretur, multi dicebant, sibi videri non hominem sed Angelum de Cælo advenisse. Nullis donis aut blanditiis capiendus, terror divitum & pauperum præsidium audiebat. Brevi tempore repressa Optimatum tyrannide Justitiam reduxit, & quemque intra suæ conditionis limites continuit. Eum Leo III. Papa tanti faciebat, ut per jocum dicere soleret: *Scias, si te unquam a moribus istis quos in te admiror alienum videro, me nullo unquam tempore cuiquam de Gente Francorum Fidem habiturum.* Civitatibus Spoleto & Benevento diro bello implicitis, usque Beneventum profectionem *Sup. Lib. XLIV. §. 17*

Sæculum IX. A. C. 811.

suscepit, & pacem sinceram populis reddidit. Viri fama usque ad Græcos & Insulas penetravit, & in stylo ænigmatico illius ævi jam nomine Augustini jam Antonii veniebat. Augustinus quidem dicebatur, quod esset eloquentissimus, & Sancti hujus Doctoris Opera præ ceteris amaret, Antonius vero, quia hujus S. Viri exemplum secutus omnium aliorum virtutes imitari & in se solo colligere satagebat.

v. Alcu. ep. 107.

Sup. Lib. VIII. §. 6. Vit. Ant. c. 2.

§. L.

Caroli Imperatoris Testamentum.

Carolus Imperator mortem cogitans, condito testamento, thesaurorum suorum & supellectilis distributionem anno JEsu Christi octingentesimo undecimo, Regni sui in Francia quadragesimo tertio, Imperii undecimo, Indictione quarta ordinavit, eo consilio, ut pro more Christianorum eleemosynas largiretur, & lites hæredum suorum præcaveret. Omnia sua bona mobilia divisit in tres partes, & partes duas in viginti & unam portiones, singulas Ecclesiis Regni sui Metropolitanis conferendas, videlicet, Romanæ, Ravennatensi, Mediolanensi, Forojulensi, Gradensi, Colonensi, Moguntinæ, Juvavensi, alias Salisburgensi, Trevirensi, Senonensi, Vesuntionensi, Lugdunensi, Rothomagensi, Rhemensi, Are-

Vit. per Egin. Capit. to. p. 887. to. 7. Conc. p. 1202.

Arelatenſi, Viennenſi, Tarentaſianæ ſeu Centronenſi, Embrodunenſi, Burdegalenſi, Turonenſi, & Bituricenſi. In qualibet Eccleſia Imperatoris eleemoſyna ab Archiepiſcopo dividenda erat in partes tres, quarum tertia Eccleſiæ ſuæ reſervata duas reliquas ſuis Suffraganeis daret. De tertia vero parte totius Eleemoſynæ Imperator in obitu ſuo decernere ſtatuerat, & hujus quoque portionis mediam partem pauperibus daturus erat. Prohibet, ne ejus Capella in partes dividatur, id eſt, ſupellex ad Miniſterium Eccleſiaſticum pertinens. Sed præcipit, ut Bibliotheca ſua venumdetur, & pretium in pauperes erogetur. In Caroli theſauro inter res pretio & arte mirabiles viſebantur una menſa aurea & tres argenteæ. Unam ex argenteis donat S. Petro Romæ. Hæc quadrata erat & Ichnographiam Civitatis Conſtantinopolitanæ exhibebat. Episcopo Ravennatenſi dat alteram menſam orbicularem, in qua Urbs Romana repræſentabatur. Tertiam duabus aliis majorem, tres orbes habentem & Geographiam totius mundi exhibentem, unacum menſa aurea hæredibus ſuis relinquit ea conditione, ut mediam pretii partem in pauperes diſtribuant. Sæculum IX. A.C. 811.

Huic Teſtamento Epiſcopi, Abbates & Comites tunc præſentes ſubſcripſe- *v. Coint. an. 811. n. 3.*

runt.

Sæculum IX. A. C. 811.

runt. Aderant Archiepiscopi septem, Hildebaldus Colonienſis Archicapellanus, Riculfus Moguntinus, Arno Salisburgenſis, Wulfarius Rhemenſis, Bernuinus Veſuntinus, Leidradus Lugdunenſis, Joannes Arelatenſis, Epiſcopi quinque, Theodulfus Aurelianenſis, Jeſſeus Ambianenſis, Hetto Baſileenſis, Valgaldus ſeu Valgandus Leodienſis, Abbates quatuor, Fridugiſus S. Martini Turonenſis, & Cormeriaci, Adalongus Lauresheimenſis, Engilbertus Centulanus, Hirmino S. Germani Pariſienſis. Ignoramus, cur in Teſtamento Caroli de tribus Eccleſiis Metropoliticis Eluſana in Vaſcovia, Narbonenſi, & Aquenſi nulla mentio fiat. Veriſimile eſt, eas tunc temporis aliis Eccleſiis fuiſſe ſubjectas, Aquenſem Arelatenſi, & Narbonenſem Bituricenſi. Eluſa vero anno 732. a Saracenis capta & everſa, necdum receptis viribus, Eccleſiæ Burdegalenſi ſuberat.

Id. n. 8.

§. LI.

Capitulare Interrogationum.

Cap. Interr. p. 478. *to.* 7. *Conc. p.* 1184

Duos habemus hujus anni octingenteſimi undecimi Commentarios, ex quibus diſpicere licet, quam ſerias piasque cogitationes Carolus Imperator his ultimis vitæ ſuæ annis foverit. Quæſtiones præparaverat, quas pro utilitate

c. 1.

c. 2.

Eccle-

Sæculum IX. A.C. 811.

Ecclesiæ & Reipublicæ Optimatibus proponere constituerat. Primo, inquit, Episcopos, Abbates & Comites separabo & singulis ordinibus loquar. Interrogabo, cur alter alteri opitulari sive in Sedibus suis sive in exercitu, patriæ Salute id exigente, recusent. Unde frequentissimæ lites vel de bonis quæ possident, vel de Vasallis ab uno Domino ad alium transeuntibus. In quibus rebus vel locis Ecclesiastici Laicis, aut Laici Ecclesiasticis in suo Ministerio impedimento sint. In quantum se Episcopus aut Abbas rebus Sæcularibus debeat inferere. Quis genuinus sit sensus verborum Apostoli: *Nemo militans Deo implicat se negotiis Sæcularibus.* Quibus rebus omnis Christianus in Baptismo abrenunciet, & quibus suam renunciationem irritam faciat. Quod ille bene in Deum non credit, qui præcepta ejus impune se contemnere putat, vel qui ea quasi non ventura despicit, quæ Deus comminatus est. Quod in nobis dispiciendum, utrum vere Christiani simus, mores & vitam nostram examinando. Subjicienda est examini vita Pastorum nostrorum (id est Episcoporum) ad quos Apostolum credimus dixisse: *Imitatores mei estote.* Qualis esse debeat vita illorum, qui dicuntur Canonici, & Monachorum. Utrum Monachi esse possint

c. 3.

c. 4.

c. 5.

2. Tim. 4.

c. 6. 7. 8.

c. 9.

1. Cor. 11. 1.

c. 11. 12.

Sæculum IX. A. C. 811.

præter eos, qui Regulam S. Benedicti observant, & utrum in Gallia Monachi fuerint, priusquam hæc Regula illuc perveniſſet. Hic Commentarius ad Epiſcopos dirigebatur.

In ſecundo eædem interrogationes continentur fuſius expoſitæ. Tum Imperator ſubjungit: *Primo commemorandum eſt, quod anno præterito per triduana jejunia Deum oraverimus, ut dignaretur nobis oſtendere, in quibus converſationem noſtram emendari oporteret.*

c. 2. *Quod nunc facere deſideramus. Cognoſcere volumus, qualis debeat eſſe vita Eccleſiaſticorum, ut aliud ab eis non petamus, quam quod ipſis facere licet, & ipſi nihil velint, niſi quod ipſis concedere poſſumus.*

c. 4. *Item perquirendum a Clericis, ut nobis ſincere patefaciant, quid ſit, quod apud eos dicitur Sæculum relinquere, vel in quibus internoſci poſſint hi, qui Sæculum relinquunt, ab his, qui adhuc Sæculum ſectantur. Utrum in eo ſolum, quod arma non portant, & publice conjugati non ſunt.*

c. 5. *Inquirendum, utrum ille mundum reliquiſſe cenſeri debeat, qui quotidie poſſeſſiones ſuas augere quolibet modo qualibet arte non ceſſat. Qui aliis cæleſtis Beatitudinis Regnum pollicetur, aut aterna ſupplicia inferni cominatur, & nomen Dei vel alicujus Sancti adhibet, quo homi-*

Sæculum XI
A. C. 811.

hominibus simplicioris naturæ persuadeat, ut se Bonis suis exspolient, & Hæredes suos legitimos defraudent, quos deinde inopia laborantes ad flagitia & scelera perpetranda compellunt. Rursus, an Sæculum reliquisse dicendus sit, qui habendi cupiditate ductus homines ad perjuria & falsa testimonia pretio conducit, & operam Advocatorum atque Prætorum crudelium avarorum Deum non timentium quærit. Quid de his dicendum, qui obtendentes amorem Dei & Sanctorum, Reliquias de loco ad locum transferunt, novas Basilicas construunt, & quoscunque potuerint instantissime adhortantur, ut res suas illuc tradant. Ita nempe de Cælo bene meriti videri volunt aliqui, idque Episcopis persuadere, quo ad altiorem Dignitatis gradum promoveantur. Miramur, quomodo ille, qui se Sæculum reliquisse profitetur, nec consentire vult, ut a quoquam Sæcularis vocetur, nihilominus arma gerat, & propria sua bona sibi retineat.

c. 6.

c. 7.

c. 8.

Quamvis unicuique Christiano considerandum sit, quid in Baptismo promiserit, præcipue tamen Ecclesiasticorum est Laicis bonum præbere exemplum. Diligentissime attendendum, quæ sectando vel quæ negligendo unusquisque nostrum promissionem suam in Baptismo vel servet vel irritam faciat, & quis sit ille Sata-

Sæculum IX. A. C. 811.

nas, cujus pompæ renunciavimus, ne imprudentes illum ipsum sequamur. Quis Canon, aut quæ Sanctorum Virorum Regula præcipit, ut aliquis invitus vel Clericus vel Monachus esse cogatur, & Congregationes personis vilibus impleantur?

c. 10.

Quam utilitatem confert Ecclesiæ Christi Pastor vel Magister, qui magis curat habere plurimos subditos quam bonos, & plus studet, ut Clerici vel Monachi sui bene cantent & legant, quam ut juste & beate vivant? Quamvis enim cantandi vel legendi Disciplina in Ecclesia non sit contemnenda, tamen magis tolerabile est male cantare quam male vivere. Et quamvis etiam expediat, ut Ecclesiæ pulchræ sint & ornatæ, ædificiis tamen præferendus est bonorum morum ornatus & culmen. Basilicarum extructio veteris Legis quamdam trahit consuetudinem, morum autem emendatio proprie ad novum Testamentum & Christianam pertinet Disciplinam. Si nos JEsum Christum & Apostolos sequi oportet, multa a nobis in Ecclesiastica Disciplina mutanda sunt. (*) Ex his duo-

c. 11.

bus

(*) Maxima certe de Monachorum generibus Carolo Magno cura fuit. Nam huic secundo Commentario hæc subduntur. *Qua Regula*

bus Commentariis Clericorum illius ævi mores & Imperatoris pietatem cognoscere datur. Sæculum IX. A. C. 811.

Ad idem tempus refertur Epistola Encyclica a Carolo ad omnes Regni sui Archiepiscopos missa, cujus extat exemplar ad Odilbertum Mediolanensem directum. Scimus etiam Imperatorem similes Epistolas ad Magnum Archiepiscopum Senonensem, Joannem Arelatensem, Amalarium Trevirensem, & Leidradum Lugdunensem dedisse. Quemlibet Archiepiscopum rogat, ut sibi explicet, quomodo ipse & Suffraganei ipsius Presbyteros & populum in explanatione requisitorum ad Baptismum erudiant. Cur infans prius Catechumenus efficiatur, quid sit Scrutinium, quæ explicatio Symboli, quid rei sint Renuntiatio, Exorcismi, & ceteræ Cæremoniæ in Baptismo adhiberi solitæ. *ap. Alcuin. p. 1151. v. not. Baluz. c. to. 1 p. 1070. & Mabill. to. 1. Ann. p. 25. & to. 3. p. 1.*

§. LII.

Nicephori fata. Michael Curopalata.

Interim in Oriente avaritia & impietas Nicephorum probis omnibus invisum reddi-

Zz 5

la Monachi vixissent in Gallia, priusquam Regula S. Benedicti in ea tradita fuisset, cum legamus & S. Martinum & Monachum fuisse, & sub se Monachos habuisse, qui multo ante S. Benedictum fuit. Tom. IV. Act. Conc.

Sæculum IX. A. C. 811.

reddiderant. Manichæorum seu Paulicianorum, qui in Phrygia & Lycaonia haud procul a patria ipsius erant, amicus addictissimus, eorum oraculis & superstitionibus usque adeo delectabatur, ut cum Bardanes Patricius proclamatus fuisset Imperator, illius Sectæ homines advocaret, qui æmulum suis præstigiis dejicerent. Taurum alligatis ad palum ferreum cornibus, depresso in fossam capite, mugientem, seque in cœno voluntantem mactari jussit; quod antiquæ superstitionis genus a Persis ortum in Græciam delatum fuerat. Togam quoque Bardanis sibi allatam, inversam commoli præcepit, putans, id ad eum debellandum multum profuturum. Itaque Manichæi, quibus licentiam in suo Imperio libere commeandi dedit, levioris ingenii Christianos multos seduxerunt. Ipse partes cujusdam Nicolai pseudomonachi prope locum *Exocion* habitantis, qui cum aliquot sociis blasphemias in Sacras Imagines evomebat, tueri cœpit, ejusque audaciam a Patriarcha coerceri vetuit. Quippe rixas inter Christianos ortas fovebat, ne vacaret ipsius Imperatoris impietatem arguere. Militiæ Ducibus mandabat, ut Clericos & Episcopos mancipiorum loco haberent, & suo arbitrio in Domibus Episcoporum & in Monasteriis diversoria sibi deligerent. Illos,

Theoph. an. 9. p. 413. Sup. n. 25. v. Prud. Peri. Steph. hymn. 10. vers. 1010.

Cang. C. P. II. p. 171. Goar. in Theoph. p. 150.

p. 414.

Illos, qui olim Deo dona aurea & argentea obtulerant, vituperabat, & Bona Ecclesiis consecrata in usus profanos converti præcipiebat. Nullum Imperatorum Antecessorum suorum artem regnandi calluisse jactitabat, & nullum Numen nullam potestatem agnoscebat superiorem Principe, qui bene regnare didicisset. Sæculum IX. A. C. 811.

Anno octingentesimo octavo Regni ejus sexto multorum conjuratione in non leve periculum adductus est. Conscii fuere Episcopi, Monachi, & tres magnæ Ecclesiæ ministri Syncellus, Sacellanus, & Tabularum Custos, quos Nicephorus pari rigore ac Sæculares, nempe flagris, proscriptione & subtractis bonis punivit. Præter alias plures exactiones insolitas anno Regni sui octavo recenseri jussit piorum locorum incolas, orphanorum, peregrinorum, senum hospitia, Ecclesias, Monasteria a Cæsaribus fundata, atque in singulos focos tributum a primo Regni sui anno imperavit. Prædiis optimis ipse Oeconomos suos constituit, & ex agris, quos possidebant, tantum exegit in omni pensionum genere, ut redituum alterum tantum dare cogerentur. Tandem anno octingentesimo undecimo Mense Majo Constantinopoli discedens, moturus in Bulgaros Nicetæ Patritio & Logothetarum præfecto impera- *Theoph. p.* 409. *p.* 402. *Theoph. an.* 9. *p.* 414.

Sæculum IX. A. C. 811.

peravit, ut tributa ab Eccleſiis & Monaſteriis ſolito majora exigeret, cumque Theodoſius Patritius Purpuratorum fidiſſimus objiceret: *Auguſte! ab omnibus devovemur, & ſi nos fortuna fefellerit, in interitu noſtro cuncti lætabuntur.* Nicephorus reſpondit: *Induravit cor meum Deus; nulla ſalus ſperanda illis, qui ſub manu mea ſunt. Nihil aliud a Nicephoro quam quod jam oculis vides exſpecta.*

vit. Theod. 53

Priusquam iter ingrederetur, miſſis viris Magiſtratu ſpectatis, ad vincendum S. Theodori animum ultimum conatum adhibuit. Reſpondit Theodorus oratione ad Imperatorem quaſi præſentem directa: *Utinam te pœnituiſſet mali facti, & non omne remedium repuliſſes. Quia vero non ſolus in exitium ruis, ſed etiam alios tecum trahis, oculus, qui omnia videt, tibi denunciat, te ab hac profectione non rediturum.*

Theodori Studitæ Vaticinium.

Th. p. 415.

Vera dixiſſe Theodorum eventus docuit; cum enim Bulgariam intraſſet, viribus ſuperior, & Crumnum illius nationis Regem, pacem rogantem, ſæpius repuliſſet, ab eo ipſo, cui deſperatio audaciſſimum ſuggeſſerat conſilium, in ſuo tabernaculo incluſus, & interfectus eſt, die Veneris vigeſima quinta Julii anno octingenteſimo undecimo, Indictione quarta, poſtquam annis octo & menſibus novem

novem imperasset. Caput Imperatoris a corpore divulsum Bulgaris ludibrio fuit, eorumque Rex Crumnus ex cranio poculum sibi parari jussit, quo in conviviis pro antiquo Scytharum more uteretur. Multi Patricii in pugna illa cæsi, atque totius Christiani exercitus robur cecidit. Ingens etiam captivorum numerus fuit, quos Bulgari etiamnum Infideles ad abjiciendam fidem Christianam cogere volentes variis affecerunt tormentis. Aliqui capite plexi, suspensi alii, alii sagittis trajecti, reliqui in carceribus extincti sunt.

Sæculum IX. A.C. 811.

v. The. Stud.

Herodot. lib. IV. c. 65.

Ecclesia horum Martyrum memoriam vigesima tertia Julii celebrat. Prima die ejusdem mensis Græci memoriam agunt Petri Patricii, qui illo etiam tempore captus, cum postea Barbarorum manus effugisset, vitam Monasticam amplexus in montem Olympum secessit cum S. Joannicio, quo satis functo, Constantinopolim reversus in Ecclesia, quam in loco, *Evander*, dicto ædificaverat, mansit, ibique virtutibus & miraculis illustris e vita migravit.

Menol. 23. Jul. Mart. Rom. id Menol. 1. Jul.

Illico Stauratius Nicephori filius Imperator salutatur. Quia vero omnes perspiciebant, eum ex vulnere accepto moriturum, elapsis duobus mensibus, Imperator proclamatus est Michael Curopalata cognomento *Rangabes*, qui Procopiam

Th. ibid.

Sæculum IX. A. C. 811.

copiam Nicephori filiam Stauratii sororem in matrimonium acceperat. Publice ejus electio denunciata est die Jovis, secunda Octobris, Indictione quinta, eodem anno octingentesimo undecimo, & ipse eadem die in suggestu magnæ Ecclesiæ coronatus a Nicephoro Patriarcha, qui eum priùs compulerat, ut datis litteris promitteret, se Fidem Orthodoxam conservaturum, sanguinem Christianorum non effusurum, Clericos Monachosque honeste & benigne habiturum.

Stauratius omnium ope destitutus comam totondit & habitu Monastico de manu Simeonis Propinqui sui accepto undecima Maji sequentis e vulnere decessit. (*)

Michaelem Imperatorem munificentia & animus liberalis commendabant. Cum coronaretur, Patriarchæ quinquaginta libras auri, & Clericis viginti quinque dedit, populum quoque multis largitionibus sibi demereri studuit, ut partem eorum, quæ Nicephorus abstulerat, redderet. Virum præterea Catholi-

(*) Quæ sequuntur in hoc Paragrapho, & totum Paragraphum sequentem Interpres Protestans omisit. Forte ideo, quia inde Communio Ecclesiæ Constantinopolitanæ cum Romana demonstratur.

tholicum & Religionis amantem Schisma Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ turbabat; hinc Patriarcham omnesque qui ad pacem reducendam quidquam conferre poterant, hortari non ceſſavit, donec eos Platoni, Theodoro Studitæ & fratri ejus Joſepho Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, quos ab exilio revocavit, reconciliaſſet. Præcipua pacis conditio fuit, ut Joſephus Presbyter & Oeconomus pelleretur, qui ſecundo ab Eccleſia ejectus eſt. Leo Papa hanc pacem datis litteris approbavit, nam illius quoque Auctoritate ad eam revehendam Imperator uſus fuerat. Porro cuidam Abbati, nomine Antonio, cunctanti & adhuc in carcere remanenti ſcripſit Theodorus; ne dubitaret, ad Communionem Patriarchæ redire, quocum ipſe jam nunc ſincera mente communicaret.

Sæculum IX. A. C. 811.

§. LIII.

Nicephorus Patriarcha Papæ ſcribit.

Annis quinque & ultra, ex quo Nicephorus Sedi Patriarchali Conſtantinopolitanæ fuiſſet admotus, necdum Epiſtolam Synodicam pro more ad Papam dederat, quod ne id faceret, a Nicephoro Imperatore prohiberetur. Tunc igitur huic ſatisfecit officio, cum Imperator

Sæculum IX. A. C. 811.

tor Michael Legatis ad Imperatorem Carolum missis ejus amicitiam quæreret. Habemus Epistolam Nicephori Patriarchæ ad Leonem Papam pro tempore illorum stylo ad fastidium usque longam. (*) Narrat Nicephorus vitæ suæ historiam, quo munere in Aula functus fuerit, secessum, & Ordinationem suam se invito factam. Edit deinde Fidei suæ Confessionem amplam & Theologicam, in fine profitetur, quod Intercessionem Sanctorum expectat, & quod eorum Reliquias Imaginesque veneretur.

p. 419.

to.7. Conc. p. 1206.

*Sup. n.*33. *p.* 1215. *p.* 1203.

Septem Concilia Oecumenica recipit, & Papam rogat, ut si quæ forte in hac fidei Confessione omisisset, suppleat. Excusat, quod tardissime scripserit, suprema Sæculi potestate cohibitus. Rogat Papam, ut Michaelem Synnadensem Metropolitam suæ Epistolæ latorem benigne suscipiat, & dona, quæ mittit enumerat in hunc modum: Thecam auream habentem ex una parte crystallum, &

(*) Inscriptio est hujusmodi: *In omnibus sanctissimo & beatissimo Fratri & consacrificanti Domino Leoni Papæ antiquæ Urbis Romæ Nicephorus misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos in Domino Salutem.* Inde discimus Patriarchas Constantinopolitanos nec omnes nec semper invidioso titulo Oecumenici usos fuisse.

& ex adversa opus encausticum, in qua minor capsa includitur continens duas Particulas veræ Crucis, Tunicam albam, & Casulam castanei coloris, utramque inconsutilem, Stolam, & Manipulum, cui aurum intextum, omnia linteo purissimo, cum signo plumbo impresso, involuta. Michael Episcopus, qui hanc Epistolam deferendam suscepit, ab Imperatore Michaele ad Carolum Imperatorem cum duobus Protospatariis seu Scutariorum præfectis ad confirmandam pacem missus fuerat. Illi anno octingentesimo duodecimo Aquisgranum pervenerunt, & pacis fœdera scripta recipientes, Carolum agnoverunt Imperatorem, eumque eodem nomine, quo Dominum suum, græce *Basilevs* appellarunt. Inde Romam commeantes ejusdem pacis Decretum de manu Pontificis in Basilica S. Petri iterum receperunt.

Sæculum IX. A. C. 812.

An. Egin. & c. an. 812

§. XLIV.

Manichæi in Oriente.

Cum Michael Imperator sub auspicia Regni sui capitis pœna in Manichæos seu Paulicianos sancita non nullos gladio percuti jussisset, Nicephorus Patriarcha aliique Viri pii obstiterunt, ne in plures capitale decretum exequeretur; quippe dicebant, præstare, ut his hominibus daretur locus pœnitentiæ, & affir-

Theoph. p. 419.

Sæculum IX. A. C. 812.

mabant, non licere Viris Ecclesiasticis quemquam ad mortem damnare. Nempe hac in re antiquæ Ecclesiæ Traditioni inhærebant. Sed nihilominus Theophanes Abbas, Scriptor Doctrina & Pietate clarus, factum istud in Historia sua referens, ignorantiæ & perversæ voluntatis illos arguit, qui istud consilium Imperatori suggerebant, putatque se ex Scriptura probare, ejusmodi Hæreticos ferro esse tollendos, quod digna abominatione facerent, & cultum Dæmonibus exhiberent. Dicit etiam, esse impossibile, ut pœnitentiam agerent.

Quamvis Hæreticorum istorum, qui tunc Pauliciani, seu *Athinganes* dicebantur, multi in Phrygia & Lycaonia commorarentur, præcipua tamen eorum sedes erat Armenia, Provincia Persiæ vicina & olim illi Imperio subjecta. At Persia Manetis patria erat, & Hæresis ejus nutrix. Hæc pestis circa medium Sæculi septimi aliam faciem induerat; nam regnante Constantino seu potius Constante Heraclii nepote quidam Armenus etiam nomine Constantinus in Oppido Manalala prope Samosatam commorans, cum Diaconum captivum ex Syria venientem & tunc in patriam suam revertentem, in domum suam suscepisset, & ab eo duos libros, quos habebat,

Petr. Sic. p. 40. Cedr. to. 1. p. 432.

bebat, Evangelium & Epiſtolas S. Petri, (*) in hoſpitii mercedem accepiſſet, ad reformandam Manetis Doctrinam animum adjecit. Videbat ſcilicet Conſtantinus, Secta Manichæus, hanc Doctrinam, quod blaſphemiis & obſcenitatibus ſcateret, omnium animos horrore perſtringere; hinc eam renovare conſtituit, & ſuis nullum alium librum legendum præbere, quam Evangelium & S. Paulum, ea vero ita explicare, ut in iis tota Manetis Doctrina contineri videretur. Igitur ſuppreſſit omnes libros Manichæorum, eo libentius, quod Legibus Imperatorum Chriſtianorum ſancitum eſſet, ut omnes, qui hos Libros apud ſe retinerent, pœnas morte dare cogerentur. Rejecit Valentinianorum deliria & eorum triginta *Æones*, Manetis fabulam de origine pluviæ, quam juvenis cujusdam puellam incitatiſſimo curſu inſectantis decidentem ſudorem eſſe dicebat, & quædam alia æque abſurda, ſed quæ impura & abominanda in Baſilide reperiuntur retinuit. Ita ille impiæ Manetis ſectæ aliam formam dedit; nec ejus Sectatores Scythianum, Budam & ipſum Manetem anathematizare dubitabant, econtra Conſtantinum & qui eum ſecuti erant Apoſtolorum loco habebant.

Sæculum IX. A. C. 812.

Sup. Lib. III. §. 27.

Su. L. VIII §. 10. 11. 12.

Conſtantinus Pauliciaanus.

(*) Forte S. Pauli.

Sæculum IX. A. C. 812.

Atque ut in ea opinione confirmarentur Constantinus librum suum S. Pauli ostentans dicere solebat: *Vos estis Macedones & ego Silvanus, quem Paulus ad vos misit.* Relicto Oppido suo Manalalensi commigravit Cibossam, exiguam Civitatem prope Coloniam in Armenia, & ibidem annis viginti septem commoratus permultos illius regionis homines pervertit. Verum hac re tandem ad Imperatorem delata, misit virum nomine Simeonem cum mandatis; Constantinum lapidibus obrui curaret, & parceret ejus Discipulis, utpote ignorantia deceptis, si modo ad Ecclesiæ sinum redire non detrectarent. Mandata executus est Simeon, qui comitante illius regionis militum Duce, cui nomen Tryphon, Cibossam perveniens omnes cepit & Coloniam deduxit. Ibi jussit ut Constantinum palo affixum ipsius Discipuli lapidibus injectis contererent; & ceteris omnibus Magistrum lædere non sustinentibus, unicus nomine Justus, quem Constantinus ante paucos annos filium sibi adoptaverat, & sua Doctrina magna cura imbuerat, Simeonis imperio obsecutus ictu uno præceptorem & patrem confecit. Relictus in eodem loco lapidum cumulus rei peractæ monumentum extitit.

Ecce

Ecce vero! Simeonem, secundum Imperatoris mandata, Constantini Discipulos ad Ecclesiam reducere conantem ipsi (tantum abfuit ut converterentur) in errores suos pertraxerunt. Cum enim Vir esset levis ingenii & in Doctrina Religionis rudis, dum plurima ab iis interrogare non cessat, Hæresim didicit, quam tandem veram esse Doctrinam credidit. Constantinopolim redux, & domi suæ annos tres commoratus, clam deinde fuga se proripit, & Cibossam contendit, ubi collectis Constantini Discipulis ejusdem Successor evasit & Titus appellari voluit, ut & ipse cujusdam ex S. Pauli Discipulis nomine clarescceret. Elapso iterum triennio gravis ei disceptatio cum Justo intercessit super Textum Epistolæ ad Coloss. ubi de JEsu Christo dicitur: *Quoniam in ipso condita sunt universa in Cælis & in terra &c.* Hic enim Justus Simeonem urgere: *Quid si populos fallimus, & aliquando pro jactura animarum ipsorum in die Judicii ratio a nobis exigetur?* Nihil concedebat Simeon, Verba Apostoli fœde detorquens. Ergo Justus Episcopum Coloniæ adiit, a quo verum sensum disceret, quo intellecto perditi gregis arcana aperuit. Episcopus nihil cunctandum ratus rem ad Imperatorem perscribit (tunc vero Justinianus secundus im-

Sæculum IX. A. C. 812.

Coloss. 1. 16.

Sæculum IX. A. C. 812.

perabat) qui edito decreto jussit, ut contra eos judicio inquireretur, & contumaces flammis consumerentur. Factum, quod jussit Princeps, & rogo penes lapidum cumulum, seu Constantini Sepulchrum, de quo supra diximus, excitato omnes concremati sunt.

§. LV.

Pauliciani.

p. 37. Quidam Armenus, cui nomen Paulus, fuga exitio se subtraxit cum duo-
p. 39. bus filiis suis Genesio & Theodoro, confugitque Episparim, pagum prope Phanariam situm in Cappadocia, ubi jam prius duo Fratres Paulus & Joannes, Manichæi celebratissimi, mulieris Samosatenæ, cui nomen Callinica, filii docuerant. Et ab hoc priore Paulo Manichæi
p. 49. nomen Paulicianorum traxerunt. Paulus autem secundus, cum Episparim perveniisset, Scholæ suæ præfecit Filium suum Genesium, quem appellavit Timotheum. Verum rixa odiumque vatinianum ortum est inter Genesium & Theodorum fratres, quod quilibet Divinæ Gratiæ Spiritum sibi collatum fuisse diceret. Nec ante mortem reconciliati sunt. Ubi Hæresis ista ad notitiam Imperatoris Leonis Isauri devenit, Genesium Constantinopolim accersitum misit ad Patriarcham, qui eum interrogavit in

Sæculum IX. A. C. 812.

in hunc modum: *Quam ob causam abjeciſti Fidem Orthodoxam?* Geneſius reſpondit: *Anathema illi, qui Fidem Orthodoxam abjicit!* ſub nomine Orthodoxæ Fidei Hæreſim ſuam animo comprehendens. Patriarcha ſubdidit: *Quare Crucem non adoras?* Geneſius: *Anathema illi, qui Sanctam Crucem non adorat!* Sed ſub voce, Crucis, intellectu concipiebat JEſum Chriſtum manus in forma Crucis extendentem. Rurſus Patriarcha interrogavit, quare Matrem Dei non adoraret? Et ipſe reſpondit: *Anathema illi, qui non adorat Sanctam Dei Matrem, in quam Dominus Noſter intravit!* Loquebatur autem in ſuo ſenſu de Jeroſolyma Cæleſti. Item Patriarcha interrogante, cur Communionem Corporis & Sanguinis JEſu Chriſti non reciperet, iterum anathema pronunciavit, ſub Corpore JEſu Chriſti mente nihil aliud concipiens quam Verbum ejus. Eodem modo reſpondit ad Quæſtionem de Eccleſia Catholica, ſub hoc nomine conventicula Sectæ ſuæ accipiens, & de Baptiſmo, ſub hac voce accipiens JEſum Chriſtum, qui eſt Aqua viva. Itaque innocens declaratur & impetratis ab Imperatore Epiſtolis Epiſparim remeavit, ubi congregatos Diſcipulos Manalalam, unde Conſtantinus abierat, reduxit, ibique multis annis commoratus eſt.

Geneſius Paulicianus.

Sæculum IX. A. C. 812.

E vita migravit, postquam annis triginta hujus Sectæ caput extitisset.

Genesius moriens reliquit filium nomine Zachariam, & famulum nomine Josephum. Hunc ex adulterio natum & in trivio projectum aluit, & capellis pascendis præfecit. At postea juvenis versuti ingenii Discipulos sibi conciliavit, & mortuo Genesio divisi sunt Sectatores inter Zachariam & Josephum, quorum unusquisque se gratiam Spiritus possidere jactabat. Josephus Epaphroditum se dicebat, Discipulum S. Pauli, qui se ad ipsos misisset. Hinc cum Zacharias aliquando excandesceret, quod sibi Josephus hæreditatem patris sui raperet, nihil propius fuit, quam ut eum impacto lapide interimeret. Haud multo post tempore uterque congregatis suis Discipulis clam fugam arripuit. Cum vero Arabes, quibus illa regio parebat, eos in Ditiones Romanorum transfugere suspicarentur, armati occurrerunt, quos ubi Zacharias imminere conspexit, solus fugit proditis Discipulis, quos Arabes gladio ad internecionem deleverunt. Unde Zacharias non Pastor sed mercenarius & proditor ab omnibus habitus. Josephus autem currus suos Syriam versus dirigens irruentibus Arabibus dixit, se pristinas sedes reliquisse, ut pecoribus pinguia pascua quærerent.

Jo. 10. 12.

Quo

quo responso mitigati Arabes recesse- Sæculum IX.
runt. At Josephus captata occasione fu- A. C. 812.
giens cum grege suo rediit Episparim, cujus incolæ venienti cum facibus inter maximæ lætitiæ signa obviam processere. Dux in illis partibus, cui nomen Cricoracus, vir pius, hac re ad ipsum delata coacta militari cohorte Josephi ædes milite cinxit, & Discipulos ejus comprehendit. At Josephus fuga elapsus, Phrygiam petiit, & Antiochiæ Pisidiæ sedem elegit, ubi mortem oppetiit, postquam Hæresim annis triginta docuisset.

Josephus Successorem habuit Bahanem, juxta se stupro editum, Judæi & mulieris ex Armenia filium, Discipulum suum. Sed non multo post tempore alius nomine Sergius pudendæ factionis Ducem se præbuit. Is mulieris Manichææ blanditiis, cum juvenis esset, & colloquio seductus est; ajebat enim fæmina versipellis: *Dicunt, te esse laboris & virtutis amantem; cur ergo Evangelium non legis?* Ille respondit: *Nobis Laicis Evangelium legere non est permissum, sed id solum Sacerdotibus competit.* Tum Mulier: *Sacerdotes studiose cavent, ne vobis Mysteria Evangelii pateant, ideo non nisi partem vobis prælegunt. Atque, ut exemplum capias, legitur apud S. Matthæum: Multi di-* Matth. 7. 22.

Sæculum IX. A. C. 812.

cent mihi in illa die; Domine, Domine, nonne in Nomine tuo Dæmonia ejecimus, & multas virtutes fecimus? Et tunc confitebitur illis; quia nunquam novi vos. Qui sunt isti, ajebat Mulier, *quibus Dominus hæc dicet?* Sergius homo rudissimus, cum hæc verba omnino in Evangelio reperissset, rogavit mulierem, ut hæc sibi explicaret. Sed illa prius etiam alterum Textum ei attulit;

Luc. 13. 29. *Et multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob; & filii Regni ejicientur in tenebras exteriores.* Mox fœmina subdole: *Filii Regni sunt Sancti vestri, qui Dæmonia ejiciunt, & morbos pellunt, Sancti vestri, inquam, quos Deorum instar adoratis, derelicto Deo vivo & immortali. His in illa die justus Judex dicet: Non novi nos.* Ita hæc fœmina omnia loca Evangelii perverse explicans Sergium seduxit, & totum quantum Manichæum effecit. Ceterum vetus erat Manichæorum calumnia in Catholicos, quod illis Cultum Sanctorum tanquam Idololatriam exprobrarent. Nam id etiam in S. Augustino contra Faustum dispicimus.

Lib. XX. c. 4. 18. 21.

Sergius cum videret Sectæ suæ homines impudicitia infames omnibus Bonis horrori esse, a Bahane nefanda Manichæorum libidine se polluente recessit,

sit, mores magis pudicos professus. Sed hypocrisis erat. Porro sæpe Bahanes cum ipso jurgabatur: *Homo heri natus neminem Magistrorum nostrorum vidisti. Ego vero Domini Epaphroditi Discipulus sum, & quæ ab ipso accepi doceo.* His incitatus Sergius, quam execrabilia patraret, objecit, & ipso contempto Schisma in eam Sectam invexit. Hinc aliqui Sergiotæ & alii Bahanitæ dici voluerunt. At major numerus sequebatur Sergium, qui assumpto nomine Tychici, unius ex S. Pauli Discipulis, annis triginta quatuor ab Imperatricis Irenis temporibus usque ad regnum Theophili Imperatoris abominabilem Hæresim docuit. Sæculum IX. A. C. 812. *p.* 68. *p.* 60.

Hoc igitur loco Res Manichæorum sitæ erant, quando Michael Curopalata ad Imperium Græcorum pervenit.

§. LVI.

Res Christianorum in Oriente.

Christiani sub jugo Musulmannorum degentes illa tempestate maximas ærumnas pati cogebantur.

Califa Aaron *Rachid* mense Martio Indictione secunda, id est, anno octingentesimo nono, Hegiræ 193. decesserat, cum regnasset annis viginti tribus, & *Th. an.* 7. *p.* 409. *Elmac. Lib. II. c.* 6. *p.* 120.

Sæculum IX. A. C. 812.

& quadraginta octo in vivis fuisset, rerum gestarum fama nulli Antecessorum suorum secundus. Musulmannus Religiosissimus octies peregrinationem, cum Califa esset, ad Civitatem Mecham suscepit, Califarum, qui ipsi illo profecti sunt, ultimus. Quotiescunque non ipse proficiscebatur trecentos alios peregrinantes suis impensis alebat. Singulis diebus drachmas mille in pauperes elargiebatur, & centies genuflectebat. Comis & munificus viros doctos & Poetas colebat. Instantibus fatis Ditiones suas tribus ex filiis suis *Alamin*, *Almamon* & *Almoutamen* divisit, ita ut Alamin cui duos alios substituit suprema Califæ Dignitate emineret.

Elmac. c.7.

Ergo Aarone extincto filius ejus Mahomet Alaminus Califa salutatur, quamvis in Civitate *Bagdad* remansisset, cum Aaron Touſæ in Corasania defungeretur. Verum Alaminus juvenis erat tanto imperio impar, laboris impatiens, luſus amans, & obscenis cupiditatibus cedens. Cum econtra frater ejus Abdalla Almamon solertissimus esset & cunctis carus. Is in Corasania imperans copias contra Alaminum, qui ipsum imprudens lacessiverat, misit. Postquam annis quatuor bellum civile arsisset, Alaminus a suis proditur & interficitur anno Christi 813. Hegiræ 198. Annum ætatis

ætatis numerans vigesimum nonum, postquam annis quatuor & octo mensibus regnasset. Bellum istud civile mala ingentia post se traxit in Syria, in Ægypto, in Africa; quippe cædibus & latrociniis non modo Musulmanni sed etiam Christiani eorum subditi vexabantur. Jerosolymæ Ecclesia Resurrectionis item Calvariæ & omnes reliquæ profanatæ, & desertæ sunt. In eremo ex duabus magnis Lauris S. Caritonis & S. Sabæ, aliisque Monasteriis S. Eutymii & S. Theodosii omnes fugerunt. Anno octingentesimo duodecimo multi Christiani tum Monachi tum Laici in Palæstina & tota Syria solum vertere coacti, cum Musulmannorum sævitiam illo Anarchiæ tempore tolerare non possent, cædibus enim, rapinis, adulteriis & ultimis facinoribus cuncta miscebantur. Multi Christiani Martyrio affecti, multi in Cyprum Insulam & inde Constantinopolim fugientes, ab Imperatore Michaele & Patriarcha Nicephoro humanissime excepti.

Sæculum IX. A. C. 812.

Th. ibid.

id. an. 2. p. 423.

Patriarcha Monachis Constantinopolim advenientibus Monasterium ampliſſimum dedit, illisque qui in Cypro remanserant, misit auri talentum unum, quod nostræ monetæ librarum sexaginta quatuor millibus exæquatur.

Quod

Sæculum IX. A. C. 812.

Sup. Lib. XLI. §. 15.

Quod spectat ad Patriarchas Alexandriæ, Politianus Patriarcha Melchita, qui ad Concilium septimum Legatos miserat, postquam annis quadraginta sex Sedem tenuisset, extremum diem clausit Aaronis *Rachid* temporibus. Hic, cum medicinæ artem calleret, Bagdad accersitus, ut sanaret fœminam Ægyptiam, Califæ Pellicem, salutem mulieri sua industria reddidit, atque in solertiæ præmium magnam pecuniæ vim a Califa accepit & litteras, quibus omnes Ecclesiæ, quas Jacobitæ Melchitis eripuerant, restitui jubebantur. Factum etiam, quod Melchitæ petebant.

Eutych. to. 2. p. 408. 411.

Politiani Successor fuit Eustathius, qui postquam Sedem obtinuisset annis quatuor, Successorem habuit eodem Califa regnante Christophorum, qui annis triginta duobus sedit. Ei, quia paralysi laborabat, quidam Episcopus nomine Petrus Coadjutor datus, qui ipsius nomine Episcopos ordinabat. Patriarcha Jacobita Alexandrinus illo tempore, quo Aaron Califa e vivis abiit, erat Marcus, Joannis Successor. Is anno Hegiræ 193. Regni Aaronis ultimo Patriarcha ordinatus annos viginti Sedem tenuit. Ipso sedente Barsanuphiani, Secta a Jacobitis olim tempore Zenonis Imperatoris divisa, ad unitatem redierunt. Duos habebant

Melchitæ & Jacobitæ.

Sæculum IX. A. C. 812.

bebant Episcopos, qui Marcum Patriarcham adeuntes petierunt, ut se in Communionem suam reciperet. Ille, experturus an sincero essent animo, dixit, se eos Episcoporum loco non habiturum, cumque ipsi hoc Gradu indignos se profiterentur, misericordia motus domi suæ ambos retinuit honorem tanquam Episcopis exhibens, & Sedes, quæ post aliquod temporis spatium Episcopis defunctis vacarunt, contulit. Omnes deinde, qui huic Sectæ adhæserant, Communionem Marci amplexi sunt. *Chr. Orient. Sup. Lib. XLIV. §. 27 Elma. p. 122.*

Inter belli civilis furores, qui Califæ Aaronis fatum secuti sunt, capta fuit Alexandria & direpta; sed excesserat Patriarcha, qui annis quinque abfuit. Monasteria Vallis Habib direpta & incensa, annis deinde quadraginta fuere deserta.

Antiochiæ Patriarcha Melchita Aarone regnante fuit Theodoretus Theodori Successor, qui annis triginta & uno sedit. Patriarcha vero Jacobitarum erat Cyriacus, quo sedente quidam nomine Abraham novam Hæresim docens permultos Sectatores habuit. Cyriaci Successor fuit Dionysius, qui missa ad Marcum Patriarcham Alexandrinum Epistola sua Synodica, Responsum ab eo tanquam signum Communionis accepit. *Eutych. to. 2. p. 411. 428.* *Sup. Lib. XLIV. §. 2.*

Jero-

Sæculum IX. A. C. 812.

Jeroſolymæ Georgio Patriarchæ Melchitæ, qui Sedem annis triginta ſex obtinuerat, ſucceſſit Thomas ſeu Tamricus, anno Alamini tertio, JEſu Chriſti octingenteſimo undecimo. Sedit annis decem, cumque fornicem Eccleſiæ Reſurrectionis, ruinam minantem reparaſſet, ideo a Muſulmannis accuſatus, & carceri incluſus eſt, non enim licebat Chriſtianis Eccleſias ſuas ampliores reddere. Poſtquam autem in hanc rem inquiſitum & nulla major amplitudo Eccleſiæ apparuit, liber dimittitur. Hæc ſors erat Eccleſiarum in Oriente Muſulmannis regnantibus.

Elma. p. 123.
Sup. n. 22.
Eutych. p. 40

§. LVII.

Quæſtio, an Bulgari transfugæ remittendi.

Michael Imperator magnæ pietatis & mitiſſimi ingenii, at rebus gerendis parum idoneus præcipuorum de purpuratis arbitrio, præſertim Theoctiſti Officiorum Magiſtri ducebatur. Anno Regni ſui ſecundo Rex Bulgarorum pacis pangendæ conditiones miſit, quarum una erat, ut viciſſim transfugæ remitterentur. Fuere, qui Imperatori ſcrupulum moverent; non licere Bulgaris Infidelibus populares ſuos reddere, qui Chriſtianam Fidem amplexi fuiſſent. Itaque

Th. p. 424.
Id. p. 422.

que rejecta pace Bulgarorum Rex urbem Mesembriam, quod ante minatus fuerat, obsidione cingere cœpit. Tunc vero Imperator turbatus suos ad consilium convocat prima Novembris anno octingentesimo duodecimo, atque etiam Nicephorum Patriarcham & Metropolitas Nicenum & Cyzicenum adesse jubet. Hi tres Antistites suadebant, arripiendam esse pacem, quam etiam Imperator cupiebat. At Theodorus Studita & plures alii obsistebant illum Evangelii locum afferentes: *Eum qui venit ad me non ejiciam foras.* Aliis vero videbatur, præferendam esse liberratem permultorum Christianorum, quos Bulgari detinerent, utilitati paucorum Bulgarorum, qui apud Christianos essent; dicere S. Paulum, qui Domesticorum curam non haberet, esse Infideli deteriorem. Præterea non nullos Bulgaros, qui in Regia erant, fuisse remissos, etiamsi transfugæ non essent, & inita pace servari potuissent. Nihilominus vicerunt, qui contrarium sentiebant, pacis conditiones rejectæ, & elapso quatriduo allatum est nuncium, Bulgaros Mesembriam in suam potestatem redegisse.

Sæculum IX. A.C. 812.

Joan. 6. 37.

§. LVIII.

S. Platonis obitus.

Interea S. Plato annos numerans septua-

Sæculum IX. A. C. 813. ginta novem in cella clausa non amplius degebat, quia vires deerant, quibus corporis necessitatibus sine alterius auxilio satisfaceret. Jam in lecto decumbens, jam sedens Psalmos recitabat, Orationi mentali vacabat, fratribus loquebatur, quos docebat, exhortabatur, consolabatur, nec genua flectere, nec libros legere valens. Id vero dolebat maxime, quod Officiis Divinis interesse & manibus suis laborare non posset. Gratias Deo agebat pro omnibus obsequiis, quæ sibi infirmo exhibebantur, pro alimentis, pro balneo, quo ex obedientia utebatur. Sed non modice affligebatur, quod plurimum de asperitate vitæ dimittere cogeretur. In morbum incidit in Quadragesima anno octingentesimo decimo tertio, eumque Monachi exteri, licet alias illo tempore in solitudinem secedere solerent, invisebant. Ipse Nicephorus Patriarcha cum omnibus Clericis suis venit, petiit ut pro se oraret, & jacentem amplexus est. Unde apud cunctos pristinæ inimicitiæ suspicio evanuit. Ægrotans omnibus, qui se persecuti fuerant, ignovit & pro iis oravit. Theodoro Abbati interroganti, an de re nulla ultima voluntate decernere vellet, manu vestem excutiens submississima voce respondit: Nihil amplius habeo, omnia vobis

vit. c. 7. n. 41.

n. 42.

vobis dedi. Tandem ægrius spiritum trahens labia tamen movens & canticum de Resurrectione recitans animam reddidit. Dies agebatur, qua Ecclesia Græca Lazari a mortuis suscitati memoriam celebrat, id est Sabbatum ante Dominicam Palmarum, quod illo anno octingentesimo decimo tertio in decimam nonam Martii incidebat. Sæculum IX, A. C. 813.

Credibile est, solemnes Exequias ob Hebdomadam majorem & deinde Paschalem fuisse dilatas usque ad quartam Aprilis, qua die Ecclesia ejus memoriam agit. Pompam funebrem ipse Patriarcha plurimis cereis ardentibus & multo adhibito thure celebravit. Et tunc sine dubio S. Theodorus Studita pronunciata Oratione funebri S. Platoni Patruo & Patri suo Spirituali parentavit. Nec aliam hujus S. Viri vitam habemus. Vix corpus defuncti tumulo condi potuit, obsistente populi multitudine, quæ aspectu carissimi Patris, licet vita functi, satiari non poterat. *V. Pape. præf. n. 8. Menelog. Mart. Rom. 4. April. Vit. Theod. St. n. 55.*

Ergo Monasterio Studiensi tunc florentissimo exinde S. Theodorus solus præfuit. Monachi Sacræ Scripturæ studebant, Divinum Officium magna cura celebrabant, nec ideo laborem manuum negligebant. Imo opera hominum o- *vit. Theod. n. 57.*

Sæculum IX. A. C. 813.

pinione vilia maximi faciebant, utique aptissima ad conservandam humilitatem & ad vitæ necessaria comparanda, quin Monachi inopia premente sæpe exire cogerentur, quod pietatem minuit, & Spiritus stabilitatem evertit. Hinc in ipso Monasterio ad omnes artes incumbebant. Inerant Cæmentarii, Tignarii, Ferrarii, Textores, Sutores, Restiarii, qui manibus laborantes Hymnos Psalmosque cantabant, ita ut sæcularium animi sedulitatem & modestiam eorum conspicientium ad cœlestia erigerentur. Cuncti Monachorum Studiensium Disciplinam laudabant. Multi autem eorum persecutionibus aut quacunque demum occasione dispersi fundarunt Monasteria, quæ a Studiensi & Nomen & Disciplinæ perfectionem acceperunt.

§. LIX.

Michael deponitur. Leo Armenus Imperator.

Theoph. p. 425.

Eodem anno octingentesimo decimo tertio Michaele Imperatore bellum in Bulgaros movente, & populo Constantinopolitano ad Ecclesiam Apostolorum inter preces publicas cum Nicephoro Patriarcha procedente Iconoclastæ & Pauliciani, in tanta hominum multitudine laten-

latentes, januam Sepulchri Imperatorum, qui in hac Ecclesia jacebant, nemine ad fraudem advertente, admotis vectibus emoverunt, effeceruntque, ut repente & ingenti strepitu aperiretur, quo omnes crederent, rem non sine miraculo fieri. Tum promptissime intrantes coram sarcophago Constantini Copronymi prostrati eum invocare: *Surge, & imperium ab interitu vindica.* Mox in vulgus sparserunt, eundem a multis conspectum fuisse equo vectum exire, contra Bulgaros pugnaturum. A Præfecto Civitatis Constantinopolitanæ comprehensi primo dixerunt, januam illam nemine manum admovente fuisse recluſam; sed in judicio interrogati dolum confessi sunt, priusquam id tormenta exprimerent. Hos Præfectus vectibus tundi & per urbem circumduci jussit, imaginum Cultum & Monachorum Institutum execrantes, cum eos potius crimen suum abominari oportuisset. Sæculum IX. A. C. 813.

Eodem mense Junio die vigesima secunda cum Romani † prope Adrianopolim in conspectu hostium starent, tanta vecordia in fugam effunduntur, ut Crumnus Bulgarorum Rex dolum & insidias suspicaretur. Michael Imperator juxta ceteros tergum vertit & Constantinopo- † Græci

Sæculum IX. A. C. 813.

lim contendens tum milites, tum Duces furiis omnibus devovebat, cum juramenti fide sæpe affirmans, imperium se abdicaturum. Hujus consilii ab ira & indignatione suggesti Leonem Patricium Natoliæ Præfectum, Successorem deinde suum, conscium fecit, qui primo quidem supremam Dignitatem recusavit; cum vero a comilitonibus & copiarum Ducibus digniſſimus proclamaretur, consensit, datisque ad Patriarcham litteris, se fidem sequi Orthodoxam professus est, ipsiusque suffragium petiit. Tunc publice Imperator salutatur ab omnibus. Quo comperto Michael cum uxore Procopia & liberis ad Ecclesiam confugit, ibique omnes abscissis capillis habitum Monasticum induunt, postquam regnasset Michael annum unum & menses novem. Postera die undecima Julii Indictione sexta nempe anno octingentesimo decimo tertio Leo a Nicephoro Patriarcha in suggestu magnæ Ecclesiæ Imperator coronatur. Is patre natus erat Barda Patricio & origine Armeno, unde nomen hæsit. Nihil eorum, quæ ad Civitatem Constantinopolitanam defendendam necessaria erant, omisit; hinc Bulgarorum Rex usque ad portas perveniens eam obsidere non est ausus. Cum vero ad colloquium invitatus explorasset,

set, sub amicitiæ specie insidias latere & Leonem sibi necem machinari, perfidiæ furiose indignans recessit, Ecclesias incendit, totam illam regionem, quæ usque Adrianopolim protenditur vastavit, ipsamque urbem obsedit & cepit. Sæculum IX. A. C. 813.

Incolas omnes captivos in Bulgariam abstraxit Crumnus, atque inter alios Manuelem Archiepiscopum, qui exilii tempus in lucrum animarum impendens, a fratribus captivis adjutus permultos Bulgaros ad fidem Christianam convertit. Verum Crumno Rege sublato ejus Successor Christiana Sacra perosus Archiepiscopum Manuelem, prius manibus ab humeris amputatis, mox per medium gladio dissectum feris devorandum projecit. Georgium Archiepiscopum Deboltenum, aliumque Episcopum nomine Petrum prius crudelissime dilaniatos securi percuti jussit. Leonem Episcopum Nicenum fisso ventre interfici & Presbyterum Parode lapidibus obrui imperavit. Ipso mandante Leo & Joannes Tribuni, atque etiam Gabriel & Sionius capite truncati. Trecenti septuaginta septem Christiani in hac persecutione, quod Fidem Christianam abjicere noluerint, interempti traduntur, quos Ecclesia Græca omnes velut Martyres *Boll.* 22. *Jan.* to. 2. 441.

Sæculum IX. A.C. 813. vigesima secunda Januarii solito honore prosequitur.

§. LX.

S. Theophanis initia.

Bolt. 12. Mart. to. 7. p. 213.

Hic, videlicet, Leone coronato & capta Adrianopoli Civitate Theophanes Historiæ suæ finem imposuit, qui Constantinopoli parentibus piissimis & opulentis natus erat. Patre ipsius, tempore quo præfecturam Archipelagi gerebat, fatis functo, mater pueri curam sola suscepit, & vix duodennem compulit, ut puellæ prædiviti matrimonium promitteret. Theodora quoque defuncta, cum Theophanes ampliſſimi patrimonii Dominus esset, instante socero nuptias quidem celebravit, sed persuasit sponsæ, ut ad servandam in conjugio continentiam consentiret, quippe Theophanes cujusdam familiaris sui hortatu excitatus dudum vitæ Monasticæ desiderio tenebatur. Porro re ista offensus socer (nam viro sagaciſſimo suboleverat Theophanis propositum) Leonem Imperatorem, Copronymi filium, adiit, & in suam facile pertraxit sententiam. Is ut juvenem ab amore solitudinis Monasticæ abstraheret, Cyzicum misit, jussitque illam Civitatem vallis & propugnaculis munire

munire. Theophanes impigre imperata fecit, & deficiente ærario publico de suo addidit. Verum nactus ibi occasionem invisendi Monasterium Singrianense, inde non procul dissitum, noviſſe cœpit Virum Sanctum nomine Gregorium, quem eundem ac Abbatem Agaurensem in monte Olympo fuisse credunt. Sæculum IX. A.C. 813.

Postquam Leo Imperator & Socer Theophanis in vivis esse desierunt, imperante Irene demum suo arbitrio vitam instituit. Divitias suas dedit pauperibus, mancipia manumisit, uxorem in Monasterium Insulæ Principis misit magnis muneribus cumulatam. Ipse in Monasterium Singrianense se recepit, ubi in Cellula describendis libris operam dabat. Sex annis deinde in Insula Calonyma, ubi Monasterium fundaverat, commoratus Singrianum rediit, fundavitque haud procul inde Monasterium aliud in loco, qui campus amplus dicebatur, cujus tandem Regimen in se suscepit. *Theoph. Præf.*

Georgius Abbas Tarasii Patriarchæ Syncellus Chronographiam seu Compendium Historiæ Universalis a Creatione Mundi scribere cœperat, quam usque ad Imperium Diocletiani perduxit; sed morti proximum se sentiens Theophanem Abbatem amicorum suorum o-

Sæculum IX. A. C. 813.

ptimum rogavit, ut eam continuaret. Theophanes opus usque ad ſua perduxit tempora. Itaque duæ hæ partes conjunctæ continuam hiſtoriæ ſeriem exhibent. Theophanes annos Incarnationis numerans ſequitur Rationarium Alexandrinorum, quod annis octo poſterius quam noſtrum incipit. In eo Critici non nullos Chronologiæ errores notarunt. S. Platoni & S. Theodoro Studitæ non ſemper favet, nam ei non probatur, quod Electioni Nicephori Patriarchæ adverſati fuerint, nec illud, quod Theodorus Bulgaros transfugas remitti prohibuerit. At, cum Leo Imperator Regem Bulgarorum per Sicarios tollere conſtituiſſet, facinus ſuo calculo approbare videtur.

FINIS TOMI X.

INDEX

INDEX
RERUM ET NOMINUM
TOMI X.

A.

Aaron Califa. Caroli M. Amicus. Pag. 633. & 660. obit. p. 747.
Adalardus Corbejenſis. p. 719.
Adalbertus & Clemens hæretici. p. 175. deponuntur. p. 183.
Adoratio. Quid ſignificet. p. 498.
Aiſtulphus Rex Longobardorum. Exarchatum ſibi ſubjicit. p. 213. & reſtituere abnuit. p. 232. bello petitur. p. 240. Romam obſidet. p. 244. obit. p. 268.
Alcuinus. p. 412. in Francia. p. 548. ejus Liber contra Felicem. p. 552. contra Elipandum. p. 616. ejus virtutes & vita. p. 618. Scholæ. p. 620. Scripta. p. 622. & ſeqq.

Alexan-

Alexandria. Cosmus Patriarcha Melchita. p. 116. Patriarchæ Jacobitæ Cosmus, Theodorus, Michael. p. 117. Cosmo Melchitæ succedit Politianus. 273. Jacobitæ Michaeli succesſit Menas, & huic Joannes. p. 450. Politiano succedunt Eustathius, Christophorus, Petrus Coadjutor. p. 750. Jacobitæ Joanni succesſit Marcus. ibid.

S. Ambrosius Autpertus. Ejus vita. p. 385. Libri. ibid. obtinet a Carolo Litteras Confirmationis. p. 387.

Anglia. Egbertus Rex Nordhumbriæ. p. 47. Ceolulfus. p. 50. Sigebaldus in Occidentali. p. 94. Aelbualdus in Orientali Anglia. ibid. Ethilbertus Cantii. ibid. Ethelbaldus Rex Merciorum. p. 173. Alcretus Rex Nordhumbriæ. p. 407. alii Reges. p. 508. Quenulfus Rex Merciorum Offæ Succesſor. p. 598.

S. Aniani Canonicorum Monasterium. pag. 431.

Animæ Beatorum. Ante Judicium in Cælo sunt. p. 625.

Anna Sanctimonialis Montis Auxentiani p. 288.

S. Anselmus Nonantulanus p. 214.

S. Anthusa. p. 532.

Antiochia. Stephanus Patriarcha. p. 116. Athanasius Jacobita. p. 118. Joannes. ibid. Theophylactus Melchita. pag. 153. Patriarchæ Jacobitæ Isaac, Athanasius, Geor-

Georgius & quidam Anonymus. p. 217. & seq. Theodorus Melchita. pag. 218. relegatur. p. 272. Theodoro succeſſit Theodoretus Melchita. p. 449. Patriarchæ Jacobitæ David intruſus, Georgius, & Cyriacus. pag. 451. Dionyſius. pag. 751.

Antipodes. An dentur. p. 199.

Apoſtoli. Itinera Apoſtolorum Liber apocryphus. p. 483.

Arno Salisburgenſis. Delegatus in cauſa Leonis III. p. 613. & ſeq.

Artabaſtus Imp. p. 115.

Augia Dives Monaſterium. Abbatem habuit Epiſcopum Conſtantienſem Sidonium. p. 266.

Auguſta Vindelicorum. Vizo Epiſcopus. p. 132.

B.

Baptiſmus. Collatus in nomine Patria &c. p. 171. ſub conditione quando conferendus. p. 260. baptizans idem & Patrinus. p. 412.

Bardanes Imp. Monachus. p. 635. oculis privatur. ibid.

Bavaria. Hubertus Dux. p. 91. Odilo Dux. p. 101. quatuor Epiſcopatus. p. 102. Thaſſilo Dux. p. 278. Homagium præſtat. ibid. Concilium celebrari jubet. p. 376. Ottilo Dux. ibid. Inter Thaſſilonem & Caro-

Carolum Regem Papa Mediator. p. 512. Ducatui renuntiat, & fit Monachus. pag. 569. & seq.

S. Beatus. Ejus Liber contra Elipandum. p. 540.

S. Beda. Ejus Historia. p. 46. Epistola. p. 48. vita. p. 52. Libri. p. 54.

S. Benedictus. Regula illius præcipitur generatim observari a Monachis. p. 135. & 139.

S. Benedictus Anianensis. Vita illius. p. 664. & seqq.

S. Bonifacius. Archiepiscopus. p. 42. Epistola ad Northelmum. p. 91. tertio Romæ. p. 94. Epistola ad Zachariam Papam. p. 126. ad Cutbertum. p. 136. ad Ethelbaldum Regem. p. 173. Coloniæ & demum Moguntiæ. p. 185. Epistola ad Stephanum Papam. p. 251. ad Fulradum. p. 254. ejusdem martyrium p. 256. Scripta & Discipuli. p. 260.

Bremensis Episcopatus. p. 519.

Bulgari. Multi convertuntur. p. 759.

C.

Canones. Contra eos non decernit Sacra Sedes. p. 129. Canonum Codex datus Carolo. p. 384. Canones Apostolorum quot apud Græcos. p. 462.

Canonici. In communi viventes. pag. 305. omnes

omnes Canonici recipiunt Regulam S. Chrodegangi. p. 316. a Monachis distincti. p. 431.
Capitulare Aquisgranense. p. 522.
Capitulare Caroli M. p. 356. & 402.
Capitulare Interrogationum. p. 724.
Capitulare Italiæ. p. 575.
Capitulare Saxoniæ. p. 519.
Carintbia. Ecclesiæ initia. p. 377. convertitur. p. 615.
Carolini Libri. p. 525. Concilium VII. oppugnant. p. 527.
Carolomannus Princeps Austrasiæ, Sueviæ &c. p. 109. Monachus Cassinensis. p. 189. obit. p. 238.
Carolomannus Rex Franciæ. p. 354.
Carolus M. Rex Franciæ. p. 354. expeditio in Saxones. p. 376. Romæ. p. 380. Donatio amplior. p. 384. Rex Longobardorum. p. 385. secundo Romæ. p. 412. tertio Romæ. p. 511. Litterarum Fautor. p. 514. Epistola ad Hispanos. p. 560. Imperator. p. 628. Legati ex Oriente ad eum mittuntur. p. 632. Filii ejus. pag. 658. Testamentum p. 722. Pax cum Imperatore Orientis. p. 737.
Carolus Martellus. Saracenos vincit. p. 63. obit. p. 107.
Cassinense Monasterium. S. Willibaldus ibidem. p. 99. Abbati Petronaci succedit Optatus. p. 194.

Childe-

Childericus Rex Franciæ. p. 142. In Monasterium detruditur. p. 206.
Chorepiscopi. Abolentur. p. 637. non sunt Episcopi. p. 639.
Chrodegangus Episcopus Metensis. p. 231. ejus Regula. p. 303.
Clerici. Non militent, nec venentur. p. 133. fœmina cum Presbytero in una domo non sit. p. 4[illegible].
Colonia Agrippina. Reginfridus seu Rainfredus Episcopus. p. 132. S. Bonifacius. p. 185. Hildebertus & Hildegarius Episcopi. p. 253. Hildebaldus Archiepiscopus. p. 572.
Concilia. Conditiones necessariæ. p. 694.
Concilia Angliæ. p. 599. & 653.
Concilium Calcuthense. p. 508.
Concilium Cloveshovense. p. 186.
Concilium Compendiense. p. 276.
Concilium Constantinopolitanum. In causa SS. Platonis & Theodori. p. 697.
Concilium Forojulense. p. 543.
Concilium Francofordiense. p. 559. Canones. p. 563.
Concilium Gentiliacense. p. 324.
Concilium Germaniæ. Sub Carolomanno. p. 132. Aliud. p. 172.
Concilium Iconoclastarum. p. 219. Definitio Fidei. p. 220.
Concilium Liptinense. p. 139.
Concilium Narbonense. p. 541.

Concilium Nicænum II. Universale VII. p. 454. Episcopi pœnitentes recipiuntur. p. 457. Acta. p. 462. & seqq. Canones. p. 502.

Concilium Romanum. Sub Gregorio III. pro Imaginibus. p. 71. sub Zacharia. p. 148. contra Adalbertum. pag. 178. sub Stephano IV. p. 358. Aliud. pag. 604.

Concilium Suessionense. p. 142.

Concilium Vermerience. p. 208.

Concilium Vernense. p. 263.

Confessarius. Martinus Monachus Corbejensis ordinarius Caroli Martelli Confessarius. p. 108. Confessarii Castrenses. p. 133.

Confessio. S. Wigbertus Confessionem excepit. p. 44. confessio peccatorum occultorum. p. 177. auricularis. p. 307. præcepta. p. 313. si quis peccatum confiteri omiserit, punitur. ibid. milites confitentur in bello. p. 356. confessio in mortis articulo. p. 357. confessionis necessitas. p. 434. etiam cogitationes confiteri debemus. ibid. confessio peccatorum coram Presbytero necessaria. p. 625.

Confessores. A justis distincti. p. 346.

Constantinopolis. Pulso S. Germano intruditur Anastasius Iconoclasta. p. 15. Con-

ſtantinus. p. 220. pulſo Conſtantino intruditur Nicetas Patriarcha. p. 324. Paulus. p.410. obit Catholicus. p.437. Taraſius ſuccedit. p. 438. & huic Nicephorus. p. 656. Schiſma. p. 684.

Conſtantinus Antipapa. p. 326. pœnitens. p. 359.

Conſtantinus Copronymus Imp. p.113. reſtituitur. p. 152. perſequitur Catholicos. p. 269. & 322. obit. p. 392.

Conſtantinus hæreticus. p. 739.

Conſtantinus Leonis Armeni, & Irenis Filius Imp. cum Matre Irene præeſt Imperio. p. 411. Mariam ducit conjugem. p. 531. ſolus imperat. p. 533. ducit Theodotam. p. 777. obit. p. 601.

Conſtantinus Nacolienſis Iconoclaſtarum auctor. p. 3.

Conſtantinus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Capite plectitur. p. 340.

Continentia. Conjuges Diebus Dominicis continentiam ſervent. p. 546.

Conventus Attiniacenſis. p. 304.

Conventus Cariſiacenſis. p. 235.

Crumnus Bulgarorum Rex. p. 757.

Crux. Ante crucem ſtare quid ſit. pag. 402.

S. Cyprianus. Ipſius Reliquiarum Translatio in Franciam. p. 660.

Decre-

D.

Decretales. Quænam falsæ. p. 423.
Degradatio. Illius exemplum. p. 341.
Depositio. Presbyteri vel Abbates non deponantur inconsulto Archiepiscopo. pag. 545.
Desiderius Rex Longobardorum. pag. 268. obit. p. 385.

E.

Ecclesia. Cui promissa sit assistentia S. Spiritus. p. 10. ejus potestas quomodo a Sæculari distincta. p. 39. ejusdem Jurisdictio. p. 40.
Ecclesia Orientalis. Illius Episcopi Orthodoxi. p. 282. ejus Status. p. 446.
Ecclesia Romana. Ditiones dono accipit a Pipino Rege. p. 237. etiam Ducatum Ferrarienſem. p. 269. Donatio Caroli M. p. 384.
Eichstadium. S. Willibaldus primus Episcopus. p. 132.
Elipandus Toletanus. Hæresin docet. p. 538. ejus Epistola ad Fidelem. ibid.
Elwangense Monasterium. Fundatur. pag. 359.
Episcopus. Si fornicatus fuerit, non amplius officio fungatur. p. 128. consensus Regis

gis petitur ad eligendum Episcopum. p. 254. Episcopi in Monasteriis quales. p. 421. per se ipsos populum doceant. pag. 524. a militia eximuntur. p. 640. Libellus Carolo oblatus & responsum. pag. 641. & seq.

Equus. Illius carnes non comedendæ. pag. 44.

Evchariſtia. Communio frequens. pag. 51. adoratur. p. 82. præsentia Christi realis. p. 159. Frequentius communicent infantes & senes. p. 188. Panis Divinus, Corpus Divinum. p. 223. Sacramentum. p. 436. non imago, sed ipsum Corpus & Sanguis Christi. p. 492. non nunquam appellatur figura aut signum. pag. 493.

Exemptio. Monasterium Fuldense eximitur a Jurisdictione Episcoporum. pag. 201.

F.

Felix hæreticus. p. 535. recantat. p. 547. relabitur. p. 550. ejus Libri. ibid. Romæ damnatur. p. 604. ejus retractatio. p. 610.

Frisinga. Erembertus Episcopus S. Corbiniani Nepos. p. 102.

Fuldense Monasterium. Fundatur. p. 166.

S. Fulradus. p. 207.

G.

S. Gallense Monasterium. Fundatur. pag. 190.
S. Georgius Martyr. Caput illius invenitur. p. 210.
Georgius Pseudo-Monachus. p. 292.
S. Germanus Constantinopolitanus. Ejus Epistolæ pro Imaginibus. p. 3. & seqq. pellitur. p. 17.
S. Gregorius II. Papa. Epistola illius ad S. Germanum de Imaginibus. p. 12. resistit Imperatori. p. 24. obit. p. 27.
S. Gregorius III. Papa. p. 32. Epistola ad Leonem Isaurum. p. 33. Ad S. Bonifacium. p. 42. altera. p. 102. Consulatum Urbis Romanæ offert Carolo Martello. p. 104. Epistola ad eundem. pag. 105. obit. p. 109.
S. Gregorius Ultrajectensis. obit. p. 394.
Guilielmus Dux Aquitaniæ. In Monasterium Gellonense ab ipso fundatum se recipit. p. 675.

H.

Hadrianus Papa. p. 371. Collectio Canonum. p. 423. Epistola ad Imperatorem. p. 442. consentit in Concilium. p. 443. Epistola contra Elipandum. p. 557.

Reſponſum ad Libros Carolinos. p. 565. obit. p. 589.
Hatumarus Paderbornenſis. p. 608.
Herbipolis. Epiſcopatus fundatur. pag. 125. S. Burchardus. p. 126.
Hiſpania. Reges Pelagius, Alphonſus, & Froila. p. 120. & ſeq. Chriſtiani ſub Arabum poteſtate. ibid. Froilæ ſuccedit Aurelius. p. 356. Silo Rex. p. 540. Alphonſus, Mauregatus, Veremundus, iterum Alphonſus. ibid. Alphonſus Caſtus. p. 603.
Honorius Papa. Inter condemnatos. pag. 491.

I.

Jejunium. Modus jejunandi Sæculo VIII. p. 434. & ſeq. non jejunat, qui ante veſperam comedit. p. 435.
Jeroſolyma. Theodorus Patriarcha, dein Elias, Melchitæ. p. 118. Thomas. pag. 660. Georgio ſuccedit Thomas pag. 752.
JEſus Chriſtus. An Filius Adoptivus. p. 536. & 550.
Imagines. Rejiciuntur. p. 2. defenduntur. p. 3. Divinitas non pingebatur. pag. 5. perſecutio. p. 72. cur Chriſtus non debeat pingi. p. 221. illarum cultus ſtabilitur. pag. 472. & ſeqq.

Ingilramus Episcopus Metensis. Collectio Canonum, & falsæ Decretales. p. 423.
Interdicta. Localia non probantur. pag. 503.
Joannes Damascenus. Imaginum Patronus. p. 73. Sermones p. 74. alii Libri. p. 156. ejusdem Theologia ferme Scholastica. ibid.
Joannes Thessalonicensis. Liber illius de Imaginibus. p. 481.
Irene Imperatrix. Ejus cum Filio jurgia. p. 533. sola imperat. p. 600. pellitur. p. 634. moritur. ibid.
Irminsul Idolum. p. 376.
Isidorus Mercator. Collectio Decretalium. p. 424.
Jurisdictio Ecclesiastica. Judex Sæcularis non condemnat Clericum sine scientia Episcopi. p. 358. Presbyter in Criminalibus judicetur ab Episcopo. p. 573. Ecclesiasticis non licet capitis damnare. pag. 738.

L.

S. Lebwinus. p. 397.
Lectiones Nocturnorum. p. 515.
S. Leidradus Archiepiscopus Lugdunensis, p. 661. Epistola ad Carolum M. p. 662.
Leo Isauricus Imp. Imagines persequitur. p. 1. & 20.

Leo IV. Armenus Imp. p. 392. Iconoclasta. p. 410. obit. p. 411.
S. Leo III. Papa. p. 593. Concilium contra Felicem. p. 604. conjuratio. p. 606. ad Carolum proficiscitur. p. 607. se defendit. p. 626. Carolum coronat. p. 628. iterum in Francia. p. 644. Colloquium de Processione Spiritus S. etiam a Filio. p. 712.
S. Lioba seu *Liobigutha.* p. 168.
Litteræ. Litterarum Status sub Carolo M. p. 620.
S. Ludgerus. p. 416. & 646.
Ludovicus Rex Aquitaniæ. p. 413. Disciplinam promovet. p. 682.
Luitprandus. Romanis bellum infert. p. 104. obit. p. 150.

M.

Magia. Nemo hoc titulo vita privetur. p. 520.
Mahometani. Owalidus II. p. 118. Yezid III. Ibrahim, Merovanus. p. 153. Ibrahim Abdalla. p. 216. Abujafar. p. 218. Christianos persequuntur. p. 272. Almanzor Califa. ibid. Mahadi. p. 393. Moyses & Aaron. p. 449. & seq. Aaroni succecedunt Alaminus & Almamon. p. 748.

Manichæi seu Pauliciani. In Oriente. pag. 737. Manetis deliria. p. 739.

Mantua. Sanguis JEsu Christi inventus. p. 644.

S. Maria. Ejus Nativitas & Matrimonium. p. 160. An Mater Christi vel Dei. pag. 302. De Ejus Assumptione quid S. Autpertus dicat. p. 386. colenda supra omnes Virtutes Cælestes. p. 479.

Martyrologium Romanum. Prima de eo mentio. p. 188.

Matrimonium. Si dubium, an consummatum sit, Marito credendum. p. 277. lepra dissolvitur. ibid.

Michael Imp. Græcorum. p. 733. abdicat. p. 758.

Mindensis Episcopatus. p. 420.

Missæ. Dicendæ pro defunctis. p. 304. Missarum Stipendia. p. 307. Missæ privatæ. p. 433.

Mæchiani hæretici. p. 711.

Moguntia. Geroldus & Gervilio Episcopi. p. 172. Metropolis. p. 185. S. Bonifacius Archiepiscopus. ibid. Lullus. p. 254. S. Sturmio contrarius. p. 405. Riculfus. p. 427. Rhabanus. p. 621.

Monasteria. Pueri in iis erudiuntur. p. 255. ex Monasterio laxo ad magis regulare cum Episcopi consensu transire licet.

pag. 264. fundata in Aquitania. pag. 682.
Monasterienſis Epiſcopatus. p. 648.

N.

Nicephorus Conſtantinopolitanus. Ad Papam ſcribit. p. 735.
Nicephorus Imp. p. 634. Fata. p. 729.
Nonantulanum Monaſterium. p. 214.
Nuptiæ. Secundæ an licitæ. p. 707. inducunt privationem S. Communionis ad annum. pag. 708.

O.

Odo Dux Aquitaniæ. p. 60.
Oecumenicus Patriarcha. Papa hunc titulum reprehendit. p. 444.
Offa Rex Merciorum. Romæ. p. 592.
Oratio. JEſu Chriſti oratio confertur orationi Spiritus S. p. 555.
Ordinatio. Epiſcopi ordinati ab Antipapa iterum ordinantur. p. 361. ordinati ab hæreticis an recipiendi. p. 463. & ſeqq.
Organum. Primum ex Oriente affertur. p. 278.
Osnabrugenſis Epiſcopatus. p. 516.
S. Othmarus. Incontinentiæ per calumniam accuſatus deponitur. p. 265.

P.

Paderbornenſis Epiſcopatus. p. 608.
Papa. Imperatorem Dominum ſuum dicit. p. 25. ſine ipſius approbatione Res Eccleſiaſticæ non poſſunt in Conciliis definiri. p. 299. Decreta de ejus electione. p. 360. ejus ſententia in Concilio attenditur. p. 457. argumentum Doctrinæ Catholicæ. ibid. Sedes Apoſtolica a nemine judicatur. p. 627. ad eum omnes errores referendi. p. 710.
S. Pardulfus. p. 68.
Paſſavium. Vivilo Epiſcopus. p. 102. Archiepiſcopatus. p. 614.
Pauliciani hæretici. Doctrina illorum. pag. 737. & ſeqq.
Paulinus Aquilejenſis. p. 558. Liber contra Elipandum. ibid. obitus, & alii Libri. p. 640.
Paulus Diaconus. Ipſius Hiſtoria. pag. 151. alii Libri. p. 515. & ſeq.
S. Paulus Papa. p. 275. ejus ædificia. p. 278. epiſtolæ ad Pipinum. p. 281. obit. pag. 325.
Peregrinationes. Romanæ nocent. p. 138.
Pipinus Princeps Burgundiæ & Neuſtriæ. p. 109. Rex Franciæ. p. 206. Donat Exarchatum Eccleſiæ Romanæ. pag. 250. obit. p. 353.

Pipinus

Pipinus Rex Italiæ Caroli M. Filius. p. 413. Hunnos & Sclavos in Fide erudiri curat. p. 614.
S. *Plato*. p. 581. Obedientiam profitetur. p. 602. obit. p. 754.
Pœnitentia. Sacramentalis non mutetur in eleemosynas. p. 188. statim post Confessionem reconcilietur pœnitens. pag. 261.
S. *Porcarius* Martyr cum quingentis Monachis. p. 65.
Prumiense Monasterium. Fundatur. pag. 354.

R.

Rachis Longobardorum Rex. Monachus. p. 192.
Ratisbona. Goibaldus Episcopus. p. 102.
Ravenna. Leo Episcopus Michaele pulso. p. 367.
Regula pro Canonicis. Desumpta ex Regula S. Benedicti. p. 307.
Religio. De ea Episcopi, non Principes judicent. p. 86. & 89.
Roma. Obsidetur ab Aistulpho. p. 244. an Imperatoribus supremum in eam Dominium tunc fuerit. p. 282.
S. *Rupertus*. Corpus illius ex Monasterio in aliam Ecclesiam transfertur. p. 377.

S.

Salisburgum. Joannes Episcopus. p. 102. S. Virgilius. p. 376. Bertricus & Arno Episcopi. p. 614. restituitur Dignitas Archiepiscopalis. ibid.

Saxonia. Innumeri Saxones baptizantur. p. 401. multæ ibidem fundantur Ecclesiæ. p. 645.

Smaragdus Abbas. Libri ejus. p. 718.

Spiritus Sanctus. Quæstio de voce: *Filioque.* p. 325. Ejus Processio a Filio. pag. 712.

Stauratius. Coronatur. p. 658.

S. Stephanus Abbas. p. 270. Imagines defendit. p. 285. ejus miracula. pag. 316. in carcere. p. 328. Martyrium. p. 336.

Stephanus II. Papa. p. 211.

Stephanus III. Papa. p. 212. Francos in auxilium advocat. p. 229. Colloquium cum Rege Aistulpho. p. 232. iter in Franciam. p. 233. Civitates dono accipit. p. 237. jubet Proceres Franciæ non alia ex Stirpe, quam Carolina Regem eligere. p. 239. Epistola ad Pipinum Regem. p. 242. & seq. & 269. obit. pag. 274.

Stephanus IV. Papa. p. 350. Epistola ad Reges Franciæ contra Longobardos. pag. 367.

S. Stur-

S. Sturmius. p. 163. & 404.

T.

S. Tharasius Constantinopolitanus. Concilium Universale petit. p. 441. Constantino resistit. p. 579. obit. p. 654.

Theodoricus Episcopus ad Dravum. p. 614.

Theodorus Jerosolymitanus. Epistola Synodica illius. p. 346. Imagines colendæ & Sancti. ibid.

S. Theodorus Studita. p. 586. ab exilio revocatur. p. 601. Epistola ad Simeonem. p. 688. ad Leonem III. p. 709.

Theodulfus Aurelianensis. Ejus Capitulare. p. 428.

S. Theofredus Martyr. p. 64.

Theophanes Historicus. p. 760. seqq.

Thessalonica. Josephus Thessalonicensis Theodori Frater. p. 703. & 711.

Trevirensis Archiepiscopatus. Richboldus. p. 553.

V.

Verdensis Episcopatus. p. 420.

Virgilius Presbyter. p. 195. docet dari Antipodes. p. 199. Episcopus Salisburgensis. p. 376.

Unctio Extrema. p. 357.

S. Wille-

W.

S. Willebadius Saxonum Apostolus. p. 407. fugit. p. 415. obit. p. 516.
SS. Willibaldus & Wunebaldus. p. 97.
Witichindus Saxonum Dux. p. 401. convertitur. p. 419.

Z.

Zacharias Papa. p. 122. Epistola ad S. Bonifacium. p. 128. aliæ. p. 183. & 197. obit. p. 209. S. Gregorii M. Dialogos transtulit in Græcum. p. 211.

ERRA-

ERRATA.

Lib. XLII.

Pag. 80.	nec terminos: *corrige:*	nec terminos?
Ibid.	non est.	non est?
84.	& libro	ex libro.
103.	in gaudium?	in gaudium.
120.	ducentem, Rex	ducentem. Rex
136.	communio.	communico.
141.	sernutatione	sternutatione.
165.	alluebant	abluebant.
201.	contenti	contentos.
202.	hodiernum	hodiernam.
206.	regnavis	regnavit.

Lib. XLIII.


241.	punguntur	panguntur.
303.	dicta alios	dicta, ad alios.
349.	diliteſcunt	deliteſcunt.
395.	conſecuta	conſecuto.

Lib. XLIV.

399.	Sol æquavit	ſolo *æquavit.*
406.	præripuit	proripuit.
455.	Legorum	Legatorum.
534.	jubent	jubet.

Lib. XLV.

586.	eſſe	eſſet.
655.	conſulueret	conſuleret.
681.	& furno	e furno.
716.	cui re	cui rei.
720.	in tantum	in tantam.
	ultimæ lineæ literis curſivis imprimi debuiſſent.	
737.	plumbo	plumbeo.
	§. XLIV.	§. LIV.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN